

JOANNES A SANCTO THOMA

CURSUS THEOLOGICUS

In I<sup>am</sup>-II<sup>æ</sup>

DE VIRTUTIBUS

ARMAND MATHIEU ET HERVÉ GAGNÉ

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

EDITIONEM CURAVERUNT

*A.S.1957/0109*

LES PRESSES UNIVERSITAIRES LAVAL

QUÉBEC

—  
1952

SDM

524,5

*Nihil obstat :*

Sac. Paulus LACOULINE,  
*ensor deputatus,*

Die 8a Julii 1952.

*Imprimatur :*

† MAURITIUS,  
*Archus Quebecen.*

Die 10a Julii 1952.



DANS LA MÊME COLLECTION

Déjà parus :

I. — *Theologiæ Dogmaticæ Communia*, Quebeci, 1947. 22 cm., pag. XIV - 298 - 20.

Continet tractatum *De Certitudine Principiorum Theologiæ* et tractatum *De Auctoritate Romani Pontificis*.

II. — *De Fide*, Quebeci, 1948. 22 cm., pag. XIX - 340 - 18.

III. — *De Donis Spiritus Sancti*, Quebeci, 1948. 22 cm., pag. XV - 360 - 24.

IV. — *De Habitibus*, Quebeci, 1949. 22 cm., pag. XV - 324 - 34.

V. — *De Virtutibus*, Quebeci, 1952. 22 cm., pag. XXXVI - 528 - 88.

En préparation :

*De Spe et De Caritate.*

AD LECTOREM

Quo melius præsentetur expositio Joannis a Sancto Thoma circa virtutes in communi, nihil utilius visum est quam ipsius Auctoris nostri *Isagoge*<sup>1</sup> ad *D. Thomæ Theologiam* referre.



« Post considerationem vero habituum in communi, AGIT DE ILLIS IN SPECIALI : non descendendo ad species atomas, id enim tractatur in *Secunda Secundæ* ; sed penes genera, et rationes atque condiciones generales virtutum et vitiorum ; de virtutibus quidem usque ad quæstionem 71, de vitiis vero et peccatis a 71 usque ad 90.

« Circa virtutes ergo, primo considerantur duo genera principalia virtutum, quædam procedunt communi et ordinario modo in regulando et movendo actus humanos, quædam secundum altiorem instinctum et regulationem Spiritus Sancti : et primæ vocantur virtutes, secundæ dona.

[DE VIRTUTIBUS].

« In virtutibus considerat D. Thomas quinque. **Primo**, essentiam. **Secundo**, subjectum. **Tertio**, divisionem penes diversa genera. **Quarto**, causas virtutum. **Quinto**, proprietates generales earum.

<sup>1</sup> Joan. a S. Thoma, *Isagoge ad D. Thomæ Theologiam*, Ordo quæstionum in *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55-67, I (Solesm.), pp. 170-173.

\* \* \*

« CIRCA NATURAM VIRTUTIS in communi, colligit Div. Thomas ejus definitionem et quidditatem discurrendo per ejus partes : scilicet quod sit habitus seu qualitas : quod est genus ; quod sit operativus : quæ est differentia communior ; quod sit bonus moraliter : quæ est differentia ultimate constitutiva virtutis.(et de hoc agit quæst. 55).

\* \* \*

« CIRCA SUBJECTUM VIRTUTIS, in primis, cum sit habitus operativus, rejicit D. Thomas a subjecto virtutum id quod operativum non est : sed solum potentias animæ pro subjecto virtutum assignat, quæ sunt capaces operationis cum aliqua indifferentia. Et istæ sunt voluntas, appetitus sensitivus et intellectus ; sed cum hac differentia quod virtutes voluntatis et appetitus non solum reddunt operationem ipsam perfectam et bonam, sed etiam operantem : quia rectificant inclinationem totius suppositi quantum ad usum et executionem operandi. Virtutes autem intellectuales reddunt quidem operationem rectam in attingendo verum ex parte objecti, sed non reddunt subjectum rectificatum quoad inclinationem et executionem operandi (et de hoc agit quæst. 56).

\* \* \*

« CIRCA DISTINCTIONEM, seu divisionem virtutis, distinguit in primis D. Thomas generaliter tria genera virtutum : quædam enim sunt intellectuales, aliæ morales, aliæ theologicæ ; eo quod homo, **vel** perficitur quoad intellectum

modo naturali, et hoc facit virtus intellectualis ; **vel** moraliter quoad voluntatem et appetitum in ordine ad finem naturalem, et hoc facit virtus moralis acquisita ; **vel** perficitur modo supernaturali, sive in intellectu sive in voluntate, et sunt virtutes theologicæ ad quas sequuntur aliæ infusæ.

« Igitur omnia genera **virtutum intellectualium** tractat D. Thomas unica quæstione. Sunt autem quinque genera harum virtutum : tres perficiunt partem speculativam, scilicet habitus seu intellectus principiorum, sapientia, et scientia. Duo vero perficiunt intellectum practicum : scilicet prudentia, quæ perficit in ordine ad agibilia, id est, ad dirigendos actus morales hominis ; et ars quæ perficit in ordine ad factibilia, id est, ad opera ipsa seu effectus per certas regulas faciendos. Solum enim isti habitus important certitudinem et rectitudinem circa verum ; alii autem habitus incerti possunt declinare ad falsum, et ita non reddunt intellectum perfectum circa suum objectum quod est verum ; virtus autem est dispositio perfecti (et de his tractat quæst. 57).

« Secundum genus virtutum sunt **virtutes morales**, in quarum distinctione explicanda discurrit penes quatuor habitudines, quæ in illis considerari possunt. *Prima* est ad id a quo habent formam et modum, scilicet ad prudentiam. *Secunda* habitudo est ad id a quo habent materiam moderandam, scilicet ad passiones vel operationes. *Tertia* habitudo est ad species penes quas dividuntur omnes virtutes morales. *Quarta* habitudo est ad ea quæ faciunt in virtutibus moralibus majorem vel minorem principalitatem. Ex his enim omnibus discernitur id quod pertinet ad distinctionem et divisionem harum virtutum.

« *Circa primum*, ostendit D. Thomas distingui virtutes morales non solum ab intellectualibus speculativis, quia mora-

les sunt, sed etiam a practicis, id est, a prudentia (contra Socratem qui existimabat omnes virtutes esse prudentias). Sed tamen virtutes a prudentia recipiunt regulationem penes determinationem medii, et applicationem ad operandum hic et nunc. Et rursus ipsa prudentia dependet a rectificatione appetitus in materiis virtutum quantum ad intentionem finis : si enim aliquis rectam intentionem non habet, nec ex illa movetur, prudenter judicare non poterit. Rectificatio autem intentionis in materiis virtutum ad ipsasmet virtutes pertinet : non secundum actum consummatum et ultimum, qui est electio (quia virtus moralis est habitus electivus) : sed quantum ad actum primum et inchoatum, quo disponitur appetitus a virtute erga finem circa suam materiam ; in quo actu movetur non a prudentia, sed a synderesi quæ respicit principia universalissima et bonum in communi. Et sic de distinctione virtutum a prudentia, et dependentia prudentiæ a virtutibus, agit (quæst. 58).

« *Circa secundum*, materia virtutum moralium est duplex : quædam enim virtutes ordinant operationes seu motus voluntatis : quædam vero, passionem seu motum appetitus sensitivi. Passiones autem vel sunt inordinatæ et excedentes regulam rationis, vel ordinatæ et subjectæ regulis rationis, vel considerantur ut ordinabiles et susceptivæ regulationis. Primo modo non sunt materia virtutis, sed contrariatur illi. Secundo modo sunt actus elicitus a virtute : ideo enim ponitur virtus in appetitu sensitivo, ut producat passiones moderatas seu regulatas. Tertio modo sunt propria materia virtutum, quia considerantur ut susceptivum formalis rationis virtutis, quæ est regulatio. Virtutes autem quæ versantur circa operationes voluntatis, ut justitia, continentia et similia, non habent passiones pro materia regulanda ; bene tamen possunt habere illas pro effecti-

bus, quatenus ex superiori parte redundat motus in inferiorem. Et sic de ista comparatione virtutum ad suam materiam, et de distinctione earum penes diversas materias regulandas, agit quæstione 59.

« *Circa tertium*, supponit virtutem moralem in voluntate et appetitu non esse tantum unam, sed plures juxta diversas materias diverso dictamine et modo regulabiles ; licet ab una virtute regulante, scilicet prudentia, omnia illa dictamina procedant, quia in uno fine vitæ humanæ uniuntur ; sed in diversis materiis regulandis diversimode recipiuntur regulationes. Et sic divisio virtutis moralis in suas species sumitur ex diversitate materiæ proximæ. Quædam enim ut diximus moderantur operationes voluntatis, quædam passiones appetitus. Quæ moderantur operationes voluntatis, vel respiciunt operationem erga alterum in ratione debiti et æqualitatis faciendæ, et sic pertinent ad justitiam : ex qua iterum diversæ virtutes oriuntur secundum diversam rationem debiti vel æqualitatis reddendæ, quæ in II-II q. 80 numerantur ; vel ordinat operationes voluntatis erga se, ut continentia, humilitas et similia. Virtutes autem quæ versantur circa passiones, diversificantur non solum juxta diversitatem passionum (cum possit una virtus duas passiones extremas moderari), sed juxta diversam difficultatem, et dictamen regulandi aliquam passionem. Et sic numerat Divus Thomas hic decem virtutes morales circa passiones : scilicet fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia, id est, amor honoris, mansuetudo, amicitia, veritas, eutrapelia, quas et plures alias in speciali tractabit in *Secunda Secundæ* ; nunc autem solum in generali indicat illas (in hac quæst. 60).

« *Circa quartum*, distinguit virtutes morales penes principales et minus principales. Principalitas autem in virtutibus

moralibus potest considerari, vel per comparisonem ad intellectuales, vel per comparisonem moralium inter se, vel per comparisonem ad diversos status quorum unus est principalior altero. — Primo modo virtutes morales sunt magis principales in officio et ratione virtutis : quia rectificant ipsum usum et exercitium inclinationis, a qua simpliciter homo denominatur bonus et rectus. Virtutes autem intellectuales in ratione operationis et attingentiæ objecti sunt principaliores : quia attingunt objectum abstractius et immaterialius, scilicet verum. — Si secundo modo fiat comparatio, inveniuntur quatuor virtutes cardinales seu principales in moralibus, scilicet prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Quæ dicuntur principales, quia principaliores et difficiliore materias in moralibus moderantur : illæ vero virtutes dicuntur minus principales seu potentiales, quæ in eodem modo operandi minus difficiliore materias moderantur ; vel etiam dicuntur cardinales quia præcipue in eis salvantur condiciones requisitæ ad virtutes, scilicet discretio, rectitudo, moderatio et firmitas. — Si denique tertio modo consideretur principalitas in virtutibus, secundum diversos status quos potest eadem virtus habere : distinguuntur in virtutes politicas (quæ solum respiciunt communem modum operandi in convictu humano), et in purgatorias, [et in virtutes jam] purgati animi, et exemplares. Quæ distinctio sumitur secundum elevationem a convictu humano ad tendentiam et assimilationem ad Deum : quæ in statu incipientium sunt purgatoriæ, in statu perfectorum purgati animi, in statu divino exemplares (et de his agit quæst. 61).

« Post virtutes morales sequitur tertium genus virtutum, scilicet **virtutes theologicæ** : quæ distinguuntur ab intellectualibus et moralibus, eo quod per illas ordinatur homo in

altio rem finem, scilicet in beatitudinem supernaturalem ; qui cum excedat omnes vires naturæ, oportet superaddi homini principia aliqua supra naturam, quæ ordinent illum ad talem finem. Et talia principia, quia respiciunt ipsum Deum in se, qui est finis supernaturalis, dicuntur virtutes theologicæ ; et sunt tantum tres, quia ad tendendum in finem debet perfici intellectus et voluntas ; intellectus quidem per supernaturalem revelationem qua cognoscat finem istum supernaturalem : et hæc est fides, quæ est prima virtus theologica. Voluntas autem indiget perfici dupliciter : *primo*, per intentionem ad finem ut assequendum, qui cum sit ita excedens respicitur a voluntate ut arduus : et sic perficitur per spem. *Secundo*, ordinatur ad finem per amorem perfectum adhærendo illi, et uniendo se illi : et hoc facit caritas ; et de hac distinctione virtutum agit quæstione 62.

★ ★ ★

« Post explicatam essentiam virtutum, subjectum, divisiones varias, SEQUITUR AGERE DE CAUSIS et proprietatibus virtutum ; et loquitur de causa efficiente per quam in nobis causatur virtus : vel ex assuetudine operum, in virtutibus acquisitis : vel ex infusione, in supernaturalibus (et de hoc tractat quæst. 63).

★ ★ ★

« Ultimo, AGIT DE PROPRIETATIBUS VIRTUTUM, quæ sunt quatuor. *Prima* est habere medium, evitando per regulationem excessum et defectum in materia regulabili. *Secunda* est habere connexionem inter se ratione principii a quo omnis illa regulatio provenit, scilicet a prudentia. *Tertia*

est habere inæqualitatem inter se, eo quod materia regulabilis diversimode participat ordinem rationis. *Quarta* est habere permanentiam vel in hac vita, vel etiam post illam (licet sub alio statu) propter permanentiam subjecti, quod est anima.

« De *prima* ergo *proprietate*, scilicet de medio virtutum : quod convenit omnibus virtutibus moralibus, quia materia earum moderabilis est, et potest per excessum vel per defectum cadere a medio rationis : non autem convenit virtutibus theologis, quæ respiciunt pro materia ipsam regulam quæ est Deus, non id quod est regulabile et defectibile ab illo : agit quæstione 64.

« De *secunda* vero *proprietate*, quæ est connexio virtutum, quæ illis convenit non ratione materiæ quam moderantur (quæ sunt distinctæ passiones non habentes inter se connexionem) : neque ratione formæ specificantis (quæ sunt diversa objecta formalia virtutum) : sed ratione formæ ordinantis et dirigentis, quæ præbet statum modumque virtutis : et hæc est prudentia, ad quam requiritur rectificatio intentionis in omni materia virtutum ut omnes possit dirigere in recta electione ; uniuntur etiam virtutes in altiori forma ordinante illas ad finem supernaturalem : quæ est caritas, ad quam requiruntur omnes virtutes, quia caritas implet totam legem ; possunt tamen manere virtutes in statu imperfecto, et quoad entitatem sine connexione inter se ; — agit inquam de hac proprietate, quæstione 65.

« De *tertia* *proprietate*, scilicet de inæqualitate virtutum, — sive comparando intellectuales cum moralibus, sive theologales cum utrisque, sive morales inter se ; quæ etiam inæqualitatem habent, licet ab uno principio, quod est prudentia, regulentur ; in se tamen diversam regulationem et diversam rationem

formalem secundum bonum rationis recipiunt propter diversum ordinem materiæ regulabilis : — agit quæstione 66.

« De *quarta proprietate*, ostendit quænam virtutes permanent post hanc vitam, et quæ non ; nam aliquæ simpliciter evacuantur, ut fides et spes, propter defectum objecti, quod est non-visum, non possessum ; et similiter virtutes appetitus sensitivi propter defectum subjecti non manent in anima separata. Aliæ vero virtutes mutant modum et statum, propter diversum modum operandi animæ (et de hoc agit quæst. 67). »



Joannes noster, more suo, i.e. ad modum disputationis, optime exponit doctrinam Divi Thomæ circa virtutes in communi. Intentio nostra non est laudare Commentatorem. Auctoritas et præstantia textus sibi sufficiunt.

Textus ejus ex editione Vivès<sup>1</sup> hausimus, et illam solam in promptu habere potuimus. Sed plurimis defectibus editio ista scætet, sive in ipso textu, sive quoad fontes ab Auctore allatos.

Hanc nostram editionem parando, non fuit nobis in animo opus proprie criticum conficere, sed præbere textum emendatum<sup>2</sup>, lectu jucundum, qui præsertim studentium commodo consuleret.

Quem in finem, fontes diligenter restituimus et indicavimus necnon de textibus Divi Thomæ specialiter curavimus.

<sup>1</sup> Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Iam-IIæ, q. 55-67, disp. 14-17, VI (Vivès), pp. 371-571.

<sup>2</sup> Aliquando verba quædam textus mutantur propter mendositates. Attamen nunquam absque indicatione.

Præterea, quia divisio distinguit et distribuit partes, et sic aufert confusionem totius, frequenter textum divisimus secundum modum et exigentiam materiæ. Numerationem editionis Vivès non quidem omisimus, sed novam numerationem marginalem a sinistra addidimus.

Tandem in margine dextera appositi sunt numeri minores, quorum ope loci paralleli commode invenirentur. Remittunt enim isti numeri ad numeros in margine sinistra positos.

Quo magis ad studium prosit editio nostra, plures indices adduntur, scilicet, schematicus, biblicus, thomisticus, onomasticus et analyticus. Isti omnes indices novam numerationem servant.

★ ★ ★

Faxit Deus ut istud opus ad augmentum virtutis et ad aliquam veritatis diffusionem proficiat. Vale, et virtuti stude.

EDITORES

## INDEX SCHEMATICUS

---

### IN PRIMAM SECUNDÆ DE VIRTUTIBUS

---

#### Summa litteræ

#### D. Thomæ

<b>Quæstio LV</b> : De virtutibus quantum ad suas essentias . . . . .	1-5
<b>Quæstio LVI</b> : De subjecto virtutis . . . . .	6-11

---

### DISPUTATIO DECIMA QUARTA DE ESSENTIA VIRTUTIS IN COMMUNI

---

#### Articulus primus

#### UTRUM HABITUS OPERATIVUS SIT ESSENTIALE GENUS VIRTUTIS?

<b>Definitio virtutis ex Augustino viam aperit ad responsionem . . . . .</b>	12-15
<b>Proponitur difficultas istius articuli, et solvitur . . . . .</b>	16-60
Sententia Scoti . . . . .	16-23
exponitur . . . . .	16-20
confirmatur a Vasquez . . . . .	21-23
<b>Stabilitur veritas, scil. virtus est formaliter habitus operativus . . . . .</b>	24-60
Est communis sententia inter philosophos et theologos . . . . .	24-27
Evelluntur fundamenta Scoti . . . . .	28-36
Fundamenta sententiæ communis . . . . .	37-60

<b>Quid de sententia Vasquez</b> .....	61-68
In quibus non convenit cum sententia communi .....	62-63
Impugnatur Vasquez .....	64-68
<b>Exploditur sententia Scoti</b> .....	69-96
Rejicitur sententia Scoti .....	69-76
Instatur pro sententia Scoti .....	77-81
<i>Respondetur</i> .....	82-96

### Articulus II

#### UTRUM DIFFERENTIA CONSTITUTIVA VIRTUTIS SIT ILLA PARTICULA OPERATIVUS BONI; VEL ILLA QUA NULLUS MALE UTITUR?

<b>UNDE NASCITUR DIFFICULTAS ISTIUS ARTICULI</b> .....	97-99
<b>VIRTUS ETIAM MORALIS FORMALITER EST OPERATIVA</b> .....	100-128
<b>Exponitur sententia D. Thomæ</b> .....	100-106
<b>Arguitur sententia D. Thomæ</b> .....	107-111
<i>Respondetur</i> .....	112-128
<b>NON POTEST VIRTUS INCLINARE AD ACTUM MALUM</b> .....	129-163
<b>Mens D. Thomæ declaratur</b> .....	129-149
Sententia ejus proponitur .....	129-137
Sententia ejus probatur .....	138-149
<b>Difficultates proponuntur</b> .....	150-153
<i>Respondetur</i> .....	154-163
<b>VIRTUS NON POTEST CONCURRERE AD ACTUM MALUM EX CIRCUMSTANTIA ET IGNORANTIA</b> .....	164-236
<b>Diversæ sententiæ exponuntur</b> .....	166-171
<b>Stabilitur veritas</b> .....	172-195
ex quibusdam locis D. Thomæ .....	173-176
Rejicitur duplex expositio istorum locorum D. Thomæ .....	177-186
Unde provenit fundamentum sententiæ D. Thomæ .....	187-195
<b>Proponuntur difficultates</b> .....	196-236
Primo arguitur: Necessarium non esset virtutem habere objectum omnibus circumstantiis regu- latum a prudentia .....	196-197
<i>Respondetur</i> .....	198-207

Secundo arguitur: quia in peccatore non remanet prudentia simpliciter, virtus acquisita quæ in illo remanet posset concurrere ad actum malum, saltem ex circumstantia .....	208-209
<i>Respondetur</i> .....	214-222
Tertio arguitur: Quidam actus peccaminosi procederent ab habitu virtutis, v. g. credere aut tribuere eleemosynam propter vanam gloriam .....	210-213
<i>Respondetur</i> .....	223-236

### DISPUTATIO XV

#### DE SUBJECTO VIRTUTIS

#### Articulus primus

<b>UTRUM POTENTIAE SPIRITUALES, INTELLECTUS ET VOLUNTAS, SINT SUBJECTUM VIRTUTUM?</b>	
<b>DUO SUNT CERTA</b> .....	237-242
<b>Primo</b> : loquitur D. Thomas de virtutibus operativis .....	238-240
<b>Secundo</b> : istæ potentiæ spirituales maxime inter omnes sunt capaces virtutis .....	241-242
<b>UNDE VENIUNT DIFFICULTATES ISTIUS ARTICULI</b> .....	243-259
<b>Aperiuntur difficultates</b> .....	244-250
Prima difficultas: circa <i>Sum. Theol.</i> , I <sup>a</sup> -II <sup>æ</sup> q. 56, a. 3 .....	244-248
Secunda difficultas: circa <i>Sum. Theol.</i> , I <sup>a</sup> -II <sup>æ</sup> q. 56, a. 6 .....	249-250
<b>Confirmantur difficultates</b> .....	251-259
Prima difficultas, i. e. quid intelligatur nomine virtutis simpli- citer et secundum quid .....	251-255
Secunda difficultas, i. e. quomodo voluntas in ordine ad bo- num proprium non indigeat virtute super- addita .....	256-259



<b>EXPLICATIONES PROPONUNTUR</b> .....	260-330
<b>Ad primam difficultatem</b> .....	260-276
Diversæ solutiones.....	261-269
Adstruitur fundamentum D. Thomæ.....	270-276
<b>Ad secundam difficultatem</b> .....	277-330
Variæ sententiæ.....	278-280
Exponitur sententia D. Thomæ.....	281-294
Arguitur sententia D. Thomæ.....	295-300
<i>Respondetur</i> .....	301-318
Solvuntur tres difficultates supra (n. 256-259) datæ ad secundam difficultatem.....	319-330

### Articulus II

#### UTRUM IN APPETITU SENSITIVO SINT VIRTUTES MORALES, ET QUÆNAM SINT

<b>UTRUM IN APPETITU SENSITIVO SINT VIRTUTES MORALES</b> .....	331-377
<b>Sententia D. Thomæ</b> .....	331
<b>Sententia D. Bonaventuræ, Scoti, Vasquez et aliorum</b> ....	332-338
<b>Exponitur sententia D. Thomæ per duas partes</b> .....	339-377
<i>Prima Pars</i> : in appetitu sensitivo virtutes temperantiæ et fortitudinis sunt veræ virtutes prout ibi subjectantur.....	344-363
Probatur auctoritate Aristotelis.....	344
Respondetur diversimode ad hanc auctoritatem.....	345-348
Istæ solutiones nullo modo satisfaciunt.....	349-357
Adstruitur fundamentum hujus primæ partis.....	358-363
<i>Secunda Pars</i> : in ipsa etiam voluntate dantur habitus ad dirigendam moderationem harum passionum et imperandum appetitui sensitivo.....	364-377
Stabilitur veritas.....	364-369
Isti habitus in voluntate non sunt proprie virtutes.....	370-377
<b>QUÆ VIRTUTES SINT IN APPETITU SENSITIVO</b> .....	378-413
<b>Primo, est difficultas de fortitudine</b> .....	378-390
Exponitur difficultas Vasquez.....	378-380
Declaratur sententia D. Thomæ.....	381-385
Destruitur fundamentum Vasquez.....	386-390

<b>Secundo, inquires de liberalitate et magnificentia</b> .....	391-413
In his videtur D. Thomam contraria locutum fuisse.....	391-394
Variæ solutiones.....	395-403
Exponitur sententia D. Thomæ.....	404-413
<b>SOLVUNTUR ARGUMENTA SCOTI</b> .....	414-461
<b>Arguitur primo</b> : formale objectum virtutis esset extra adæquatum objectum appetitus sensitivi.....	414-420
<i>Respondetur</i> .....	421-431
<b>Arguitur secundo</b> : virtutes morales temperantiæ et fortitudinis non requirerentur per se primo ad moderandas passiones.....	432
Confirmatur primo: virtus debet poni in parte rationali hominis.....	433
Confirmatur secundo: ex auctoritate Aristotelis et Augustini.....	434-435
Respondetur ad principale argumentum.....	436-438
Respondetur ad primam confirmationem.....	439-441
Respondetur ad secundam confirmationem.....	442-444
<b>Arguitur tertio</b> : habitus qui sunt in voluntate essent etiam virtutes.....	445-451
<i>Respondetur</i> .....	452-461

### Summa litteræ

#### D. Thomæ

<b>Quæstio LVII</b> : De distinctione virtutum intellectualium.....	462-470
<b>A quæstione LVIII usque ad quæstionem LXI</b> .....	471-502
Quatuor veniunt considerata de virtutibus moralibus.....	471-475
Summa quatuor quæstionum D. Thomæ (quæstio LVIII — LXI)	476-502
Circa quæst. LVIII: Distinctio virtutum moralium ab intellectualibus.....	476-480
Circa quæst. LIX: Distinctio virtutum moralium secundum comparisonem ad passiones.....	481-485
Circa quæst. LX: Distinctio virtutum moralium ab invicem.....	486-495
Circa quæst. LXI: De virtutibus cardinalibus.....	496-502
<b>Quæstio LXII</b> : De virtutibus theologis.....	503-513

**DISPUTATIO XVI**  
**DE DISTINCTIONE VIRTUTUM**

**Articulus primus**

QUOMODO VIRTUTES INTELLECTUALES DISTINGUANTUR?  
PRIMO, DE HABITU PRINCIPIORUM

<b>PRÆNOTAMINA</b> .....	514-515
<b>DUO NOTABILIA</b> .....	516-543
<b>Quomodo virtutes intellectuales distinguantur</b> .....	516-532
Perfectio virtutis intellectualis consistit in certitudine.....	516-519
Diversæ virtutes intellectuales quæ perficiunt intellectum speculativum et practicum.....	520-532
<b>Virtutes perficientes intellectum speculativum non sunt solum species intelligibiles</b> .....	533-543
<b>HABITUS PRIMORUM PRINCIPIORUM EST ACQUISITUS</b> ..	544-619
<b>An talis habitus sit qualitas distincta ab ipsa potentia intellectus</b> .....	545-577
Duplex datur sententia.....	545-569
Sententia negans distinctionem.....	546-554
Sententia D. Thomæ affirmans distinctionem.....	555-569
Respondetur ad sententiam negantem.....	570-577
<b>An talis habitus sit acquisitus</b> .....	578-619
Variæ sententiæ.....	579-581
eorum qui tenent illum habitum effluere ab anima per modum propriæ passionis.....	579-580
eorum qui tenent habitum produci ab ipso intellectu per actum suum.....	581
Stabilitur veritas : ille habitus est acquisitus, non dimanat per modum propriæ passionis.....	582-593
Rejicitur sententia opposita.....	594-619

**Articulus II**

DE MODO QUO ACQUIRITUR HABITUS PRINCIPIORUM

<b>DE MODO QUO ACQUIRITUR HABITUS PRINCIPIORUM</b> ...	620-658
<b>Proponitur difficultas et varietas sententiarum</b> .....	620-627
Proponitur difficultas.....	620

Variæ sententiæ.....	621-627
Sententia quæ attribuitur Cajetano.....	621-622
Sententia Vasquez.....	623-627
<b>Stabilitur veritas</b> .....	628-645
Quoad primam partem conclusionis : non sufficit simplex apprehensio terminorum sine iudicio.....	630-634
Quoad secundam partem conclusionis : acquisitio habitus principiorum non innititur inductioni tanquam rationi formali.....	635-645
<b>Convelluntur fundamenta contrariæ sententiæ</b> .....	646-658
Ad fundamenta sententiæ Vasquez.....	646-657
Ad fundamentum ex auctoritate.....	646
Ad fundamentum ex ratione.....	647-657
Ad fundamentum sententiæ quæ Cajetano tribuitur.....	658
<b>DE PLURALITATE HABITUUM PRIMORUM PRINCIPIORUM</b>	659-711
<b>Prænotamina</b> .....	656-671
Proponitur difficultas.....	659
Variæ sententiæ.....	660-671
Sententia Vasquez.....	660-663
Secunda sententia.....	664-666
Tertia sententia.....	667-668
Quarta sententia.....	669-670
Quinta sententia, quæ est D. Thomæ.....	671
<b>Declaratur sententia D. Thomæ</b> .....	672-704
Prima conclusio : requiritur habitus principiorum pro omnibus principiis omnium scientiarum speculativarum, etiam communissimis.....	672-687
Secunda conclusio.....	688-704
Prima pars : probabilius unus habitus primorum principiorum sufficit pro omnibus veritatibus speculativis.....	689-698
Secunda pars : de distinctione synderesis ab habitu principiorum primorum speculationis.....	699-704
<b>Fundamenta aliarum sententiarum destruuntur</b> .....	705-711
Ad sententiam Vasquez.....	706-709
Ad secundam et tertiam sententiam.....	710
Ad quartam sententiam.....	711

## Articulus III

## QUID DE HABITU SAPIENTIAE ET SCIENTIAE

Prænotamina.....	712-716
Quæ non tractantur.....	712-713
Punctus difficultatis.....	714-716
<b>Quæritur primo : an sapientia sit species condistincta a scientia vel sub illa contenta.....</b>	<b>717-739</b>
Præsupposita.....	717-723
Multiplex acceptio sapientia.....	717-720
Quomodo in præsentia accipitur sapientia.....	721-723
Quomodo sapientia et scientia ad invicem sese habent.....	724-731
Utrum revera sapientia debeat ante alias scientias addisci.....	732-739
<b>Quæritur secundo : quomodo sapientia dicatur attingere principia aliarum scientiarum.....</b>	<b>740-773</b>
Duz difficultates proponuntur.....	740-747
Prima difficultas : utrum ista principia redduntur magis evidentia in se, an vero solum quoad nos.....	741-742
Secunda difficultas : ex quibus principiis procedit sapientia ad defendenda sua principia.....	743-747
Stabilitur veritas : quomodo sapientia attingit prima principia, tam sua propria quam aliarum scientiarum.....	748-762
Solvuntur difficultates.....	763-773
Ad primam difficultatem (n. 741-742).....	764-766
Ad secundam difficultatem (n. 743-747).....	767-773

## Articulus IV

## DE DIVISIONE VIRTUTIS INTELLECTUALIS PRACTICAE IN ARTEM ET PRUDENTIAM

<b>PRÆSUPPOSITUM : Duplex est materia dirigibilis in intellectu practico.....</b>	<b>774-776</b>
<b>QUÆRITUR PRIMO : quomodi isti habitus sint virtutes intellectuales.....</b>	<b>777-801</b>
Ratio dubitandi proponitur : non essent virtutes intellectuales, quia versantur circa contingentia.....	777
Solutio communiter data : istæ virtutes versantur circa veritatem infallibilem practice, non speculative.....	778-781
Instatur hæc solutio : quomodo ista veritas practica sit infallibilis.....	782-786
Respondetur.....	787-801

<b>QUÆRITUR SECUNDO : quæ sit differentia potissima inter artem et prudentiam.....</b>	<b>802-813</b>
Differunt ex parte materiae.....	803
Differunt ex parte formæ.....	804-807
Differunt ex parte modi operandi.....	808-813
<b>QUÆRITUR TERTIO : quomodo ars et prudentia influant in suos effectus et actiones.....</b>	<b>814-836</b>
Proponitur difficultas.....	814
Unde procedit hæc difficultas.....	815-826
Non de actu ipso immanente, sed circa actus vel effectus aliarum potentialium.....	815-817
Non in actibus consilii et iudicii, sive in prudentia, sive in arte.....	818-822
Sed solum de actu præcepti, sive in prudentia, sive in arte.....	823-826
Sententia D. Thomæ declaratur.....	827-836
Dubitatur de arte : quomodo utatur imperio deducto a voluntate ut physice moveat.....	829
Respondetur.....	830-836
<b>QUÆRITUR QUARTO : quomodo intelligatur divisio artium in liberales et serviles.....</b>	<b>837-869</b>
Præsuppositum : agibile et factibile possunt tripliciter distingui.....	838-841
Probat intentum : ars liberalis potius respicit directionem actionum quam effectuum permanentiam. Ars vero servilis potius respicit effectus quam actiones.....	842-850
Utrum ars liberalis possit usque ad ipsas speculationes intellectus extendi.....	851-858
Utrum ars ista liberalis sit habitus practicus, an speculativus.....	853-869
Difficultates proponuntur.....	854-856
Solvuntur.....	857-869

## Articulus V

## QUID DE DISTINCTIONE ET UNITATE PRUDENTIAE ET VIRTUTUM MORALIUM?

<b>QUÆRITUR PRIMO : An divisio virtutum in intellectuales et morales sit univoca vel analogæ.....</b>	<b>870-890</b>
Fundamenta sententiæ affirmantis divisionem esse analogam.....	871-872
Auctor noster negat hanc divisionem esse analogam.....	873-883
Rejicit fundamenta sententiæ oppositæ.....	884-890

<b>QUÆRITUR SECUNDO : Quomodo intelligatur quod prudentia sit una virtus et virtutes morales plures sint . . . . .</b>	891-922
Difficultates proponuntur . . . . .	891-898
ex parte materiæ circa quam versatur prudentia . . . . .	892
ex parte formæ . . . . .	893
ex aliquibus exemplis . . . . .	894-898
Sententia D. Thomæ declaratur . . . . .	899-909
Solvuntur difficultates desumptæ . . . . .	910-922
ex parte materiæ . . . . .	910-912
ex parte formæ . . . . .	913-914
ex exemplis . . . . .	915-922
 <b>QUÆRITUR TERTIO : Quid de divisione virtutum moralium inter se . . . . .</b>	923-953
Ex quibus principiis seu capitibus sumitur distinctio virtutum moralium . . . . .	923-928
Primum caput : ex parte materiæ regulandæ . . . . .	924
Secundum caput : diversa objecta formalia . . . . .	925
Tertium caput : virtutes cardinales et minus principales . . . . .	926
Quartum caput : secundum diversos status quos habere possunt virtutes morales . . . . .	927
Quintum caput : secundum diversos ordines, scil. ordo naturalis et supernaturalis . . . . .	928
Declarantur distinctiones sumptæ . . . . .	929-953
ex primo capite . . . . .	929-945
ex secundo capite . . . . .	946-950
 <b>QUÆRITUR QUARTO : Quot sint species virtutum moralium in specie atoma, et quot in genere subalterno . . . . .</b>	954-973
Quæstio non est de prudentia . . . . .	954
Loquendo de virtuti <sup>us</sup> morali <sup>ibus</sup> quæ versantur circa operationes . . . . .	955-959
Justitia proprie dicta dividitur in tres species . . . . .	956, 958
Justitia minus principalis dividitur in septem . . . . .	957, 959
Loquendo de virtutibus quæ versantur circa passiones . . . . .	960-973
Primo dividuntur in duas virtutes cardinales . . . . .	960
Deinde dividuntur in alias minus principales . . . . .	961-973

### Articulus VI

#### QUID SINT VIRTUTES CARDINALES : QUID PURGATORIÆ, PURGATI ANIMI ET EXEMPLARES ?

<b>Sacra Scriptura et Patres aliquas virtutes morales proponunt ut principales . . . . .</b>	974-977
--	---------

<b>Unde sumatur principalitas virtutum cardinalium . . . . .</b>	978-1014
Proponitur difficultas . . . . .	978
Varietas sententiarum . . . . .	979-984
Proponitur et defenditur sententia D. Thomæ . . . . .	985-989
Solvuntur argumenta . . . . .	990-1014
Primo arguitur : Principalitas cardinalis non sumeretur ex principalitate materiæ . . . . .	990-992
Respondetur . . . . .	999-1005
Secundo arguitur : Virtutes cardinales non essent virtutes speciales . . . . .	993-998
Respondetur . . . . .	1006-1014
 <b>Virtutes cardinales solum reperiuntur in virtutibus moralibus . . . . .</b>	1015-1039
Difficultates in contrarium . . . . .	1015-1022
Stabilitur intentum . . . . .	1023-1031
Solvuntur objectiones in contrarium factæ . . . . .	1032-1039
 <b>Quomodo virtutes cardinales convenient cum aliis virtutibus moralibus . . . . .</b>	1040-1060
Unde venit difficultas . . . . .	1040
Proponitur difficultas : utrum convenient analogice, an univoce . . . . .	1041-1044
Quomodo D. Thomas solvit istam difficultatem . . . . .	1045-1060
 <b>Virtutes cardinales solum sunt quatuor . . . . .</b>	1061-1105
Exponitur sententia D. Thomæ . . . . .	1063-1068
Invehitur in rationes D. Thomæ . . . . .	1069-1082
Prima difficultas : D. Thomas non probaret esse solum quatuor specificæ, sed tantum generice . . . . .	1070-1073
Secunda difficultas : Male probaret D. Thomas esse solum quatuor cardinales quia tantummodo sunt quatuor subjecta in quibus istæ virtutes subjectantur . . . . .	1074
Tertia difficultas : Ratio D. Thomæ ex principalitate materiæ non valeret . . . . .	1075-1080
Quarta difficultas : Tot cardinales virtutes deberent esse quot capitalia vitia . . . . .	1081-1082
Solvuntur difficultates . . . . .	1083-1105
Ad primam difficultatem . . . . .	1083-1088
Ad secundam difficultatem . . . . .	1089-1090
Ad tertiam difficultatem . . . . .	1091-1100
Ad quartam difficultatem . . . . .	1101-1105
 <b>Quomodo differunt virtutes politicæ, purgatoriæ et exemplares . . . . .</b>	1106-1169
D. Thomas cardinales virtutes divisit in hæc quatuor genera . . . . .	1106
Circa virtutes cardinales exemplares . . . . .	1107

Sententia affirmans distinctionem essentialem inter tria alia genera virtutum . . . . .	1108-1113
Præsertim inter virtutes politicas et purgati animi . . . . .	1111-1113
Exponitur sententia Thomistarum : illæ tres virtutes non sunt diversæ . . . . .	1114-1142
Declaratur hæc sententia . . . . .	1115-1131
Utrum virtutes purgatoriz et purgati animi intra virtutes naturalis ordinis maneant . . . . .	1132-1142
Convelluntur fundamenta sententiæ affirmantis distinctionem essentialem . . . . .	1143-1148
Ad rationem ex Aristotele . . . . .	1144
Ad argumentum ex ratione . . . . .	1145
Ad argumentum ex D. Thoma . . . . .	1146-1147
Ad confirmationem de virginitate et magnificentia . . . . .	1148
Utrum virtutes exemplares sint formaliter virtutes cardinales . . . . .	1149-1169
Sententia affirmans ejusque fundamenta . . . . .	1150-1153
Sententiam negativam tenet D. Thomas . . . . .	1154-1161
Solvuntur opposita fundamenta . . . . .	1162-1169

### Articulus VII

#### AN VIRTUTES MORALES INFUSÆ DENTUR IN NOBIS?

QUÆSTIO PROPONITUR ET SOLVITUR . . . . .	1170-1245
<b>Prænotamina</b> : circa virtutes infusas theologicas . . . . .	1170-1173
Negari non potest esse virtutes infusas . . . . .	1170-1172
Esse autem habitus deducitur per consequentiam necessariam . . . . .	1173
<b>Difficultas est</b> : utrum dentur in nobis præter theologicas virtutes morales infusæ . . . . .	1174-1178
Tenentes sententiam negativam . . . . .	1176
Tenentes sententiam affirmativam, inter quos D. Thomas . . . . .	1177-1178
<b>Declaratur et stabilitur sententia D. Thomæ</b> . . . . .	1179-1245
Secunda pars conclusionis : de censura circa opinionem negantem has virtutes infusas . . . . .	1181-1209
Quid probatur ex locis quibusdam Sacræ Scripturæ et Patrum . . . . .	1181-1188
Quid ex rescripto Innocentii III et concilio Viennensi . . . . .	1189-1201
Quid ex concilio Tridentino . . . . .	1202-1208
Confirmatur sententia D. Thomæ ex tribus rationibus . . . . .	1210-1245
Prima ratio : ex similitudine virtutis pœnitentiæ ad alias virtutes morales . . . . .	1214-1222

Secunda ratio : exponitur probatio adducta a D. Thoma: <i>Sum. Theol.</i> , I <sup>a</sup> -II <sup>a</sup> , q. 63, a. 3 <i>Sed contra</i> . . . . .	1223-1226
Tertia ratio : charitas exigit virtutes supernaturales circa electionem et amorem mediorum . . . . .	1227-1245
Tres instantiæ contra tertiam rationem . . . . .	1231-1245
Prima instantia : virtutes non versarentur circa media, sed circa proprios fines . . . . .	1231
Respondetur . . . . .	1232
Secunda instantia : Sufficerent virtutes morales acquisitæ cum imperio theologialium virtutum . . . . .	1233
Respondetur . . . . .	1235-1242
Tertia instantia : Ad electiones supernaturales sufficerent dona Spiritus Sancti . . . . .	1234
Respondetur . . . . .	1243-1244
<b>SOLVUNTUR ARGUMENTA</b> . . . . .	1246-1315
<b>Primo objicitur</b> : Virtutes istæ morales infusæ essent superfluæ, impossibiles et inconvenienter ponerentur . . . . .	1246-1260
<i>Respondetur</i> . . . . .	1261-1285
<b>Secundo arguitur</b> : Non essent simpliciter necessariæ ad salutem, nec de illis darentur specialia præcepta . . . . .	1286-1287
<i>Respondetur</i> . . . . .	1288-1293
<b>Tertio arguitur</b> : Vel istæ virtutes augent habitum infusum præcedentem, vel producunt alium acquisitum, vel nihil faciunt : Ista tria non essent convenientia . . . . .	1294-1297
<i>Respondetur</i> . . . . .	1298-1315

### DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA

#### DE PROPRIETATIBUS VIRTUTUM

##### Articulus primus

##### DE MEDIO VIRTUTUM

QUA RATIONE MEDIUM PONITUR IN VIRTUTIBUS . . . . .	1321-1322
MEDIUM QUOTUPLEX SIT ; ET CIRCA QUID PONATUR . . . . .	1324-1337

<b>Cur generaliter medium virtutis potest dici medium rationis</b> .....	1324-1327
<b>Nihilominus recte dividitur medium virtutis in medium rationis et medium rei</b> .....	1327-1337
Quid sit medium rationis et medium rei.....	1328-1331
Cui virtuti conveniat ponere medium rationis tantum, et cui virtuti medium rei.....	1332-1337
<b>RECESSUS A MEDIO AN SEMPER SIT PECCATUM</b> .....	1338-1353
<b>In quo stat difficultas</b> : non in medio rationis, sed in medio rei.....	1338-1339
<b>Quomodo sit peccatum recedere a medio rei</b> .....	1340-1348
Corollarium : differentia inter impletionem præcepti et exercitium virtutis.....	1347-1348
<b>Solvitur difficultas</b> : circa medium rei.....	1349-1353
<b>QUÆ VIRTUTES PROPRIE DICANTUR CONSISTERE IN MEDIO</b> .....	1354-1399
<b>Prima conclusio</b> : Directe et per se virtutes morales consistunt in medio, ex parte suæ materiæ.....	1355-1378
Stabilitur veritas.....	1356-1357
Non obstat quod virtus consistit in ultimo.....	1358-1361
Instatur responsio, scil. virtus aliqua moralis consistit in extremo, et non in medio.....	1362-1363
Confirmatur instantia : ex parte operationis virtuosæ non datur aliquis terminus, ergo neque ex parte materiæ regulabilis.....	1364-1365
Respondetur ad instantiam.....	1366-1372
Respondetur ad confirmationem.....	1373-1378
<b>Secunda conclusio</b> : In virtutibus intellectualibus etiam datur medium et regulatio ex parte objecti.....	1379-1387
Tum in virtutibus speculativis.....	1380-1381
Tum in virtutibus practicis.....	1382-1387
<b>Tertia conclusio</b> : Virtutes theologicæ per se non consistunt in medio, bene tamen per accidens.....	1388-1399
Prima pars : Per se et ex parte materiæ.....	1391
Secunda pars : Per accidens et ex parte nostri, et similiter ex parte objecti secundarii.....	1392-1399

## Articulus II

## QUOMODO FIT CONNEXIO IN VIRTUTIBUS

<b>PRÆNOTAMINA</b> .....	1400-1405
Circa diversas combinationes secundam quas potest fieri connexio.....	1401-1403
Circa nomen connexionis.....	1404-1405
<b>PRÆSUPPOSITA CERTA</b> .....	1406-1431
<b>PROPONUNTUR TRIA QUÆ SUNT CERTA</b> .....	1406-1411
<b>Primum</b> : Non omnes virtutes intellectuales sunt connexæ, sive inter se, sive cum aliis virtutibus.....	1407-1408
<b>Secundum</b> : Virtutes theologicæ non sunt connexæ necessario ; sunt tamen connexæ in homine justo.....	1409-1410
<b>Tertium</b> : Virtutes morales infusæ sunt connexæ inter se et cum virtutibus theologis.....	1411
<b>EXPONUNTUR ILLA TRIA PRÆSUPPOSITA</b> .....	1412-1431
<b>Primum</b> .....	1412-1417
<b>Secundum</b> .....	1418-1422
<b>Tertium</b> .....	1423-1431
<b>PUNCTUS DIFFICULTATIS ET RESOLUTIO</b> .....	1432-1644
<b>CIRCA CONNEXIONEM VIRTUTUM ACQUISITARUM INTER SE, ET PRÆSERTIM CUM PRUDENTIA</b> ....	1436-1560
<b>Dubium primum</b> : Utrum virtutes acquisitæ morales sint inter se connexæ.....	1436-1523
Sententia communis inter Philosophos, Patres et Scholasticos : sunt omnes connexæ.....	1436-1443
Auctores negantes istam sententiam communem.....	1444-1452
Stabilitur sententia communis.....	1453-1476
Prima ratio : quia prudentia petit istam connexionem.....	1455-1469
Secunda ratio : quia finis proprius hominis, ad quem tendunt omnes virtutes morales, non potest obtineri sine omnibus istis virtutibus.....	1470-1476
Rejiciuntur explicationes Vasquez circa auctoritates Patrum.....	1477-1487

Objicitur ex Scoto : Ad statum perfectum vivendi secundum rationem, non omnes et singulæ virtutes morales deberent esse connexæ . . . . .	1488
Confirmatur primo : Quia neque vitia, neque scientiæ et artes habent connexionem inter se, et quia multæ virtutes morales non sunt actu existentes cum aliis . . . . .	1489-1492
Confirmatur secundo : Ex duobus inconvenientiis quæ sequerentur ex sententia affirmantium connexionem . . . . .	1493-1495
Respondetur ad principale argumentum . . . . .	1496-1497
Respondetur ad primam confirmationem . . . . .	1498-1512
Respondetur ad secundam confirmationem . . . . .	1513-1523

<b>Dubium secundum</b> : Quomodo intelligendum est virtutes morales connexionem habere . . . . .	1524-1560
Aperitur difficultas . . . . .	1524-1525
Proponitur sententia D. Thomæ in duobus dictis . . . . .	1526-1540
Primum dictum : Istæ virtutes sunt connexæ quando sunt in statu perfecto . . . . .	1530-1532
Secundum dictum : Aliquæ virtutes non semper sunt simul in actu, sed sufficit ad connexionem quod sint in potentia propinqua . . . . .	1533-1540
Declaratur sententia D. Thomæ . . . . .	1541-1560
Circa primum dictum . . . . .	1542-1551
Circa secundum dictum . . . . .	1552-1558
<i>Corollarium</i> : Utrum quolibet actu virtutis augeantur omnes virtutes morales, quæ sunt connexæ . . . . .	1559-1560

**VIRTUTES MORALES INFUSÆ CONNEXÆ SUNT CUM CARITATE . . . . .** 1561-1578

<b>Jaciuntur sententiæ negativæ fundamenta . . . . .</b>	1561-1564
Fides et spes possunt esse sine caritate, ergo etiam virtutes morales infusæ . . . . .	1562
Eodem modo argumentatur cum pia affectione . . . . .	1563
Idem argumentum cum attritione supernaturali . . . . .	1564
<b>Sententia affirmativa D. Thomæ declaratur . . . . .</b>	1565-1573
Instatur sententia D. Thomæ . . . . .	1568-1569
Prima instantia : Fides divina vicem gereret prudentiæ infusæ in materia virtutum moralium infusarum . . . . .	1568

Secunda instantia : sufficeret spes divina, etiam sine caritate, ad habendam rectam intentionem circa finem . . . . .	1569
Respondetur . . . . .	1570-1573
Ad primam instantiam . . . . .	1570-1571
Ad secundam instantiam . . . . .	1572-1573
<b>Convelluntur fundamenta sententiæ negativæ . . . . .</b>	1574-1578
Circa comparationem cum fide et spe . . . . .	1575-1577
Circa comparationem cum pia affectione et attritione . . . . .	1578
<b>VIRTUTES ACQUISITÆ ESSENTIALITER POSSUNT ESSE VIRTUTES SINE CARITATE, NON PERFECTIVE . . . . .</b>	1579-1644
<b>In triplici statu possumus considerare virtutes acquisite . . . . .</b>	1579-1582
<b>De quibus non est difficultas præsens . . . . .</b>	1583-1588
In statu isto elevato virtutes acquisite sine caritate existentes privantur magna perfectione . . . . .	1584
In statu naturæ puræ, virtutes acquisite possent dici virtutes simpliciter, utique sine caritate . . . . .	1585-1588
<b>In quo est præsens difficultas : Utrum virtutes acquisite sint simpliciter virtutes sine caritate . . . . .</b>	1589-1629
Proponitur difficultas . . . . .	1591-1600
Sententiæ diversæ S. Thomæ et Scoti . . . . .	1592-1595
Tollitur æquivocatio . . . . .	1596-1600
Stabilitur veritas per duas partes . . . . .	1601-1629
Proponitur sensus communis Patrum et D. Thomæ	1603-1610
Declaratur ultima pars conclusionis : Quid INDIRECTE amittitur ex absentia caritatis et præsentia peccati . . . . .	1611-1621
Explicatur prima pars conclusionis : Quid DIRECTE amittitur ex absentia caritatis . . . . .	1622-1629
<b>Proponuntur et solvuntur argumenta . . . . .</b>	1630-1644
Primo objicitur : Per remotionem caritatis, virtutes acquisite non amitterent nisi aliquid extrinsecum et accidentale, non vero rationem virtutis . . . . .	1631
Confirmatur primo : Quia caritas non intrat in definitionem virtutum acquisitarum, istæ virtutes sine caritate sunt veræ virtutes . . . . .	1632-1635

Confirmatur secundo : Existens in peccato potest operari opus bonum ex honestate, et ita ex frequentatione actuum acquirere virtutem perfectam sine caritate.....	1636
Respondetur ad principale argumentum.....	1637-1638
Ad primam confirmationem.....	1639-1641
Ad secundam confirmationem.....	1642-1644

### Articulus III

#### QUOMODO VIRTUTES DICANTUR INTER SE ÆQUALES VEL INÆQUALES

<b>DUÆ SUPPOSITIONES</b> .....	1645-1669
<b>Proponuntur</b> .....	1646-1647
<b>Declarantur</b> .....	1648-1669
Prima suppositio : Absolute loquendo aliqua virtus potest esse major altera.....	1648-1664
Secunda suppositio : Virtutes quæ inter se habent connexionem dicuntur æquales non secundum absolutam quantitatem, sed secundum proportionem.....	1665-1669
<b>INÆQUALITAS COMPARATIVA INTER VIRTUTES EXPENDITUR</b> .....	1670-1804
<b>Prænotamina</b> : Circa diversas comparationes virtutum ad invicem.....	1670-1678
<b>Prima conclusio</b> : Inter ipsa genera virtutum, quodnam genus sit perfectius.....	1679-1749
Prima pars : Virtutes theologicæ tam in ratione entis quam in statu virtutis sunt perfectiores virtutum intellectualium et moralium.....	1681-1688
Secunda pars : Virtutes intellectuales sunt perfectiores in ratione entis, virtutes autem morales in esse et ratione virtutis.....	1689-1749
Sententiæ quædam afferuntur.....	1691-1692
Animadversio : in virtute est duo considerare.....	1693-1697
Declaratur sensus D. Thomæ.....	1698-1707
Solutio cujusdam dubii : Si hæc doctrina esset vera, nulla virtus in voluntate posset esse perfectior aliqua virtute intellectuali.....	1708-1717
Ex dictis intelliguntur aliquæ difficultates :.....	1718-1734

quod si consideretur virtus in ordine ad actum, virtus moralis esset nobilior intellectuali.....	1719-1727
quod D. Thomas sibi contradiceret.....	1728-1730
quod secundum Angelicum virtutes intellectuales essent perfectiores habitus, dum ratio virtutis magis competeret moralibus.....	1731-1734
Solvitur ultima difficultas : Prudentia, quæ est virtus in intellectu, versaretur circa objectum ignobilius quam virtutes morales.....	1735-1749
<b>Secunda conclusio</b> : Quæ sit perfectior species in quolibet genere virtutum.....	1750-1804
Prima pars : In genere virtutum theologalium, perfectior species est caritas.....	1756-1768
Declaratur intentum.....	1756-1758
Solutio dubii : Caritas non esset excellentior in esse entis, sed tantum in genere moris.....	1759-1760
Unde sumenda est et discernenda perfectio physica in virtutibus theologicis.....	1761-1768
Secunda pars : In genere virtutum intellectualium, principalior virtus est sapientia.....	1769-1784
Declaratur intentum.....	1770
Solvitur dubium : Intellectus principiorum esset potior virtus quam sapientia.....	1771-1780
Solvitur instantia : Lumen sapientiæ oritur ex lumine principiorum, unde intellectus principiorum esset perfectior.....	1781-1784
Tertia pars : In genere virtutum moralium appetitivarum, principalior est justitia.....	1785-1804
Quæstio non est de prudentia.....	1785-1786
Quomodo sumatur justitia, dum consideratur ejus excellentia.....	1787-1793
Solvitur instantia de misericordia.....	1794-1796
Inter ipsas partes justitiæ, quænam perfectior est.....	1797-1804

### Articulus IV

#### QUID DE DURATIONE VIRTUTUM?

<b>EST ULTIMA PROPRIETAS VIRTUTUM DE QUÆ AGIT D. THOMAS</b> .....	1805
<b>QUÆSTIO DISPUTATUR DE TRIBUS GENERIBUS VIRTUTUM</b> .....	1806-1837



<b>De duratione virtutum theologalium</b> .....	1806
<b>De duratione virtutum intellectualium</b> .....	1807-1808
<b>De duratione virtutum moralium</b> .....	1809-1837
Non videntur remanere post hanc vitam, ex deficientia totali materiae .....	1809-1813
Varietas sententiarum .....	1814-1818
Stabilitur sententia D. Thomæ .....	1819-1830
Ad dubitationes respondetur .....	1831-1837
Ad primam dubitationem : Deficeret totaliter materia istarum virtutum in patria in anima separata .....	1832-1835
Ad secundam dubitationem : In anima separata defice- ret subjectum pro virtutibus pertinentibus ad appetitum sensitivum .....	1836-1837

## INDEX SIGLORUM

---

- Denz. = H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*. (Editio 21-23).
- RF = *Corpus juris canonici*, ed. Ae. Richter et Ae. Friedberg, 2 vol., Lipsiæ, 1881.
- PG = Migne, J.-P., *Patrologiæ cursus completus*, series græca, Parisiis, 1857-1866.
- PL = Migne, J.-P., *Patrologiæ cursus completus*, series latina, Parisiis, 1844-1864.

*Aristoteles* hoc modo allegatur : pagina, columna (*a, b*), linea editionis Berolinensis.  
Sic (1106 *a*12).

JOANNES A SANCTO THOMA  
CURSUS THEOLOGICUS

In I<sup>am</sup> — II<sup>æ</sup>

# DE VIRTUTIBUS

## QUÆSTIO LV

### DE VIRTUTIBUS QUANTUM AD SUAS ESSENTIAS

#### *SUMMA LITTERÆ*

- 1 Quid D. Thomas consideret circa virtutes et quomodo tractatum illarum dividat, diximus <sup>1</sup> in primo Tomo, *Prima Parte*, agentes de connexione eorum quæ D. Thomas tractat in hac *Summa*. In præsentī agit de essentia virtutis in communi, discurrens per genus ejus, et differentiam, ut inde eliciat integram definitionem virtutis.
- 2 Sic ergo in articulo primo ostendit virtutem esse habitum (quod pertinet ad rationem ejus communem et genericam), quia in potentiis quæ naturaliter non sunt determinatæ ad unum, id quod eas determinat et disponit ad actus dicitur habitus. Et quia virtus est ultimum potentiæ, virtus erit habitus, quia ultimum est determinativum ejus.
- 3 In articulo secundo, determinat quod virtus est habitus operativus (quod pertinet ad differentiam magis contrahentem), ad differentiam earum dispositionum quæ sunt ad esse, et non ad operari, quia in præsentī agimus de virtutibus quæ disponunt potentias racionales operativas in ordine ad suam propriam perfectionem et actum, qui est operari. Et sic oportet quod virtus rationalis sit habitus operativus.

<sup>1</sup> Joan. a S. Thoma, *Isagoge*, I (Solesm.), p. 170-173.

4 **In articulo tertio**, ostendit quod virtus est habitus bonus (quod pertinet adhuc ad magis contrahentem<sup>1</sup> differentiam), quia virtus importat ultimum et perfectum potentiae, et sic virtus opponitur infirmo\* et defectuoso. \*n. 1697  
Quod ergo est virtus potentiae est perfectum et ultimum illius, ergo bonum seu non defectuosum.

5 **In articulo quarto**, colligit ex dictis definitionem virtutis quam tradit<sup>2</sup> Augustinus, II *De Libero Arbitrio*: « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur et<sup>3</sup> nullus male utitur. » Et si definiatur virtus infusa, additur illa particula: « Quam Deus in nobis sine nobis operatur. » Et sic comprehendit omnes causas virtutis: *formalem*, dicendo « quod est bona qualitas »<sup>4</sup>; *materialem* seu subjectivam, in ly « mentis »; *finalem*, quae est operatio, dicendo: « qua recte vivitur »; *efficientem*, dicendo quod est a Deo. *Objectiva* autem non ponitur, quia hæc dat speciem, hic autem definitur virtus in genere.

<sup>1</sup> Vivès: *contrariam*.

<sup>2</sup> *De Lib. Arb.*, Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1268).

<sup>3</sup> Vivès: *qua*.

<sup>4</sup> Vivès: *qualitatis*.

## QUÆSTIO LVI

## DE SUBJECTO VIRTUTIS

## SUMMA LITTERÆ

- 6 Discurrit D. Thomas per omnes potentias quæ possunt esse capaces virtutis, et ejus subjectum. Et ideo **in primo articulo**, præsupponit virtutem de qua agimus in præsentem esse in potentia tamquam in subjecto, eo quod virtus de qua agimus est habitus operativus importans perfectionem et disponens ad optimum, id est, ad finem qui in operatione consistit seu operatione assequitur; ergo virtus debet esse in potentia ut in subjecto.
- 7 **In secundo articulo**, ostendit non posse unam virtutem esse in pluribus potentiis quasi ex æquo et inhæ-sive seu principaliter, quia diversæ potentiae respiciunt diversas condiciones objectorum, et consequenter diversas dispositiones et habitus. Bene tamen potest una virtus entitative et principaliter esse in una potentia et participative in alia, quatenus movet et imprimet in illam, aliquidque in illam diffundit.
- 8 **In tertio articulo**, incipit discurrere circa potentias quæ in singulari sunt capaces virtutis. Et primo occurrit intellectus. Quem ostendit esse subjectum virtutis, tum intellectum speculativum, tum practicum, quia uterque est capax habitus seu dispositionis operativæ in ordine ad bonum seu perfectum actum talis potentiae. Sed cum hac differentia, quod intellectus speculativus habet virtutem dantem perfectam facultatem ad actum, sed non reddentem ipsum hominem bonum, quia non facit ut homo recte eo

utatur, sicut scientia et ars. In parte vero practica quatenus ordinat agibilia et est capax prudentiæ, etiam reddit bonum habentem, et facit bene uti facultate sua, quia supponit voluntatem rectam in ordine ad quam intellectus habet prudentiam, seu ex dependentia illius\*.

\* n. 1414

9 In articulo quarto, ostendit etiam appetitum sensitivum esse capacem virtutis moralis, non quidem secundum se consideratum et ex propriis meritis, sed quatenus subjacere potest imperio et motui rationis, sic enim participat aliquid de ratione et de indifferentia seu libertate, quatenus resistere potest rationi, et sic indiget habitu conformante ipsum rationi et faciente ei obedire.

10 In articulo quinto, ostendit vires sensitivas apprehensivas interiores esse quidem capaces alicujus habitus, quia sunt capaces consuetudinis, tamen ille habitus proprie non dicitur virtus, quia virtus est habitus perfectus ubi scilicet consummatur operatio. In viribus autem sensitivis non consummatur cognitio veri, sed præparatur ut intellectus cognoscat. E converso autem est in appetitu sensitivo, ubi consummatur motus voluntatis imperantis, non ab eo incipit.

11 In articulo sexto, ostendit voluntatem esse subjectum virtutis, quia licet in ordine ad objectum proportionatum sibi, quod est bonum proprium, sit sufficienter determinata per se sine superaddita virtute perficiente, tamen respectu boni divini quod est supra se, aut respectu boni proximi quod est ad alterum, non est ex se sufficienter inclinata et determinata, et sic indiget virtute superaddita, sicut est charitas, et justitia, et aliæ similes.

## DISPUTATIO XIV

### DE ESSENTIA VIRTUTIS IN COMMUNI

#### ARTICULUS PRIMUS

##### UTRUM HABITUS OPERATIVUS SIT ESSENTIALE GENUS VIRTUTIS?

12 I. — Definitio virtutis ex Augustino<sup>1</sup> tradita<sup>2</sup> a D. Thoma in articulo quarto hujus quæstionis LV sic habet : « Est bona qualitas mentis, qua<sup>3</sup> recte vivitur et<sup>4</sup> nullus male utitur, quam<sup>5</sup> Deus in nobis sine nobis operatur. »

13 Quæ ultima particula addita est ad designandum virtutes infusas, fortassis ea ratione ut definiretur virtus non solum quoad substantiam et speciem, sed etiam quoad statum secundum quem dirigitur ad æternam beatitudinem, quod non convenit sine informatione charitatis et virtutum infusarum.

<sup>1</sup> De Lib. Arb., Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1268).

<sup>2</sup> Sum. Théol., Ia-IIæ, q. 55, a. 4.

<sup>3</sup> Vivès : quæ.

<sup>4</sup> Vivès : qua.

<sup>5</sup> Vivès : et quam Deus in nobis operatur.

- 14 II. — In hac definitione non designatur pro genere virtutis habitus vel dispositio, sed solum qualitas, quæ utique est genus supremum non solum ad virtutes, sed etiam ad potentias communes.
- 15 Colligitur tamen clare ex particulis adjunctis non posse qualitatem sumi pro potentia seu facultate animæ, sed pro habitu determinato et certo, quia potentiis et facultatibus nostris sæpe male vivimus et male utimur, cum exhibemus membra nostra servire *iniquitati, ad iniquitatem*<sup>1</sup>. Qualitas ergo qua nec male vivitur, nec male utimur, neque potentia animæ est, neque facultas indifferens ad bonum et malum. Debet ergo esse illa qualitas de qua loquitur definitio habitus.

★ ★ ★

- 16 III. — *An vero* se habeat habitus ille vel qualitas tamquam verum et proprium genus; *an solum* se habeat loco generis tamquam subjectum: controversum est in Scholis, propter celebrem Scoti sententiam, qui in I, d. XVII, q. II<sup>2</sup> § *Quantum ad istum articulum*, existimat virtutem non habere habitum pro genere, sed pro subjecto, esseque principium operativum actus quantum ad entitatem et substantiam, non quantum ad moralitatem, id est, bonitatem vel malitiam. Dicit enim quod hæc est relatio quædam consecuta in actu ex ordine ad debitas circumstantias quas ratio proponit. Quam tamen relationem ad

<sup>1</sup> Cf. *Rom.* 6, 19.

<sup>2</sup> In I *Sent.*, dist. 17, q. 3, *Opera Omnia*, X (Vivès), p. 55 sq.

- instar qualitatis denominare dixit<sup>1</sup>, quæst. XVIII, littera quodlibetica L. De quo vide quæ diximus supra<sup>2</sup> disp. VIII, art. I. Ad relationem autem per se non datur actio, sed consecutio. Unde neque requiritur habitus per se et essentialiter ad operandum actum moraliter bonum ut bonus est, sed ad substantiam actus, quam relatio illa boni moralis consequitur.
- 17 Existimat enim Scotus moralitatem esse relationem quamdam accidentalem et supervenientem actui, quæ invariata entitate et substantia actus tollitur vel ponitur, et consequenter actus ipse non est genus ad bonum vel malum, sed subjectum.
- 18 Similiter ergo id dicendum est de habitu, quia hic proportionaliter se habet ad actum, et talis generatur et acquiritur secundum genus et speciem, qualis est actus a quo generatur et ad quem inclinatur.
- 19 IV. — Ex quo infert Scotus quod virtus solum est habitus præsuppositive et materialiter, non generice. *Secundo*, quod etiam virtus non est per se et formaliter et essentialiter operativa, sed præsuppositive in quantum supponitur habitus, qui est operativus et influens in substantiam actus. Respectu vero bonitatis operativa non est, quia illa bonitas, cum non sit aliud quam quædam relatio mensuræ et conformitatis ad rationem, non est directe et per se operabilis, cum ad relationem non detur per se actio.

<sup>1</sup> *Quodlib.*, quæst. quodl. 18, littera L, *Opera Omnia*, XXVI (Vivès), p. 236-237.

<sup>2</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 18, a. 1, disp. 8, a. 1, n. 5-6, V (Vivès), p. 618-619.

- 20 V. — Præcipuum fundamentum\* hujus sententiæ jam <sup>\*n. 69 sq.</sup> insinuatum est, deduciturque ex actibus ipsis in quibus bonum et malum sunt differentiæ accidentales, ita quod successive saltem possunt eidem actui convenire, solum variato aliquo extrinseco, verbi gratia, aliqua circumstantia vel ipsa lege : sicut actus comedendi carnes\* in se invariatus <sup>\*n. 76</sup> et perseverans, solum adveniente prohibitione vel tempore prohibito (quod totum est aliquid extrinsecum), redditur malus ; ergo similiter habitus manens idem in substantia et entitate et in individuo, potest mutari de bono morali in malum : eadem enim ratio est de actu et de habitu, cum ex similibus actibus generetur habitus, et in eosdem inclinet. Sed habitus non habet rationem virtutis ex præcisa ratione entitatis, sed ratione bonitatis moralis. Ergo si est bonus extrinsece et accidentaliter per relationem superadditam, etiam erit virtus extrinsece, et consequenter habitus non erit genus virtutis, sed subjectum.

o

- 21 VI. — Et videtur hæc sententia Scoti habere etiam vim in sententia patris Vazquez\*, quam supra retulimus, <sup>\*n. 61 sq.</sup> disputat. VIII, artic. I<sup>1</sup>, et ipse eam docet in hac *Prima Secundæ*, disp. XCV<sup>2</sup>, cap. IX, aliisque locis<sup>3</sup>.

- 22 Quod relatio convenientiæ vel disconvenientiæ ad legem, in quo ipse constituit moralitatem, solum convenit actui tamquam denominatio quædam extrinseca et relatio rationis, et sic peccatum esse non convenit actui nisi per

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Iam-IIæ, q. 18, a. 1, disp. 8, a. 1, n. 9, V (Vivès), p. 620.

<sup>2</sup> In Iam-IIæ, disp. 95, cap. 9.

<sup>3</sup> In Iam-IIæ, disp. 129, cap. 7.

aliquam extrinsecam denominationem, ergo neque habitui esse vitium. Sicut ergo peccatum habet actum pro subjecto, non pro genere, ita et vitium habet habitum pro subjecto. Eadem autem ratio est de vitio et de virtute, quia pari ratione convenit malitia vel bonitas moralis actui vel habitui.

- 23 VII. — Cæterum vidit hoc ipse pater Vazquez, disp. LXXXIV, cap. I, in fine<sup>1</sup>. Et licet sequatur in capite secundo<sup>2</sup> communem sententiam, quod habitus non sit subjectum, sed genus virtutis, cum tamen existimet actum moralem in sua substantia immutatum posse fieri de bono malum, vel e contra, conatur tamen reddere disparitatem inter actum et habitum, quia actio bona moralis, quæ procedit ab habitu, si incipiat esse mala, hoc ipso ab habitu non procedit, quia non ita prompte et delectabiliter fit, sicut ante : habitus autem non datur ad substantiam actus, sed ad modum, scilicet ut prompte et delectabiliter fiat. Unde non procedit amplius ab habitu, sed a potentia, et sic nunquam habitus mutatur de bono in malum, sed intrinsece et essentialiter bonus est, quia quod pertinet ad essentiam habitus, scilicet prompte et delectabiliter operari, nunquam se habet respectu mali, sed respectu boni.

\* \*

- 24 VIII. — Nihilominus communis sententia inter philosophos et theologos tenet virtutem formaliter esse habitum, et habere illum non pro subjecto, sed pro genere.

<sup>1</sup> In Iam-IIæ, disp. 84, cap. 1 in fine.

<sup>2</sup> In Iam-IIæ, disp. 84, cap. 2.

25 Et sine dubio est sententia Aristotelis, tum in *Prædicamentis*<sup>1</sup>, ubi in capite *De Qualitate* ponit virtutem in genere habitus; tum in II *Ethicorum*, cap. IV<sup>2</sup>, ubi inquit<sup>3</sup> quod « cum virtutes neque affectus sint, neque potentia, restat ut sint habitus ». Et quod senserit habitum esse genus virtutis, non subjectum, constat ex his quæ ibi concludit dicens: « Quid igitur sit ipsa virtus genere, diximus. » Et statim capite sequenti<sup>4</sup> tradit definitionem virtutis dicens: « Quod virtus est habitus a quo bonus efficitur homo. » Sumit ergo habitum pro genere, non pro subjecto, quia de habitu loquebatur quando dicebat se dixisse quid sit virtus in genere.

26 Et concordat definitio virtutis tradita ab Augustino<sup>5</sup>, quam D. Thomas expendit<sup>6</sup> hic articulo quarto, quod « virtus est bona qualitas mentis », etc. Si enim virtus habet qualitatem pro genere supremo, aliquod subalternum et proximum genus sub illo habere debet, nec aliud quam habitum, quia non est in genere potentia, nec alterius generis qualitatis, quia reliquæ particulae definitionis id non patiuntur, ut supra\* expendimus.

\*n. 15

27 Et difficultas Scoti, si quid probat, non minus excludit a genere virtutis ipsam qualitatem quam habitum, ipse enim in relatione constituit bonitatem moralem et radicationem virtutis, et sic a toto genere qualitatis eam excludit.

<sup>1</sup> *Cat.*, VIII (8 b 28).<sup>2</sup> *Vivès*: cap. V.<sup>3</sup> *Ethic.*, II, cap. 4 (1106a 12).<sup>4</sup> *Ethic.*, II, cap. 5 (1106a 18).<sup>5</sup> *De Lib. Arb.*, Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1268).<sup>6</sup> *Sum. Theol.*, I-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 4.

Nec poterat Scotus concedere virtuti genus qualitatis, nisi aliquod genus proximum illi assignaret sub quo collocaretur, nec aliud poterat ei assignare quam habitum, essetque eadem difficultas de quocumque alio quod illi assignaret.

o

28 IX. — **Nec valet responsio Scoti** in quaestione XVIII, *quodlibetica littera L*<sup>1</sup> quod virtus formaliter est relatio, licet explicetur ad instar qualitatis, quia ad modum qualitatis informat, ut pulchritudo et sanitas, quæ tamen ex pluribus consurgunt et relationem important.

29 *Sed contra est*, quia hoc modo Philosophus non explicasset id quod ibi intendit, scilicet ipsam quidditatem et propriam definitionem virtutis, si solum diceret id ad cuius instar est, et non id quod est. Ea enim ad quorum instar res aliqua concipi vel explicari potest, multa et varia sunt, et modo assimilatur isti, modo illi. Unde ex tali similitudine et comparatione ad instar non colligitur quid sit quidditative et proprie res aliqua. Et sic nihil certum habere possumus in dictis et sententiis Aristotelis, si in definitione et explicatione eorum quæ tractat licet nobis glossare quod non loquitur de eo quod res est proprie, sed de eo quod ad instar, quasi velit Philosophus quod virtus ex suo genere est habitus, seu qualitas, quia ad instar qualitatis denominat.

30 X. — **Nec juvari potest Scotus** ex ipso Aristotele dicente<sup>2</sup> in VII *Physicorum*, cap. III<sup>3</sup> quod virtutes omnes

<sup>1</sup> *Quodlib.*, quæst. quodl. 18, littera L, *Opera Omnia*, XXVI (Vivès), p. 236-237.<sup>2</sup> *Physic.*, VII, cap. 3 (246 a 10).<sup>3</sup> *Vivès*: cap. II.



et vitia dicuntur esse ad aliquid ; ergo bene intelligi quod Aristoteles formalitatem virtutis in relatione posuerit, licet materialiter sit habitus et qualitas, et ratione hujus optime dici possit quod ad instar qualitatis denominat.

31 Hoc inquam Scoto non succurrit, quia manifeste textus Philosophi solum loquitur de relatione secundum dici, qualis invenitur in potentia et in habitu ad suum actum et objectum, non de relatione aliqua extrahente a genere qualitatis. Dicit enim Philosophus sic : « Habitus enim virtutes et malitiæ sunt : virtus autem omnis et vitium ad aliquid est, quemadmodum sanitas temperatio quædam est calidorum ac humidorum. Similiter et pulchritudo et robur ad aliquid sunt : sunt enim dispositiones ejus quod præstantissimum est ad optimum. Atque id præstantissimum dico quod conservat, ac circa ipsam naturam disponit. Cum igitur virtutes quidem ac vitia sint ex his quæ sunt ad aliquid, hæc autem generationes non sunt, nec ipsorum sit generatio, nec alteratio omnino, patet circa habitus alterationes non esse. »

32 Ubi fit manifestum argumentum : Aristoteles intendit probare quod circa habitus non est immediate alteratio, quia sunt virtutes et vitia, quæ se habent ad aliquid ; sed habitus non sunt ad aliquid extra genus qualitatis, scilicet in prædicamento relationis ; ergo neque virtutes et vitia : aut consequentia Aristotelis nihil probat de habitibus. Et cum dicit quod virtutes sunt ad aliquid, explicat quod sunt dispositiones perfecti ad optimum, id est, ad actum et operationem ; ergo tales virtutes sunt relationes secundum dici, non extra genus qualitatis.

33 XI. — **Dices** : Quomodo ergo probat Philosophus ex hoc quod ad habitus non est per se alteratio, quia ad ea quæ sunt ad aliquid alteratio non est, cum constet quod alteratio solum non est ad aliquid, quod est vere relatio, ad qualitatem vero per se est alteratio, licet qualitas sit relatio secundum dici.

34 **Respondet** D. Thomas loco citato lect. V, in fine <sup>1</sup>, quod « non est intelligendum quod hujusmodi habitus et dispositiones hoc ipsum quod sunt, ad aliquid sint ; quia sic non essent in genere qualitatis, sed relationis : sed quia eorum ratio ex aliqua relatione dependet. Et quia hujusmodi habitus ad aliquid sunt ; et in ad aliquid non datur motus, neque generatio, neque alteratio (ut in quinto libro probatum est) <sup>2</sup>, manifestum est quod ad hujusmodi habitus non datur alteratio primo et per se ».

35 Quæ consequentia consistit in hoc quod licet habitus non sit relatio, si tamen habitus aliquis vel dispositio detur, quæ consurgit ex plurium coordinatione, et supponendo eorum relationem inter se et convenientiam, ut sanitas et pulchritudo, et alia similia, tunc propter illius relationis exigentiam non poterit immediate et per se primo dari motus ad talem habitum, sed primo dabitur ad qualitates illas seu res, ex quarum convenientia et coordinatione seu relatione resultare debet, et sine qua dari non potest.

36 XII. — Hanc eandem sententiam Aristotelis et definitionem Augustini quæ pro genere virtutis ponit qualitatem

<sup>1</sup> In *VII Phys.*, lect. 5, n. 6 in fine.  
In *V Phys.*, lect. 3, n. 7.

sequuntur omnes philosophi et theologi communiter, et videri possunt interpretes D. Thomæ super hanc quæstionem LV<sup>1</sup>, Cajetanus<sup>2</sup>, Conradus<sup>3</sup>, Medina hic<sup>4</sup>, Lorca disputatione XVIII<sup>5</sup>, Montesinos disputatione XXXVI, quæst. I<sup>6</sup>, Vazquez ubi supra<sup>7</sup>, Curiel super istum articulum primum, dubio unico<sup>8</sup>.

◊

37 XIII. — Fundamentum hujus sententiæ tradi potest : *tum in generali* loquendo de omni virtute etiam intellectuali, et de infusa et acquisita ; *tum in speciali* loquendo de sola virtute morali.

38 *In primo sensu*, credo quod nec Scotus neque aliquis alius negat omnem virtutem, etiam intellectualem, esse habitum formaliter loquendo, et non solum præsuppositive et quasi subjective.

39 Nam in virtutibus intellectualibus, ut sapientia et scientia, cessat ratio et fundamentum Scoti, quia tales habitus non sunt indifferentes ad verum et falsum, certum vel incertum, sicut ipse putat habitus morales esse indifferentes ad bonum et malum, quia in scientiis ordo ad objectum scibile non specificat habitum nisi in quantum evidenter est cognoscibile, quia non est **objectum** scibile nisi prout

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55.

<sup>2</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1.

<sup>3</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1.

<sup>4</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1.

<sup>5</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1, disp. 18.

<sup>6</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1, disp. 36, q. 1.

<sup>7</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, disp. 84, cap. 2.

<sup>8</sup> In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 1, *dub. unic.*

deducibile ex principiis evidentibus et certis : ergo objectum illud hoc ipso quod specificat habitum ut scibile, specificat illum ut evidenter deducibile ex principiis evidentibus ; ergo non potest talis habitus mutari in aliquid incertum et opinabile nisi mutetur tota specificatio et essentialis ratio talis habitus, quia non manebit scientia sed opinio. Et sic ratio ipsa habitus in talibus virtutibus non se habet tamquam subjectum, quod potest transire de uno in aliud, sed tamquam genus.

40 XIV. — Loquendo autem *in secundo\* sensu* de virtutibus <sup>\*n. 37</sup> moralibus, aut saltem quæ non sunt pure intellectuales, in primis\* ostenditur in prudentia quod non currit in illa eadem <sup>\*n. 45, 47</sup> ratio quæ in virtutibus moralibus, quæ sunt in voluntate, ut non habeant habitum pro genere, sed pro subjecto, quia in aliis virtutibus invenit Scotus hoc effugium quod tales virtutes non habent bonitatem moralem ex se et ab intrinseco, sed ex denominatione extrinseca et subordinatione ad legem, ad prudentiam, etc., possuntque mutari de bono in malum, et e contra, mutatis istis denominationibus.

41 At vero in prudentia\* hoc non potest reperiri, nec ipsa <sup>\*n. 56</sup> potest mutari per extrinsecam denominationem de bono in malum, quia si ipsa non haberet per se intrinsece ordinem ad bonum morale et ad regulam bonitatis, et consequenter esset<sup>1</sup> in se intrinsece bona, quia ordo iste bonitas est, sequeretur quod deberet habere istam bonitatem per participationem et denominationem ab alio, et ex conjunctione ad alium habitum vel ad aliud principium unde illi talis denominatio proveniret. Ex quo sequeretur quod ipsa prudentia

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : non esset.

non esset regulans et dirigens virtutes, sed regulata et directa ab alio habitu.

- 42 XV. — Et de illo habitu rursus inquiram, *an* ex propria ratione intrinseca habeat bonitatem moralem seu ordinem ad regulam bonitatis, *an* ex participatione alterius habitus vel principii.
- 43 *Si hoc secundum*, erit processus in infinitum, quia de quocumque habitu id inquiram.
- 44 *Si dicatur primum*, jam habemus intentum, quod aliqua virtus, scilicet prudentia, vel illa quæ dat regulam reliquis virtutibus, non ex denominatione extrinseca quæ possit mutari de bono in malum, sed per intrinsecum ordinem ad regulam et objectum bonum id habet, quia debet ille ordo esse immutabilis et invariabilis in prudentia, vel in illa virtute regulante alias. Ergo debet esse intrinsecus illi, et non per extrinsecam denominationem conveniens, ita taliter quod possit oppositum convenire, quia alias prudentia ipsa non esset regulans, sed ab alio acciperet denominationem extrinsecam regulandi, quod tamen omnino stare non potest, quia sicut scientia in speculabilibus procedit ex principiis propriis ad deducendas conclusiones lumine illativo ex principiis deducto, ita procedit prudentia ex principiis practicis deducendo regulationem, quæ hic et nunc facienda est in electione virtutum. Ergo sicut in scientiis non est extrinseca denominatio, sed intrinseca habitudo et ordo talia principia respicere, et ex eis deducere conclusiones scibiles, ita non erit in ipsa prudentia denominatio extrinseca, sed ordo et habitudo intrinseca respicere principia practica

regulativa boni, et ex eis elicere per discursum et iudicium regulationem bonam ipsarum virtutum quæ sunt in voluntate.

- 45 XVI. — Deinde\* loquendo de habitibus seu virtutibus moralibus infusis, similiter ostenditur non habere locum fundamentum\* Scoti, quia isti habitus supernaturales sunt et operantur supernaturaliter; ergo non indifferenter ad bonum et malum, quia supernaturalis habitus non potest operari nisi actum supernaturalem; actus autem supernaturalis malus esse non potest et peccatum, alias concurreret Deus tamquam auctor supernaturalis ad entitatem materialem peccati, quod est operari ad illum speciali et supernaturali concursu: repugnat autem quod potentia aliqua operetur supernaturaliter et ut elevata aliquem actum, in quo tamen fundatur defectus et aversio a Deo, quod est totaliter oppositum elevationi ad ordinem divinum in eodemmet actu.
- 46 *Quod si dicatur* supernaturalitatem non esse aliquid intrinsecum in actibus et habitibus supernaturalibus, et sic nullam virtutem aut actum esse ex sua specie et essentiali ratione supernaturalem, hoc est negare virtutes ex specie sua supernaturales et infusas, de quo inferius\* nobis agendum est tractando de distinctione virtutum. \*n. 40, 45
- 47 XVII. — Ex his autem assurgimus ad probandum quod etiam\* virtutes morales in voluntate residentes essentialiter et formaliter sint habitus, non autem solum dicantur virtutes per extrinsecam denominationem superadditam ipsi habitui tamquam subjecto. \*n. 1170 sqq.

48 **Et primo hoc\* constat** ex opposito fundamento Scoti, \*n. 47 quia actus moralis tendit ad objectum quatenus morale per intrinsecam et veram tendentiam, non per denominationem extrinsecam ipsi superadditam (ut probavimus supra<sup>1</sup>, disputat. VIII, art. I), eo quod moralitas actus est ordinabilitas tendentiæ et respectus ejus ad objectum, non solum quatenus volitum et appetibile, sed quatenus rationabile, seu regulis et ordinationi rationis subjectum, quæ tendentia et respectus actui non convenit per extrinsecam denominationem, sed per realem et intrinsecum ordinem seu proportionem ejus ad objectum. Ergo similiter habitus, qui ex talibus actibus generantur, non habebunt rationem moralitatis per denominationem extrinsecam, sed per intrinsecam et realem inclinationem, seu tendentiam in actu primo ad objectum ut morale et regulatum per rationem.

49 Et sic ex opposito fundamento Scoti colligimus oppositam conclusionem. Si enim ideo negat virtutem formaliter et essentialiter esse habitum, quia in actu quo habitus generatur moralitas est denominatio extrinseca, quæ solum habet actum pro subjecto, non pro genere formali, everso hoc fundamento, et ostenso quod actus moralis in quantum moralis non habet actum præcise pro subjecto, nec moralitas est denominatio extrinseca in actu, sed intrinsecus et realis ordo ejus ad objectum ut regulatum, corrumpit sententia Scoti de habitu ipso quod non sit genus virtutis, sed præcise subjectum.

50 XVIII. — **Confirmatur et explicatur hoc\***, exemplo \*n. 47 virtutum quæ sunt in intellectu. Dantur enim in intellectu

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 18, a. 1, disp. 8, a. 1, n. 9, V (Vivès), p. 620.

habitus qui inclinant in objectum, non solum quatenus intelligibile est, sed quatenus sic vel sic ordinabile et dirigibile, ita quod non habent hanc directionem aut respectum regulabilitatis per denominationem extrinsecam, et tamquam subjectum illius directionis, sed per extrinsecam<sup>1</sup> et realem tendentiam ad tale objectum ut subest tali directioni, ideoque hoc essentialiter pertinet ad talem habitum. Ergo similiter id erit in voluntate, nec aliqua repugnantia reperitur quod habitus voluntatis, non ex denominatione extrinseca, sed per veram et realem tendentiam respiciat objectum ut regulabile et ordinatum, sicut ipse actus potest respicere, et sicut respiciunt in sua linea et ordine habitus intellectivi.

51 *Antecedens probatur*, nam habitus scientificus respicit conclusiones ut deducibiles ex principiis modo artificioso et ordinato per regulas Logicæ, et hanc ordinationem in objecto suo non attingit per extrinsecam denominationem, neque illi convenit sic, sed inclinat ad objectum sic ordinatum per veram et realem tendentiam et ordinem habitus scientifici ad tale objectum sic ordinate dispositum et deductum.

52 Similiter ars est habitus qui fertur in objectum suum ut artificiose dispositum et ordinatum, neque hanc inclinationem et tendentiam habet per aliquam extrinsecam denominationem, sed per veram et realem tendentiam in ipsum, ita quod non habitus subjectum, sed verum genus artis, sicut et scientiæ et aliorum habituum intellectualium.

53 Ergo eadem ratione non repugnabit quod virtus moralis respiciat objectum ordinatum regulis rationis per veram et

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur : intrinsecam.

realem tendentiam in ipsum quatenus sic regulabile est, et non per extrinsecam denominationem.

54 Quod exemplum maxime servit pro hac nostra materia, quia sicut effectus artificiales sunt res ut mensuratæ regulis artis, sic actus morales sunt res ut mensuratæ regulis moris et prudentiæ ; ergo sicut illi etiam ut artificiales respiciuntur ab habitu per intrinsecum et essentialem respectum, ita et hi in quantum morales.

55 XIX. — Nec est inconueniens quod per realem actum et habitum attingatur in objecto aliquid quod in ipso est respectus rationis, vel privatio, aut denominatio extrinseca : nam per veros et reales actus voluntatis attingimus multa quæ sunt respectus rationis, aut extrinsecæ denominationes, ut sunt multi honores, quia non nisi in talibus denominationibus consistunt, ut esse iudicem, esse doctorem, et similia. Et per intellectum multa quæ sunt ficta consideramus, ut chimæram, et per Logicam, genera et species aliasque intentiones rationis attingimus ; ergo non est inconueniens quod dantur actus et habitus qui per veram et realem tendentiam respiciant id quod est regulabile per rationem et morale in objecto, licet in eo sic ordinari a lege et ratione aliquid intrinsecum et reale non sit.

56 XX. — **Denique** ex hoc sumitur ratio quasi a priori hujus sententiæ, quia non repugnat dari habitum, qui per veram et realem tendentiam respiciat bonum morale et regulam moralem, imponendo illam, dirigendo voluntatem ad illam, sicut patet in prudentia, quæ formaliter et essentialiter est habitus, etiam in quantum virtus prudentiæ

est, ut probavimus\*, et id etiam patet in scientiis et artibus, aliisque virtutibus intellectualibus, quæ formaliter et essentialiter sunt habitus, ita quod habent habitum pro genere, non pro subjecto præcise. Ergo similiter non repugnabit ex parte voluntatis dari habitum, qui non per denominationem extrinsecam dicatur moralis, sed per veram et realem tendentiam in objectum regulatum regulis rationis virtus dicatur. \*n. 41 sq.

57 Quod autem moralitatem sortitur per veram et realem tendentiam in objectum, oportet quod etiam in quantum moralis est et in quantum virtus habitus sit, si in actu primo tendit et inclinatur in tale objectum, vel actus si in actu secundo respicit, quia tendere in objecta per veram et realem tendentiam proprium est actuum, habituum et potentiarum.

58 *Consequentia probatur*, quia sicut requiritur et datur habitus, qui per modum dirigentis et regulantis tendit in objectum morale sicut prudentia\*, neque hoc illi convenit per aliquam extrinsecam denominationem, sed quia vere ejus objectum est, ita requiretur habitus in voluntate qui tendat in objectum morale per modum regulati et directi a tali prudentia et ratione. Nec enim minoris difficultatis est, nec minus requirit habitum, hoc quod est obedire et subjici ac regulari, et sic respicere objectum ut regulatum, quam imperare et regulam imponere seu moderari, sicut facit prudentia. \*n. 41 sq.

59 Et sicut est perfectio superioris præcipere et regulare, ideoque potest hoc fieri formaliter per habitum, qui ad id

tendat etiam in quantum objectum illud morale est, neque id habet per denominationem extrinsecam, ita est perfectio inferioris regulari et subjici atque obedire morali modo, idque valde difficile est voluntati.

- 60 Ergo ad eam difficultatem vincendam etiam in genere morali, formaliter et essentialiter requiret habitum, sicut ad alias difficultates requiritur. Cur ergo in vincendis aliis difficultatibus habitus ponimus formaliter et essentialiter, in difficultatibus autem moralibus vincendis, quæ tam magnæ sunt, non requiretur?

★ ★ ★

#### QUID DE SENTENTIA PATRIS VAZQUEZ?

- 61 XXI. — Licet pater Vazquez\* nobiscum conveniat in \*n. 21 sq. rejicienda Scoti sententia, quod virtus non sit formaliter habitus, sed denominative, ut moralis est, tamen in duobus deficit.
- 62 *Primum\**, quod habitus solum influat in modum operationis, non in ejus substantiam, et adhuc hoc dato\*, non \*n. 66 concludit quod manet idem actus quando transit de bono in malum, per hoc quod non fiat æque prompte ac delectabiliter nunc atque antea.
- 63 *Secundum\** est, quod bonitas vel malitia actus solum \*n. 64 consistat in illa extrinseca denominatione rationis.

○

- 64 XXII. — Hoc *secundum\** late impugnavimus supra <sup>1</sup> \*n. 63 quæst. XVIII, disp. VIII, art. I, cum constet ex diversa regulatione objecti sufficienter sumi diversam specificationem in actu, et habitudinem seu ordinem ad tale objectum sic diversimode regulatum. Cum etiam possit dari realis actus et tendentia ad objectum quod in se est aliquid fictum aut aliquid rationis, ut multis exemplis ibi ostendimus\* : imo omnia objecta ficta et chimerica per reales \*n. 55 actus finguntur, intelliguntur, vel appetuntur. Nec enim isti actus habent realem tendentiam per ordinem ad objectum realiter in se existens : sufficit quod repræsentative et intentionaliter existat in aliqua specie, et quidquid realiter repræsentatur, id est, per reales actus. Per eosdem ergo realiter potest appeti, et ab illis moralizari et regulari.

\* \*

- 65 XXIII. — Circa *primum\** vero, jam supra disputatione \*n. 62 præcedenti <sup>2</sup> ostendimus habitum non solum influere in modum actus, sed etiam in substantiam et speciem, cum constet habitus differre specie penes diversam speciem actuum ad quos inclinant, non solum penes diversum modum delectabiliter et prompte operandi : hoc enim omni habitui commune est ; ergo non solum respiciunt et influunt ipsum modum actus, sed etiam in ipsam substantiam, quia substantia actus species ejus est, et secundum hanc speciem distinguuntur habitus specificè ; ergo respiciunt illam ut proprium specificativum ; ergo in illam influunt, quia id faciunt habitus in actibus quod eos specificat.

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>o</sup>, q. 18, a. 1, disp. 8, a. 1, V (Vivès), p. 619 sq.

<sup>2</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>o</sup>, q. 49, a. 3, disp. 13, a. 4, VI (Vivès), p. 276-293.

66 Quod autem, etiam hoc dato\*, adhuc non sequatur id \*n. 62 quod Vazquez intendit, manifeste probatur.

67 *Tum* quia multoties actus eo tempore quo incipit prohibitio, fit prompte et delectabiliter, et magis quam ante, ut si quis tempore quo incipit tempus prohibitum comedendi carnes, suavius et delectabilius et cum majori alacritate et attentione incipiat comedere illas, in hoc enim nulla repugnantia est.

68 XXIV. — *Tum etiam*, quia si ille actus antea procedebat ab habitu prompte et delectabiliter, et modo non procedit, quia non potest delectari secundum rationem si advertat ad illam prohibitionem, licet delectetur secundum appetitum; ergo jam est alius actus et intrinsece mutatus: nam actum esse promptum et delectabilem in modo procedendi aliqua perfectio est in ipso actu, id est, aliqua ejus intensio, aut fervor, aut major connaturalitas derivata et participata ab habitu. Nullus autem actus mutat perfectiones sibi inhærentes, nisi mutatio hæc sibi proveniat ex ipso principio a quo elicitur; ergo oportet quod de novo procedat, aut de novo sibi communicetur vel tollatur aliquid ab ipsa potentia a qua emanat, et illud sic emanare et procedere de novo aliqua intrinseca mutatio est. Et præsertim cum fiat per novam advertentiam intellectus sic de novo proponentis objectum tamquam prohibitum, sic enim ex tali propositione et advertentia necesse est sequi in voluntate aliquam impressionem et aliquem motum: ex omni enim propositione nova qua movetur voluntas, oportet quod in ipso motu seu actu resultet nova aliqua proportio in voluntate cum intellectu, quod utique non fit sine novo actu vel mutatione in voluntate.

\* \* \*

69 XXV. — Ad fundamentum Scoti supra\* propositum, \*n. 20 *respondetur* actus proprios et elicitos\* a voluntate non esse \*n. 73 bonos vel malos per extrinsecam denominationem, sed per ipsum intrinsecum et transcendentalem ordinem, quo actus fertur in objectum ut appetibile, fertur in ipsum ut regulabile a ratione (ut supra late ostendimus<sup>1</sup>, disp. VIII, articulo I et II).

70 Hoc enim quod est objectum esse regulatum a ratione, ejusque regulis subjicibile, licet accidentaliter conveniat ipsi objecto appetibili ut habet bonitatem naturalem, tamen omnino illi adjunctum est, quia ipsum appetibile voluntarium de se natum est regulari regulis rationis. Unde actus voluntatis, qui suo transcendentali respectu et ordine fertur in objectum appetibile ut potest attingere quidquid appetibili objecto conjunctum est, et ratione talis appetibilitatis natum est convenire, sicut est ista regulabilitas seu moralitas objectiva.

71 Sicut visus eodem respectu et tendentia qua attingit proprium suum objectum quod est coloratum, attingit<sup>2</sup> sensibile commune, quod illi accidit, sicut motum et quietem, figuram, etc. Licet enim hæc accidant colorato, tamen quia illi conjuncta, eodem reali et transcendentali respectu attinguntur quo ipsum coloratum, potestque mutari visio si in his accidentalibus conditionibus mutetur objectum,

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 18, disp. 8, a. 1 et 2, V (Vivès), p. 619 sq.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 78, a. 3 ad 2 — In II *De Anima*, lect. 13, n. 386 (Pirotta).

quia diverso modo movet, et sic saltem modaliter aut individualiter actum visionis mutare possunt.

- 72 Sic voluntatis actus, qui immediate regulantur apprehensione rationis, eodem\* respectu et habitudine qua tendunt in ipsum ut regulatum et subjectum rationi per quam proponuntur, licet hoc quod est esse regulatum accidentaliter\* se habeat ad hoc quod est esse bonum : et quia esse cognitum et ex cognitione regulatum est conditio omnino requisita ad objectum voluntatis, et aut illum concomitans et consequens, ideo eodem reali respectu quo attingitur unum, attingitur et aliud. \*n. 75  
\*n. 55
- 73 XXVI. — Actus vero externi, et non elicit\* a voluntate, solum denominative participant regulationem rationis, eo scilicet modo quo fuerint voluntarii, et sic in eis non currit id quod in actibus voluntatis, a quibus tamen generantur habitus virtutum, quia virtutes in voluntate sunt, non in potentiis externis. \*n. 69
- 74 Appetitus tamen sensitivus, quia intrinsece participare potest aliquid de voluntario et libero, quatenus movetur solum politice a voluntate et cum quadam resistentia, potest eadem ratione tendere in moralitatem objecti, et per actus suos generare virtutem. De quo infra\* dicemus, et circa quaestionem LXXIV de subjecto <sup>1</sup> peccatorum. \*n. 331 sqq.

o

- 75 XXVII. — Quare ad argumentum\*, negamus totum quod praesupponit, scilicet quod in actu elicit a voluntate

<sup>1</sup> Cf. *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>a</sup>, q. 20, disp. 11, a. 5, n. 9, VI (Vivès), p. 58-59.

moralitas sit extrinseca denominatio, aut sola relatio praedicamentalis accidentaliter superveniens actui, sed ipsa tendentia in actu ad objectum, illa est quae constituit moralitatem in actibus elicitis a voluntate, quia illi sunt ex propria ratione et ex proprio objecto immediate regulabiles a ratione, et consequenter eadem\* tendentia qua tendunt ad objectum ut bonum bonitate naturali et appetibili, tendunt ad objectum ut regulatum a ratione, quia hoc est adjunctum tali objecto, licet accidentaliter\* se habeat ad ipsam bonitatem naturalem : non enim repugnat attingi aliquod objectum et accidens illius, sicut in visu\* attingitur coloratum et figura eodem respectu et tendentia, licet figura sit accidens etiam in ratione visibilis ipsi colorato, quia non est proprium ejus objectum, sed sensibile commune. \*n. 72  
\*n. 55  
\*n. 71

- 76 In exemplo autem quod adducitur\* de esu carnum in die non prohibito, quando continuatur de uno ad alium, non potest fieri vis, quia ille actus externae manducationis solum extrinsece\* est liber et moralis, non per intrinsecam tendentiam in objectum proprium, nec prout elicitur a sua immediata potentia, sed solum ex imperio voluntatis, quod illi actui extrinsecum est. \*n. 20  
\*n. 73

\* \*

- 77 XXVIII. — Sed adhuc instabis\* pro sententia ista Scoti. Nam D. Thomas, in hac *Prima Secundae*, quaest. LXVI, artic. III,<sup>1</sup> dicit quod virtus intellectualis est perfectior in ratione habitus\*, moralis autem in ratione virtutis : quod stare non potest si utriusque virtutis genus est habitus, sic enim non posset habitus esse perfectior in una virtute quam

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>a</sup>, q. 66, a. 3.



in alia, sed ejusdem rationis, quia genus æquale esse debet respectu suarum specierum.

78 XXIX. — *Confirmatur\**, quia virtus ex conjunctione ad prudentiam et regulatione illius habet rationem virtutis, quia inde habet moralitatem, siquidem moralitas in virtutibus est regulabilitas per prudentiam. Et tamen amissa prudentia per peccatum adhuc manet habitus virtutis, licet non ratio ipsa virtutis in ratione boni et virtuosi moralis; ergo virtus non est formaliter et essentialiter habitus, sed solum præsuppositive et materialiter. \*n. 84

79 *Consequentia patet*, quia quod potest mutari de uno in aliud manente eadem substantia habitus, accidentaliter sibi convenit; quod vero est genus essenziale, non remanet destructa specie seu differentia contrahente, alias eadem entitas generis transiret de specie in speciem.

80 *Antecedens vero probatur*, primo\* in eo qui amittit gratiam per peccatum, et simul amittit virtutem prudentiæ, et tamen virtus acquisita quam habebat, verbi gratia, temperantia vel fortitudo, et aliæ virtutes acquisitæ non amittuntur in esse qualitatis et habitus, quia isti habitus sicut non acquiruntur unico actu, ita nec unico amittuntur, sed pluribus; et tamen post unicum actum peccati non manet ille habitus in esse et ratione virtutis, quia non inclinatur ad operandum secundum debitum finem, quia est aversus ab illo, et consequenter neque secundum regulationem prudentiæ, quæ sine rectificatione finis debiti non potest regulare virtutes in debita electione mediorum: hæc enim dependet a recta intentione finis. Ergo ille habitus

non dicitur virtus moralis, neque denominat virtuosum habentem illum, et tamen habitus est; ergo non est formaliter et essentialiter habitus, sed materialiter et præsuppositive.

81 XXX. — Secundo\* idem probatur, quia totum genus moris est accidens respectu actus vel habitus considerati in genere physico et naturæ; sed illa entitas et substantia habitus pertinet ad genus naturæ, ut patet, quia etiam in actibus et habitibus malis tota entitas a Deo est; ergo illa substantia et entitas habitus pertinet ad genus naturæ. Id autem quod accidentaliter comparatur ad alterum non contrahit illud ut fundamentum et subjectum; ergo non potest virtus moralis habere habitum pro genere essentiali, sed pro subjecto et substrato super quod fundetur. \*n. 80, 88 sq.

o

82 XXXI. — *Respondetur\** D. Thomam in illo loco<sup>1</sup> non\* dicere quod virtutes intellectuales sunt nobiliores in ratione habitus, seu in ipsa ratione generica et communi, quam virtutes morales, sed dicit quod virtutes intellectuales sunt habitus nobiliores quam morales, et hoc verissimum est; sed hoc habent illæ virtutes ratione suæ differentiæ specificæ, non ratione gradus generici: sicut si diceremus quod homo est nobilior animal quam equus, verissima propositio est specificative loquendo, non reduplicative in ratione generica animalis: sic virtutes intellectuales sunt nobiliores habitus, specificative ratione intellectualitatis, non ratione ipsius habitus in communi sumpti. \*n. 77

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3.

\*n. 1691,  
1731 sq.

83 Quod vero dicit<sup>1</sup> S. Thomas quod virtutes morales magis habent rationem virtutis quam intellectuales, intelligitur non simpliciter et ex parte specificationis et perfectionis substantialis, quæ desumitur ex objecto, sed quoad denominationem virtuosi et boni ex parte subjecti\*. Virtus enim moralis, cum sit inclinatio ex parte voluntatis, perfectior et efficacior est in movendo et exercendo operationes suppositi, intellectualis autem in speculando et contemplando vel abstrahendo. Quod autem abstractius est, est quidem nobilius ex parte objecti quantum ad immaterialitatem, minus autem efficax quoad usum et exercitium practicum, quo aliæ potentiæ vel personæ aguntur vel diriguntur. Virtus autem in ratione virtutis magis importat ordinem ad agendum et exercendum practice quam ad speculandum, est enim virtus quasi robur et vis, qua subjectum agit et movet atque movetur. Et ideo magis\* resplendet ipsa ratio virtutis in principio motivo quoad exercitium et ex parte subjecti, qualis est voluntas\*, quam ex parte objecti et specificationis, quod est intellectus. Virtus autem moralis est in voluntate, et ideo magis sortitur rationem et officium virtutis, id est, vis moventis.

84 XXXII. — *Ad confirmationem\**, respondetur virtutes morales ex sua intrinseca ratione dicere ordinem ad prudentiam tamquam ad regulativam sui, ratione cujus sunt in statu virtutis. Quod si amittatur prudentia per peccatum, sicut ipsa gratia amittitur, remanet habitus virtutis quoad entitatem, sed non quoad statum virtutis, et ideo non potest tunc operari debitam operationem, quia manet sine regu-

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>o</sup>, q. 66, a. 3.

lante et dirigente, quod est prudentia, aut sine ordinante in supernaturalem finem, quod est charitas.

85 Cæterum in sua intrinseca et essentiali specificatione manet illa virtus ut inclinatio quædam ad rectam operationem sicut antea, licet impedita ex defectu regulantis extrinseci: sicut scientia subalternata remota subalternante remanet scientia specificative sicut antea, licet quoad exercitium impedita ne resolvat suas conclusiones ad principia, quæ præstantur illi a subalternante; tamen in ratione et specie scientiæ non minus inclinatur ad sciendum sicut antea, non ad opinandum, vel errandum.

86 Similiter virtus moralis, remota prudentia, manet essentialiter et specificative virtus sicut ante, licet non quoad statum et exercitium, ex defectu regulantis extrinseci, nec manet inclinatio mala aut vitiosa, sed bona, et ad rectam operationem quantum est ex vi specificationis suæ.

87 Cujus signum est quod recuperata gratia, et prudentia, non acquiritur de novo virtus illa, sed solum formatur quoad statum, id est, dirigitur a prudentia ad recte operandum: sicut quando lapis projicitur sursum, gravitas ibi manet intrinsece et substantialiter, sed impedita ne exeat in suum actum, id est, in descensum quamdiu manet impulsus faciens ascendere, quia ascensus non procedit utique a sua gravitate, sed ab impulsu.

88 XXXIII. — *Ad secundam\* probationem*, dicimus quod ipsa entitas habitus seu actus, si sumatur præcise quoad prædicata entitativa et naturalia, non se habet ut genus,

sed ut fundamentum vel subjectum moralitatis, ut supra<sup>1</sup> disputatione VIII, articulo secundo, diximus. Sed habitus ipse vel actus consideratus ut dirigibilis per regulas rationis est genus ad diversos modos regulationis secundum diversa objecta et diversam ordinationem ad ipsas regulas moris.

89 Sicut in artificialibus, genus hujus artefacti, verbi gratia, cathedræ aut navis, non est lignum secundum quod consideratur in suo esse naturali ligni vel arboris, sed ut consideratur ut pertinens ad lineam artificialis, id est, ut subjectum ordinationi artis et formatum ab arte, sic consideratur secundum rationem artificiale in communi et in confuso, et est genus ad diversos modos et formas artefactorum, quæ in linea artificiali continentur, verbi gratia, ad artefactum navis, currus, cathedræ, etc.

90 Eodem modo consideratur virtus in genere morali, sicut quoddam artefactum in genere artificiali, quod habet quidem rationem qualitatis et habitus considerati in esse naturæ, et quantum ad physicam entitatem pro materia et subjecto moralitatis, ordinationis et commensurationis ad rationem. Cæterum si ipse habitus vel actus consideretur ut regulis rationis subjectus, et per ipsas ordinabilis, sic est genus ad omnes differentias et species quæ sub hac linea continentur, sicut lignum artefactum ad omnes species artificiales, quæ ex ligno fiunt.

91 XXXIV. — **Dices\*** : Non videtur amplius quam hoc \*n. 92 dicere sententia Scoti, quam hucusque impugnamus, siquidem jam simpliciter fatemur quod habitus secundum

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>e</sup>, q. 18, disp. 8, a. 2, n. 2-14, V (Vivès), p. 640-644.

suum esse entitativum et in genere naturæ consideratus non est genus ad virtutem et vitium, et ad reliquas species morales, sed omnis moralitas comparatur ad habitum ut ad subjectum et materiam. Quod vero habitus consideratus ut in linea morali sit genus ad species moralitatis, nec Scotus, nec aliquis negare potest, sicut corpus ut coloratum est genus ad omnes species colorum ; et tamen simpliciter corpus non est genus, sed subjectum colorum. Ergo conveniemus cum sententia Scoti.

92 XXXV. — **Respondetur\*** sententiam Scoti non in hoc \*n. 91 stare quod habitus vel actus prout præcise consideratus physice et entitative seu in esse naturæ sit subjectum et fundamentum moralitatis, de hoc enim controversia esse non potest, sed in hoc\* quod ratio ipsa virtutis, ut ratio \*n. 101 sq. moralis\* est, non habeat pro genere aliquid operativum, \*n. 47 sq. sive in actu primo in habitibus, sive in actu secundo pro actibus, quia existimat moralitatem esse relationem quamdam consecutam in actu vel habitu, quæ nec operativa est, nec ad illam datur per se motus. Unde neque habitum in esse naturæ consideratum vult esse genus virtutis (quod nos etiam dicimus\*), neque habitum ut humanum esse \*n. 88 sq. operativum vult ; sed solum esse relativum, et sic in ratione habitus operativi non posse esse genus ad morales differentias virtutis et vitii, quia tota ratio operativi dicit pertinere in habitu ad lineam et genus naturæ, non ad lineam moralitatis.

93 Nos autem dicimus habitum non solum in entitate physica et linea naturæ, sed etiam in linea et genere moris esse operativum, et non mere relativum (ut latius articulo

sequenti dicitur\*), et sic rationem qualitatis operativæ, \*n. 100 sqq. sive in habitu, sive in actu, esse genus ad differentias et species morales, non quidem sub ratione physicæ entitatis præcise, sed ut ordinabilis per regulas rationis, sub hac enim ratione etiam operatio vel operativum\* esse debet, \*n. 97 quia ratio ipsa moralitatis in ordine ad objectum consistit quod attingit operando, sive in actu secundo, sive in actu primo, vel per oppositum, id est, per operationis omissionem, ut explicavimus <sup>1</sup> disp. VIII, artic. I et II.

94 In hoc consistit differentia inter nostram et Scoti sententiam, non in eo quod actus vel habitus ut in linea et ordine entitatis physicæ et in esse naturæ non sit subjectum, sed genus, hoc enim stare non potest, cum sint lineæ et ordines diversi.

95 XXXVI. — **Quod si dicas\*** : Ars respicit artificialia, \*n. 96 sicut virtus moralia ; sed ars non est in duplici linea, entitativa et artificiali, sed totum hoc est unica ratio essentialiter constituens artem, ita quod tendentia in artificialia nullo modo habet pro subjecto entitatem habitus in esse physico ; ergo idem dicendum de habitu virtutis.

96 **Respondetur\*** esse disparem rationem, quia in arte \*n. 95 actus elicit non sunt artificiales, sed naturales, scilicet actus intellectus naturaliter elicit ; artificiale autem solum convenit effectibus ad extra, ut in artibus mechanicis, aut objectis per rationem ordinatis, ut in Logica. At vero in moralibus actus ipsi elicit morales sunt, et directione arbitraria et regulativa eliciuntur, non naturaliter. Et ideo

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 18, a. 1 et 2, V (Vivès), p. 619 sq.

consideratur in eis, et linea ordinis naturalis, et moralis, quales autem sunt actus generativi habituum, tales sunt et ipsi habitus. Et ideo in eis discernimus quod est naturæ, et quod est moralitatis. In arte tam actus quam habitus non sunt quid artificiale, sed solum eorum objecta.

## ARTICULUS II

UTRUM DIFFERENTIA CONSTITUTIVA VIRTUTIS SIT ILLA PARTICULA OPERATIVUS BONI ; VEL ILLA QUA NULLUS MALE UTITUR?

- 97 Duo pertinent ad rationem virtutis moralis. **Primum**, quod sit habitus operativus, etiam\* ut ingreditur lineam moralitatis, et versatur circa regulationem et ordinem rationis ; **secundum**, quod sit operativus boni seu inclinans ad bonum, ita privative<sup>1</sup> quod non possit inclinare ad malum. \*n. 93
- 98 Hæc enim determinant habitum in communi et generice sumptum, etiam in linea morali, et sic pertinent ad rationes differentiales et contrahentes, licet esse operativum sit differentia communior et superior ; esse autem operativum boni magis specifica, licet hæc etiam in varias species atomas dividatur juxta diversa objecta.
- 99 Et inde nascitur illa celebris difficultas, *an* ita sit propria differentia virtutis esse operativam boni quod nullo modo possit ad malum concurrere, neque ea aliquis male uti, neque actum malum ex objecto, neque ex circumstantia.



<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : perfective.

VIRTUS ETIAM MORALIS FORMALITER EST OPERATIVA

- 100 **I. — DICO PRIMO : Virtus etiam moralis non præsuppositive et materialiter, sed essentialiter et formaliter est operativa.**
- 101 Hæc conclusio præcipue exprimit id in quo sententia D. Thomæ opponitur sententiæ Scoti. Hoc enim ille videtur intendisse, scilicet quod ad lineam, genusque moralitatis, seu virtutis in quantum moralis, non\* pertineret ratio operativi, sed esse operativum solum se teneret ex parte entitatis materialis ipsius virtutis ; solum autem ad genus morale pertineret id quod relativum est. Et cum relatio non sit activa, neque ad illam detur per se motus, non intrat lineam et genus moralitatis ratio operativi. \*n. 92\_sq.
- 102 Et ideo, quia habitus potentiarum operativi sunt, non potest virtus in quantum moralis habere habitum pro genere, sed pro subjecto, quomodocumque habitus accipiatur, sive entitative, sive moraliter, seu ut intrat lineam et ordinem moralitatis per subjectionem ad regulas rationis, quia apud Scotum, licet habitus entitative et physice acceptus operativus sit, tamen moraliter solum est relativus, non operativus.
- 103 Nos autem dicimus quod etiam habitus ut ordinatus et mensuratus regulis rationis, et ut intrat ac pertinet ad ordinem moralem, est operativus, nec moralitas est mera et pura relatio, sed ordo operationis ipsius aut habitus ad agendum modo morali, id est, non solum id quod entitatis

est in ipso actu et operatione, sed id quod regulationis et ordinationis est in actibus erga regulas moris, quod totum aliquid reale et operabile est in ipsis actibus, ut diximus\* \*n. 48-60 præcedenti articulo.

\* \*

104 II. — Et sumitur hæc nostra conclusio\* ex D. Thoma \*n. 100 in hac quæstione LV, articulo II, <sup>1</sup> ubi eam docet, et communiter sequuntur eum omnes interpretes.

o

105 **Ratio autem et fundamentur** traditur a D. Thoma, et in præsentia a nobis explicandum est. In hunc modum proponitur: Virtus moralis perficit potentiam operativam in ordine ad proprium finem talis potentiæ; proprius autem finis talis potentiæ est operatio; ergo virtus etiam in quantum moralis debet esse ordinata ad operationem, scilicet moralem, et determinare potentiam in ordine ad hunc finem, qui est operari. Ergo oportet quod virtus ut moralis sit habitus operativus, siquidem ut talis est perfectio et determinatio potentiæ in ordine ad operari, nec enim perficit potentiam solum ut sit productiva et elicitiva actus ut est entitas quædam in genere naturæ, sed etiam ut est actus regulatus et subordinatus regulis rationis, et ut est moralis.

106 *Antecedens probatur*, quia virtus etiam ut moralis perficit potentiam in ordine ad proprium finem talis potentiæ, siquidem regulatio et mensuratio rationis, quod est ratio moralitatis, non convenit nec attribuitur potentiæ, verbi

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 2.

gratia, voluntati, nisi ut in operando et agendo mensurate et debite procedat, non in essendo, siquidem tota dissonantia aut error est in operando, vel non operando, secundum perfectionem propriam talis potentiæ, propria autem perfectio hominis et voluntatis ejus est secundum rationem\* \*n. 1454 vivere, et ly *vivere* dicit actum secundum, seu operationem. Ergo virtus, seu habitus ut moralis, id est, ut mensuratus debite per regulas rationis, perficit potentiam ut operativa est, et ut recte ac debite operetur, quia perficit secundum propriam perfectionem ejus et in ordine ad proprium finem. Ergo est habitus operativus, quia est propria perfectio habitus operativi.

★ ★ ★

107 III. — **Dices** illam consequentiam D. Thomæ non esse efficacem: **Habitus** perficit potentiam operativam, etiam ut operativa est; ergo ipse formaliter est operativus. *Instatur* enim hæc consequentia, quia potest perficere potentiam operativam, ut dispositio quædam, aut forma determinans, non ut activa et efficiens, sicut species\* \*n. 113 cognoscibilis perficit potentiam ut cognoscentem, atque adeo ut operantem seu elicentem, et tamen in sententia probabili non influit effective cum potentia et tamquam principium activum, sed solum formaliter repræsentative determinat.

o

108 Similiter lux\* perficit colorem ut moveat visum seu \*n. 116 emittat speciem, et tamen lux non producit illam active, sed color; nec enim lux potest producere repræsentationem viridis, vel albi, sed id fit a colore.



109 Item quantitas\* requiritur ad operandum modo sensibili et corporeo in omni virtute et potentia activa corporea, nec tamen perficit ut operativa et activa, sed ut conditio requisita. \*n. 119

110 Unde ergo sequitur quod habitus sit operativus, quia perficit potentiam operativam, cum perficere possit variis modis, non per modum activæ virtutis, sed tamquam conditio requisita, vel tamquam dispositio aut determinatio quædam pro tali potentia, quia etiam ratione multi censent gravitatem\* in lapide non esse vim activam motus deorsum, sed solum dispositionem quasi passivam, ut moveatur a suo generante quoties non impeditur. \*n. 120



111 Denique Scotus\* poterit respondere quod habitus est operativus et perficit potentiam operativam, si consideretur entitative et physice, non si moraliter: siquidem totum quod operativum est in virtute attribuit Scotus ipsi entitati\* habitus, non autem virtuti ut moralis est, quia hoc solum existimat\* ad relationem pertinere, non ad operationem. Et non desunt qui putent habitum non\* concurrere cum potentia elicitive et productive ad actum, sed solum esse conditionem, qua posita, a sola potentia actus elicitur et effective emanat. \*n. 121  
\*n. 92 sq.  
\*n. 101 sq.  
\*n. 128

\* \*

112 IV. — **Nihilominus** consequentia D. Thomæ optima est et valde formalis. Loquitur enim D. Thomas de per-

fectione potentiæ operativæ in ipsa ratione et linea operativæ, ita quod sit perfectio potentiæ ex parte ipsius potentiæ, ut principium est eliciendi, non ex parte alterius principii concurrentis cum potentia, aut alicujus conditionis requisitæ, sed in eadem ratione et linea qua potentia operativa est. Si enim potentia est principium operativum tamquam vis quædam animæ vitalis, sed indifferens et indeterminata in actu primo, quidquid determinat seu actuat et quasi acuit hanc potentiam ut eliciat, perficit eam in ea ratione qua operativa est, ergo operativum esse debet, alias non perficeret eam in ipsa vi operandi, sed in aliquo requisito, vel in aliquo comprincipio.



113 Species\* ergo intelligibilis determinat et perficit potentiam operativam non\* in ratione luminis aut vis elicitive et productivæ actus, sed ex parte objecti, quod est comprincipium cognitionis vice illius potentiam determinans, et illi uniens objectum ut possit intra se habere illud, et actum producere tendentem in objectum intra se unitum, et similitudinem ejus exprimere. Et ideo ad hoc primo et per se concurrere debet repræsentative et intentionaliter, hoc est, ut ex parte objecti vices gerens ad uniendum ipsum potentiæ, non ut ex parte potentiæ vitalem vim ejus actuans et determinans ut eliciat, quod facit habitus seu lumen. \*n. 107  
\*n. 321 sq.

114 Hoc autem quod in intellectu facit lumen, seu virtus potentiæ ut distincta a specie et objecto, facit etiam virtus moralis in voluntate etiam ut moralis est, quia cum voluntas sit elicitive actus per modum inclinationis et ponderis vitalis, datur habitus moralis, ut inclinatio determinata.

seu ut determinans per modum actus primi ipsam amplitudinem et indifferentiam voluntatis, ut operetur secundum inclinationem commensuratam rationi et modo ordinato, quod pertinet ad moralitatem, nam etiam hoc modo et sub hac formalitate voluntas petit inclinari et tendere in objectum ordinatum talibus regulis ; ergo et operari, quia operatio voluntatis inclinatio actualis est, seu per modum inclinationis et ponderis\*.

\*n. 323

115 Cum ergo perficiat virtus ipsam voluntatem non ex parte objecti allicientis, sed ex parte principii elicentis, id est, ipsius vis inclinativæ et impulsivæ ut perficiatur et determinetur in hac inclinatione voluntas per modum actus primi, bene sequitur quod operativus habitus esse debet, etiam ut virtus moralis est, quia perficit principium operativum in quantum elicivum et operativum est, quia in quantum inclinativum, et inclinare est operari in voluntate.

◊

116 Ad exemplum de luce\* respectu coloris, *respondetur*, \*n. 108 juxta diversas sententias, quod qui tenent species visibiles produci ab ipsis coloribus effective, etiam de luce affirmare debent quod concurrat effective, sive ad producendam speciem sui seorsum a coloribus, ut quando lux sine colore videtur, ut in ipso sole aut igne, sive ad producendam speciem ipsorum colorum, quia non emittunt speciem nisi in quantum lucidi, seu ipsa luce affecti et modificati.

117 Et quia lux habet virtutem quasi universalem ad omnes colores perficiendos ratione visibilis, ideo potest cum singulis concurrere ad emissionem suæ speciei distinctæ ab aliis,

sicut ad producendam speciem viridis, vel puniceæ, vel albi, etc., quia ad omnes istos virtutem habet tamquam quædam causa universalis, quæ omnes illos sibi subordinat et in eos influit ; in unoquoque autem modificatur juxta modum talis coloris, ut in eo producat speciem coloris viridis, verbi gratia, potius quam albi, eo quod non producit species illius coloris quomodocumque, sed ut lucidi seu illuminati, et sic concurrat etiam lux operative et productivæ respectu specierum.

118 Alia sententia est, quod species visibiles non producuntur effective a coloribus, sed a virtute cœli, colores autem solum se habent ut materia unde species eliciuntur, sicut a phantasmatibus elicit species intellectus agens, ita quod phantasmata non producunt illas, sed ex eis ut ex materia vel instrumento illas producit intellectus agens, et tunc lux solum se habet ut qualitas ultimate habilitans et disponens colores ut visibiles sint, et illæ species possint ab eis elici, non autem perficit illos ut operativos, quia non operantur, et sic non sequitur quod sit operativa specierum.

◊

119 V. — De quantitate\*, *dicimus* quod non perficit virtutes \*n. 109 activas corporeas in eo in quo activæ sunt, sed solum præbet conditionem requisitam ut virtutes illæ operentur, quia cum sint corporeæ operari debent modo corporeo et extenso et sensibili. Corporeum autem et sensibile et extensum sine quantitate non est.

◊



- 120 De gravitate\* vero et levitate, quia censent non esse qualitates activas, sed tantum reddere dispositum subjectum ut a generante active moveatur, etiam dicere debent quod non perficiunt grave ipsum quatenus operativum est, sed quatenus passivum seu mobile, eo quod grave non operatur active in tali sententia. \*n. 110
- o
- 121 VI. — Ad effugium quod affertur\* ex Scoto, jam diximus\* quod potentia non indiget solum perfici ad operandum actum quoad suam entitatem, sed etiam quoad suam moralitatem, eo quod etiam circa objectum ut regulatum regulis rationis indiget potentia operari et inclinari, imo magis circa objectum sic ordinatum, quia major est difficultas in operando et volendo objectum sic ordinatum, et est magna perfectio voluntatis in bonum ratione commensuratum tendere, quia propria perfectio hominis est secundum rationem\* vivere; ergo oportet quod habitus determinans voluntatem operative non solum determinet et inclinet ad entitatem actus producendam, sed etiam ad eliciendum actum ut moralem et ut consonum rationi, et sic habitus virtutis, etiam ut virtus est et ut moralis est, perficiat potentiam operative, et non pure relative\*, ideoque nos moralitatem ponimus\* in ipso transcendentali ordine habitus vel actus ad objectum ut regulatum, quia operative, et non relative solum attingitur sive in actu primo<sup>1</sup> per operationem, sive in actu primo per habitum, et in hoc maxime opponimur Scoto, licet hæc tendentia ut attingit moralitatem accidentaliter\* se habeat ad entitatem, ut est in genere naturæ. \*n. 111  
\*n. 100-106,  
112  
\*n. 124  
\*n. 101 sq.  
\*n. 48  
\*n. 55

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur: secundo.

\* \*

- 122 VII. — Et in summa, aut potentia ista quæ de se dicit inclinationem indifferentem et vim elicivam actuum tam diversorum, vel operativa est et elicitiva actus moralis, etiam ut moralis, vel non.
- 123 Si est elicitiva actus moralis, etiam habitus qui determinat et perficit hanc vim elicivam ut determinate sic eliciat, atque adeo est determinativus potentiæ in eo in quo operativa est, erit operativus in quantum moralis, quia ad moralem actum, ut moralis est, potentia est operativa et elicitiva; ergo et habitus.
- 124 Si autem potentia non est elicitiva actus, ut moralis est, sed solum ut entitas quædam physica est; ergo respicere actum commensuratum rationi non est propria perfectio voluntatis, nec habet operari in actu eliciendo nisi id quod sibi et brutis commune est, et id quod æque pertinet ad peccatum et ad bonum, scilicet entitatem actus, cum tamen proprius finis et perfectio voluntatis sit non solum vivere, sed vivere secundum rationem\*, nec operatio procedat solum a voluntate, ut est quidam vitalis actus et impulsus circa bonum appetibile, sed circa bonum ut regulatum et mensuratum regulis rationis. \*n. 121
- 125 Ex hoc enim probat S. Thomas infra quæstione LXIII, art. II,<sup>1</sup> virtutem moralem causari in nobis ex consuetudine, non solum secundum generalem rationem qua habitus causatur ex actibus, sed etiam ut moralis est, quia virtus hominis ordinatur ad bonum secundum regulam

<sup>1</sup> Sum. Theol., Ia-IIæ, q. 63, a. 2.

rationis, et hoc potest causari ex actibus humanis in quantum hujusmodi actus procedunt a ratione.

126 Et sic etiam videmus quod habitus artis non solum est operativus ut naturalis entitas, sed ut artificiosus, quia etiam artificium est operabile ; ergo et moralis habitus sub ratione moralis operativus esse debet.

127 Ac denique instaurantur hic omnia argumenta supra\*, et articulo\* præcedenti facta, ad probandum pertinere ad formalem rationem virtutis, et non solum ad præsuppositam esse habitum, et sic perficere potentiam et inclinationem ejus in ratione operativi, quia hic est finis potentiæ.

\*n. 100-106,  
112  
\*n. 45-60

128 Quod vero aliqui dicant\* habitum non concurrere cum potentia elicitive ad actum, præcedenti disputatione<sup>1</sup> rejectum est.

\*n. 111



#### NON POTESIT VIRTUS INCLINARE AD MALUM

129 VIII. — DICO SECUNDO : **Virtus non potest concurrere et inclinare ad actum malum, quod ex intrinseca ratione objecti, vel propriis et per se circumstantiis illius malum est.**

130 Pro conclusionis hujus declaratione, advertendum est quod virtutem concurrere ad actum malum potest dupliciter intelligi.

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>æ</sup>, q. 49, a. 3, disp. 13, a. 4, VI (Vivès), p. 276-293.

131 *Primo*, quod concurrat ad actum malum formaliter ut malus est, seu influendo in illum ipsam malitiam, sicut habitus vitii concurrat ad peccatum.

132 *Secundo*, quod concurrat ad ipsam substantiam\* actus mali, nullatenus influendo in malitiam, sicut Deus<sup>1</sup> concurrat\* ad id quod entitatis est in peccato, non concurrente nec influendo in malitiam.

\*n. 137

\*n. 142

133 Et similiter potest intelligi quod ipse habitus virtutis influat in actum malum dupliciter : *vel* considerando habitum virtutis ratione suæ entitatis physicae\* tantum et in statu informi, *vel* etiam ratione suæ moralitatis\*, quam habet in quantum virtus moralis est et ut formata.

\*n. 144 sq.

\*n. 139 sq.

134 Nullo ex his modis potest influere virtus in actum malum, et hoc dicit conclusio.



135 IX. — Et deducitur ex D. Thoma in hac quæstione LV, articulo quarto, explicante illam particulam definitionis virtutis « qua nullus male utitur », per quam dicit significari quod virtute non utimur aliquando ad bonum, aliquando ad malum, sed semper ad bonum. — Et solutione ad secundum<sup>2</sup>, explicat quod virtute potest aliquis male uti tamquam objecto\*, ut cum superbit quis de virtute, sed non potest illa male uti tamquam principio illius mali usus. — Addit D. Thomas in II, distinctione XXVII, quæst. I,

\*n. 227

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 79, a. 2.

<sup>2</sup> Potius : Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 4 ad 5.

art. II ad quintum<sup>1</sup>, quod virtute nullus male utitur tamquam forma, quæ est principium mali usus, quia ex hoc ipso quod est usus a virtute procedens, malus esse non potest.

136 Quæ ratio, si est efficax, convincit quod nullo modo virtus influere potest in actum malum, quia si<sup>2</sup> ex hoc ipso quod procedit a virtute malus esse non potest; non ergo datur talis influentia a virtute in actum malum.

137 Quomodo vero ex hoc etiam vincatur quod nec in substantiam\* ipsam et entitatem actus mali possit influere, statim declarabitur\* in probatione. \*n. 132  
\*n. 138 sq.

\* \*

138 X. — **Conclusio**\* ergo probatur per partes suas. \*n. 129

o

139 *Et primo*, quod virtus moralis, ut stat\* sub sua moralitate, non possit influere in actum malum sub sua malitia consideratum, clare patet, quia nulla forma aut principium potest operari extra vel præter sphæram suæ rationis formalis: id enim esset excedere rationem suæ specificationis, sicut non potest visus aliquid cognoscere nisi sub ratione coloris et lucis, ideoque nullo modo potest sonum percipere, quia sonus nullo modo potest ad colorem lucemque reduci, et sub eis contineri; sed virtus moralis, ut stat sub moralitate, solum stat sub formali ratione bonitatis; ergo

<sup>1</sup> In II *Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 2 ad 5.

<sup>2</sup> Ly si videtur inutile. Aut forsan legendum: sic.

non potest sub hac ratione attingere et influere in actum malum.

140 *Patet consequentia*, quia influxus in actum malum, ut moraliter est malus et ut subest illi malitiæ, necessario est influxus malus, quia causat malum ut malum; ergo non potest virtus sub ratione bonitatis moralis influentiam illam præstare, quia influentia mala est contraria bonitati; ergo non potest a bonitate tamquam a forma et principio effluere, quia quod contrariatur et opponitur alicui formæ non continetur sub ejus ratione formali, et ita si virtus ut bona operetur bene, et non male influit, non causat malum, sed bonum; si autem malam influentiam habet, non est secundum suam rationem formalem, sed præter illam, aut contra. Ergo virtus ut subest suæ bonitati morali non potest influere in actum malum.

141 Quæ ratio currit, sive bonitas moralis sit ipsi habitui essentialis, sive accidentalis, quia posita illa forma etiam accidentaliter, non potest sub illa influere in malum, sicut aqua ut subest calori non potest infrigidare, etiamsi calor illi accidentaliter sit.

142 XI. — Quod vero non possit virtus concurrere ad entitatem et substantiam\* actus mali, etiamsi ad moralitatem non concurrat, ad eum modum quo Deus concurrat\* ad entitatem actus mali nullo modo influendo in malitiam, probatur ex differentia influxus divini, qui est universalissimus et respicit totum ens sub ratione entis, et influxus virtutis moralis, qui est influxus causæ particularis, quod influxus divinus, cum respiciat rationem ita universalem, non potest ab illo subtrahi aliquid quod induat rationem

\*n. 137

\*n. 132

entis, quia sicut participat hoc prædicatum entis realis, ita subjici debet huic influentiæ quæ est super ens in quantum ens, et sicut Deus habet pro ratione formali operandi rationem universalissimam entis ut ens est, quia est primum ens et primum principium ex cujus participatione omne ens habet esse, consequenter sub tali ratione formali attingere potest id quod entitatis est in peccato, non attingendo nec influendo id quod defectus est ab ente, quin potius illi resistendo per bonum ne totaliter corrumpat ens seu entitatem actus.

- 143 At vero habitus moralis, ut virtus, est causa particularis, nec influit sub ratione illa universalissima complectente omne ens, sed sub ratione formali particulari suæ formæ, scilicet bonitatis moralis, sic attingit et respicit quidquid sub sua activitate et sphæra cadere potest : ergo ad entitatem, quæ non subest tali rationi formali, non potest concurrere virtus. Materialis autem entitas peccati non subest tali rationi formali, scilicet bonitati morali, sub qua virtus operatur ; ergo non potest influere in entitatem materialem peccati.

◊

- 144 XII. — Similiter ex eodem principio deducitur\* quod \*n. 138 non potest virtus ratione suæ entitatis\* et ipsius habitus \*n. 133 sumpti quoad substantiam influere in actum malum.
- 145 Diximus enim supra\* quod virtus essentialiter et ex \*n. 100-128 specie sua est habitus operativus in genere morali, ita quod intrinsece invenitur in ipso habitu morali, licet comparatum<sup>1</sup> ad substantiam illius in esse naturæ moralitas sit ei acci-

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : comparata, aut etiam comparatus.

dentalis\*, non tamen potest in operando et inclinando ab illa \*n. 75 præscindere, quia habitus non inclinatur potentiam, neque operatur, nisi eo modo quo productus est et acquisitus. Non est autem acquisitus habitus et productus ex actibus ut operetur et inclinet entitative, seu per modum physicæ suæ entitatis tantum, sed etiam moraliter et per modum regulationis et mensuræ rationis. Ergo non est in ejus potestate influere secundum id quod entitatis est, et detinere id quod moralitatis seu rationis moralis est ne influat : siquidem hæc pertinet ad ipsam formalem rationem habitus secundum quam inclinatur potentiam ad operandum. Ideo enim iste habitus institutus est et acquisitus ut operetur homo per illum secundum mensurationem rationis et bonitatem moralem ; in tantum autem operari potest in quantum inclinatur potentiam seu voluntatem ; ergo operatio ejus non potest egredi ab illo habitu sine moralitate quam habet, quia secundum illam inclinatur potentiam, eamque perficit ad operandum.

- 146 XIII. — Quare licet habitus moralis sicut et actus habeat, *et* id quod ordinis et lineæ entitativæ seu physicæ est in genere naturæ, *et* id quod moralitatis est, et moralitas comparata ad entitatem in esse naturæ sit accidens illius, tamen cum habitus ipse moralibus actibus sit acquisitus, et ad hoc inclinatur et assuefaciat subjectum ut moraliter et rationabili modo operetur, non est in manu hominis uti isto habitu seu consuetudine pro eo quod entitatis est, et non pro eo quod moralitatis.

- 147 Licet enim possit voluntas non uti illo habitu, aut uti opposito, tamen quod utendo habitu illo non utatur mora-

litate ejus, sed sola entitate in genere et ordine entitativo, nullo modo est possibile, quia modus ille moralitatis inseparabilis est ab illo habitu et actu, siquidem sub eo modo actus illi fiunt, et sub illo modo habitus acquiruntur, et assuefaciunt atque inclinant subjectum, sicut habitu artis non potest quis uti ad actus non artificiosos, quia hoc respicit intrinsece. Sicut autem habitus artis est in ordine ad artificialia, ita habitus moralis ad actus morales, id est, mensuratos et regulatos.

148 XIV. — Quando autem aliqua virtus vel potentia est in subjecto cum aliquo modo vel accidenti intrinseco, non est in manu hominis uti tali forma sine illo modo, vel cum illo, ut si potentia visiva est acuta, vel diminuta, non potest uti illa sine illo modo, et si species superveniens potentiae est cum tali connotatione repraesentativa, aut cum tali confusione vel modo repraesentandi, non est in manu nostra uti illa specie, et non sub illo modo quo repraesentat, licet ex parte objectorum ad quæ se extendit possit non uti pro omnibus, sed solum pro aliquibus juxta conatum et applicationem quam adhibet potentia, non tamen ut sine modo intrinseco repraesentandi quem habet repraesentet.

149 Quod si habitus virtutis non potest sine modo moralitatis influere, si moralitas illa bona est, oportet quod sub illa moralitate influat, quia non stat influere secundum rationem genericam, et non secundum aliquam specificam et individuaalem, nec illa est alia quam species bonitatis moralis.

★ ★ ★

150 XV. — **Objicies\*** : Nam habitus vitii non mutatus in substantia et entitate, sed solum in aliquo accidentali extrinseco, potest influere in actum bonum, aut saltem non secundum moralitatem malam ; ergo etiam e converso habitus virtutis poterit idem facere. \*n. 154

151 *Consequentia* patet a paritate rationis.

152 *Et antecedens* probatur *primo\**, in eo qui habet habitum vitiosum accedendi ad non suam, si ducat illam in matrimonium, talis habitus non inclinatur amplius in actum malum, quia jam accessus ille malus non est, et tamen manet idem habitus qui ante, quia cum eodem affectu et inclinatione accedit ad istam mulierem ; ergo idem habitus vitii, qui ante inclinabat in malum, inclinatur in bonum. \*n. 155

153 *Secundo\**, in eo qui habet habitum vitiosum, et convertitur ad Deum et justificatur, talis habitus adhuc manet cum inclinatione ad suum actum, et tamen non operatur malum, sic enim peccaret et non maneret in gratia ; ergo facit illos impetus et inclinantes <sup>1</sup>(quibus resistitur ut suppono) sine moralitate mala ; ergo sine moralitate quam habet : nam si produxisset illos actus cum sua moralitate, produceret illos malos, peccareturque in illis. Non autem peccat ille qui hos motus sentit ex præterito habitu, nec consentit. \*n. 159

\* \*

154 XVI. — **Respondetur\*** negando antecedens. \*n. 150

○

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur : inclinationes.

155 Ad primam\* probationem, aliqui sentiunt quod habitus vitiosus solum est malus accidentaliter, scilicet ratione privationis adjunctæ, in qua constituunt malitiam moralem. Et ita dicunt remanere habitum entitative remota illa privatione. \*n. 152

156 Quod non currit in habitu virtutis, cum essentialis differentia est ordo positivus ad bonum morale. Cæterum licet hæc moralitas, sive bona, sive mala, accidentaliter\* comparetur ad entitatem physicam actus seu in genere naturæ, tamen in linea morali, malitia et bonitas habent suam entitatem <sup>1</sup> et essentiam, quæ pro illa linea accidentaliter non se habet, sed specificè et essentialiter in genere mali. Quare dato quod malitia moralis, sive in habitu, sive in actu, consistat in privatione, non est dicendum quod accidentaliter reddat habitum malum vel actum, ita quod possit ab illo separari, eo quod actus <sup>2</sup> moralis habet causas intrinsecas et inseparabiles illius privationis, siquidem illa privatio est carentia rectitudinis et aversio a fine, orta et fundata in aliquo respectu et ordine actus ad objectum difforme regulis rationis, unde resultat quod ipse actus careat in se rectitudine debita et ordinatione ad illas regulas, seu ad objectum ordinatum. Nunquam enim datur in aliquo actu seu motu recessus ab uno termino et privatio illius, nisi fundatus in accessu et ordine ad aliquem terminum ad quem tendit. Ergo privatio illa quæ est in actu malo, cum sit aversio a fine et ab objecto regulato per rationem, necessario fundatur in ordine et tendentia ad aliud objectum, quod est difforme rationi. Tam inseparabilis ergo est

<sup>1</sup> Vivès : entitative.

<sup>2</sup> Vivès : actum.

ista privatio seu recessus in illo actu, quam inseparabilis est illa tendentia et accessus ad suum objectum, in quo accessu fundatur illa privatio.

157 XVII. — Quare dicendum est in hac parte eodem modo se habere habitum vitiosum et habitum virtutis, et sic negamus antecedens\* argumenti. \*n. 150

158 Ad primam\* probationem, respondetur in illo casu, qui ducit in matrimonium illam mulierem, non accedere ad illam ex habitu illo morali, ex quo ante accedebat (si advertenter et morali modo accedebat), nec ex eodem affectu morali, licet possit manere idem amor sensibilis quantum ad vehementiam et ardorem atque impetum, quem antea sentiebat, sed hic non pertinet ad habitum moralem, ut moralis et rationalis est, sed ad dispositionem appetitus erga illud objectum. Et hujus ratio est, quia ille homo post matrimonium celebratum cum illa muliere, mutat dictamen rationis, et fertur in illam tamquam in suam, et secundum leges matrimonii et moraliter. Habitus autem moralis inclinatur ad operandum actus suos dependenter a dictamine rationis. Unde cum habitus ille vitiosus inclinaret ad accedendum contra dictamen rationis, id est, etiamsi sit non sua, quando modo invenit mutatum dictamen, scilicet non accedendi ad illam, ut ad non suam, sed quatenus est sua, non potest procedere in actum moralem, et sic cessat operari: incipit autem acquirere novum habitum contrarium temperantiæ per illos actus, scilicet accedendi ad mulierem solum quatenus est sua.

159 XVIII. — *Ad secundam\* probationem*, dicitur quod ille \*n. 153  
 qui habet pravos habitus diu acquisitos, et postquam justifi-  
 ficatus est, sentit inclinationes et motus ex illis ortos :  
 tales motus si fiunt cum resistantia et sine pleno <sup>1</sup> consensu  
 solum sunt imperfecti in genere morali, quia ille habitus  
 non operatur tunc perfecte in suo genere, quia nec voluntarie  
 cum consensu, sed tamen non sine omni moralitate saltem  
 imperfecta operatur, facit enim impetum ad operandum  
 sine fræno et regulatione rationis, et sic non solum est ille  
 motus præcise naturalis, sed tentativus seu instigativus ad  
 malum, licet, quia ei resistitur, non ad perfectum actum  
 voluntarium et moralem attingat, habet tamen moralitatem  
 et voluntarium saltem imperfecte\*, et sub ratione sua formali \*n. 160  
 morali operatur, quia instantia illa et motus talis habitus  
 non est solum ad faciendum illum actum in sua entitate et  
 in genere naturæ, sed ad faciendum illum non obstante  
 regula rationis et frangendo legem, quod utique moralitatis  
 est, sed non perfectæ, quia non vincit.

160 XIX. — *Instabis\** : Ergo in tali tentatione et motu \*n. 161  
 jam est peccatum, quia est motus pravus cum aliqua\* ratione \*n. 159  
 voluntarii et moralitatis saltem imperfectæ, quod sine  
 peccato saltem veniali stare non potest, et tamen qui resistit  
 insurgenti concupiscentiæ non peccat etiam venialiter, quia  
 potius meretur et coronatur. Unde dicit Concilium Tri-  
 dentinum <sup>2</sup>, sessione V, canone V, quod concupiscentia vel  
 fomes « nocere non consentientibus et <sup>3</sup> viriliter per Christi  
 Jesu gratiam repugnantibus non valet ». Noceret autem

<sup>1</sup> Vivès : plene.

<sup>2</sup> *Conc. Trident.*, sess. 5, can. 5 (Denz. 792).

<sup>3</sup> Vivès : sed.

si aliquid peccati saltem venialis haberet motus ille concu-  
 piscentiæ.

161 XX. — *Respondetur\** verissimum esse quod concu- \*n. 160  
 piscencia non nocet, nec etiam venialiter non consentienti,  
 quia ut sit nociva aliquid de consensu saltem imperfecte  
 habere debet, solus enim motus indeliberatus et a voluntate  
 nullo modo permissus, sed statim repulsus, nullo modo  
 nocet. Quod si iterum atque iterum instet et insurgat, et  
 nullo modo ratio et voluntas negligenter se habeat, sed  
 toto conatu resistat, nec levissime peccat, sed maxime  
 meretur et duplicat coronam, et sic loquitur Concilium\*. \*n. 160

162 Cæterum tunc tales motus insurgentes, nec sunt ab habitu  
 vitioso, nec proprie tentationes carnis et concupiscentiæ  
 sunt, sed motus quidam naturales, vel a fervore naturalis  
 complexionis, vel ab inflammatione dæmonis, et vi imagi-  
 nationis provenientes. Ut autem aliquis motus proveniat  
 ab habitu morali vitioso, vel sit proprie et formaliter ten-  
 tatio carnis, debet esse contra spiritum, seu motus non  
 mere naturalis, sed præternaturalis, et ita quatenus contra  
 spiritum vadit, aliquid peccati habet et moralitatis. Si  
 vero sit omnino naturalis, et totaliter ei resistatur a spiritu,  
 non erit ab habitu vitioso, nec proprie erit tentatio carnis.

163 Hæc enim, ut inquit S. Thomas <sup>1</sup>, III *Pars*, quæst.  
 XLI, art. I ad tertium, ex Augustino <sup>2</sup>, hæc tentatio non  
 fit absque peccato, quia « nonnullum peccatum est, cum  
 caro concupiscit <sup>3</sup> adversus spiritum » (idem a fortiori est

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIIa, q. 41, a. 1 ad 3.

<sup>2</sup> *De Civit. Dei*, Lib. 19, cap. 4 (PL 41, 629).

<sup>3</sup> *Cf. Gal.* 5, 17.

cum habitus pravus concupiscit), et ut ibi bene notat Cajetanus <sup>1</sup>, non quilibet motus concupiscentiæ est tentatio carnis, sed cum concupiscit adversus spiritum, hoc est, non solo naturali motu, sed etiam morali, quod sine aliquali negligentia spiritus non fit, sed imperfecte et non pleno consensu, ideoque non perditur gratia, quin potius si superveniens advertentia vicerit eum, jam gratia Dei est alligans fortem et vasa ejus (hoc est tentationes ejus) diripiens <sup>2</sup>.



QUID DE CONCURSU VIRTUTIS AD ACTUM EX  
SOLA CIRCUMSTANTIA, AUT IGNORANTIA,  
MALUM?

164 XXI. — DICO TERTIO : Virtus non potest concurrere ad actum malum ex circumstantia extrinseca, et ignorantia culpabili.

165 Omittimus actum qui fit ex ignorantia inculpabili et invincibili : talis enim actus a virtute procedere potest, quia bonus est, sicut accessus <sup>3</sup> Jacob ad Liam, nec enim in tali actu mutatur dictamen et regulatio rationis secundum quam movetur ille actus.



166 XXII. — In hac conclusione non omnes auctores conveniunt.

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, IIIa, q. 41, a. 1, n. 3. (comment.).

<sup>2</sup> Cf. *Marc.* 3, 27.

<sup>3</sup> Cf. *Gen.* 29, 23-24.



167 Nam aliqui sentiunt virtutem posse concurrere ad actum pravum, si ipsa virtus non subordinetur regulis prudentiæ et fini recto.

168 Quod communiter tribuitur Cajetano in hac quæstione LV <sup>1</sup>, art. IV et 2-2, quæstione LVII <sup>2</sup>, art. I, qui virtuti non formatæ tribuit posse concurrere ad actum ex fine extrinseco malum, *vel* quia talem actum elicit, licet ab extrinseco vitietur, *vel* quia imperat seu ordinat actum, qui ex alio extrinseco principio depravatur, sicut etiam potest sacerdos ex pravo fine facere actum religionis, verbi gratia, missam dicere et conficere sacramenta.



169 Alii tenent oppositum, et est communior sententia, quam docent Medina <sup>3</sup> in hac quæstione LV, art. I ; Valentia 1-2, disp. V, quæst. I, punct. II ; Curiel hic quæst. LV, art. III, dub. II et alii, qui absolute censent virtutem non posse concurrere ad actum ex quacumque parte aut circumstantia malum.



170 XXIII. — Alii autem media via procedunt. Concedunt enim quod virtus non potest concurrere ad actum, qui ex circumstantia finis pravus est, bene tamen ad actum, qui

<sup>1</sup> Cajetanus, In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 4.

<sup>2</sup> Nil tale invenitur hoc in loco.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 55, a. 4.



solum ex aliis circumstantiis vitiatur, verbi gratia, ex indebito tempore, aut loco, et similibus. Ita Lorca<sup>1</sup> hic tractatu *de Virtutibus*, disput. XIV.

- 171 Et ratio differentiae ab eo redditur, quia virtus debet tendere et concurrere ad suos actus propter honestatem, in tantum enim est actus virtutis in quantum est actus electivus boni, electio autem bona necessario debet supponere bonum finem in quem ordinetur illa electio et a quo procedat, ideo non potest concurrere ad actum vitiatum ex fine. Quod tamen non currit in aliis circumstantiis, sine quibus potest haberi recta electio quantum ad substantiam, scilicet ex parte mediorum et finis.

★ ★ ★

- 172 XXIV.—**Nostra tamen conclusio**\* absolute docet \*n. 164 virtutem non posse concurrere ad actum vitiatum, ex quacumque circumstantia malum illud proveniat.

\* \*

- 173 Quæ conclusio sumitur ex eisdem locis D. Thomæ quibus præcedens\* conclusio stabilita est. Absolute enim \*n. 135 docet quod nullus potest male uti virtute, tamquam principio et forma operante talem actum malum.

- 174 Et reddit rationem in illo loco<sup>2</sup> ex *Secundo*, distinctione XXVII supra\* citata, quia hoc ipso quod actus procedit \*n. 135

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 4, disp. 14.

<sup>2</sup> In *II Sent.*, dist. 27, a. 2 ad 5.

a virtute, bonus est; ergo non stat procedere a virtute actum malum, neque virtutem influere in illum.

- 175 Cui similis est alter locus<sup>1</sup> D. Thomæ, *Secunda Secundæ*, quæst. XVII, articulo primo ad primum, ubi inquit quod « in passionibus accipitur medium virtutis per hoc quod attingitur ratio recta, et in hoc etiam consistit ratio virtutis. Unde etiam in spe bonum virtutis accipitur secundum quod homo attingit sperando regulam debitam, scilicet Deum. Et ideo spe attingente Deum nullus potest male uti, sicut nec virtute morali attingente rationem, quia hoc ipsum quod est attingere est bonus usus virtutis ».

- 176 Ac denique in hac quæstione<sup>2</sup> LV, art. IV, explicans illam particulam definitionis virtutis, « qua nullus male utitur », dicit significari quod virtute non utimur quandoque ad bonum, quandoque ad malum, sed semper ad bonum.

\* \*

- 177 XXV.— Ex quibus locis recte perpensis, excluditur duplex solutio quæ illis potest adhiberi.

- 178 **Prima**\*, quod loquitur S. Thomas de virtute formata, \*n. 180 scilicet attingente regulam rationis seu medium rationis, et consequenter ut formata regulis prudentiæ, non autem de virtute informi et sine talibus regulis operante.

- 179 **Secunda**\*, quod intelligit virtute nullum male uti \*n. 184 loquendo per se et ea ratione formali virtutis, non per

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 17, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 4.

accidens ex aliquo fine extrinseco, sicut potest quis male uti caractere\* ad conficiendum ex vana gloria, et tamen \*n. 186 habet ad illum actum supernaturalem concursum.

o

180 XXVI. — Sed **prior\* solutio** evincitur ex ipsis verbis \*n. 178 D. Thomæ, quia dicit\* accipi medium virtutis per hoc quod \*n. 175 attingitur recta ratio, et in hoc consistit ratio virtutis. Si ergo in hoc consistit, ergo hoc remoto, removetur ratio virtutis, ac per hoc nunquam ratio virtutis influit in malum actum undecumque malum sit.

181 *Vel enim virtus informis et formata sunt ejusdem rationis et speciei, vel non.*

182 Si non sunt, cessat quæstio, nec enim loquimur de illa specie quæ dicitur virtus informis, et non est ejusdem speciei cum formata, variata enim specie virtutis, non est difficultas quod possit influere in malum, talis enim habitus si est distinctæ speciei a virtute morali formata, aut erit malus, aut indifferens (si dari potest), et de neutro est difficultas, sed de virtute morali manente in sua specie, ita quod eadem, quæ modo producit actus bonos, eadem et non alia influat in malos ex circumstantia.

183 Si autem est ejusdem rationis et speciei<sup>1</sup>: ergo cum hæc ratio virtutis, ut dicit<sup>2</sup> S. Thomas, sit attingere medium rationis, non poterit illa ratio virtutis unquam influere in

<sup>1</sup> Vivès : specie.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 4.

actum malum, quia non potest influere nisi per suam rationem et speciem, et hæc est secundum rationem esse, secundum rationem autem non potest influere in malum, quod est contra rationem.

o

184 XXVII. — **Secunda\* vero solutio** inde excluditur, \*n. 179 quia si habitus virtutis saltem per accidens potest influere in malum, et eo potest aliquis male uti; ergo talis habitus est quod eo potest aliquis aliquando bene uti, aliquando non, tunc solum non poterit male uti quando virtus est formata et subjecta regulis prudentiæ, non quando est sine illis. Quando autem utitur quis regulis prudentiæ, bene utitur et bene operatur, quia prudenter. Ergo sensus definitionis erit quod nullus male utitur virtute, quando bene utitur illa, et tamen potest male uti illa si velit non uti regulis prudentiæ: idem enim est virtutem esse formatam et uti regulis prudentiæ, et idem est uti regulis prudentiæ ac bene uti; ergo de primo ad ultimum: dicere quod nullus male utitur virtute quando est formata regulis prudentiæ est idem ac dicere quod nullus male utitur quando ea bene utitur. Qualis battologia!

185 Denique, si solum formata virtute bene quis utitur, informi autem potest bene uti, et est eadem virtus formata et informis; ergo virtus in sua specie et essentia talis habitus est quod possumus quandoque illa bene uti, quandoque male, sicut opinione, aut alio quolibet habitu indifferenti. Ergo male dicit<sup>1</sup> D. Thomas distingui per hanc

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 4.

particulam ab illo habitu quo possumus quandoque bene uti, quandoque male, sicut opinione.

- 186 XXVIII. — Quod autem dicitur\* de caractere, *re-* \*n. 179  
*spondetur* characterem non esse habitum inclinantem ad bene vel male operandum in genere morali, sed potestatem ad valide conficiendum vel recipiendum sacramentum, et pertinet ad instrumentalem potentiam, non ad principalem, constituit enim ministrum ut mobilem ab alio. Unde bene potest aliquis in genere morali male uti caractere, nec tamen influit character in malum usum, sed in ipsius sacramenti valorem, quem malus usus non vitiat.

\* \*

- 187 XXIX. — Ex dictis autem sumitur **fundamentum nostræ conclusionis\***, quod potest ex duplici principio \*n. 164 provenire.

o

- 188 **Vel\* in opinione** quam supra <sup>1</sup> disp. IX, art. IV, defendimus, quod non potest idem actus simul habere bonitatem et malitiam, ita quod sit bonus ex objecto, et malus ex circumstantia, quod significat sanctus Doctor supra <sup>2</sup>, quæstione XVIII, art. V ad quartum, dum inquit quod circumstantia quandoque dat essentialem differentiam actui in esse morali, scilicet quotiescumque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam.

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 18, disp. 9, a. 4, V (Vivès), p. 739 sq.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 18, a. 5 ad 4.

- 189 Ex quo fit argumentum : Actus, de quo loquimur hic, est actus ex objecto bonus et virtuosus, et ex circumstantia malus ; ergo est actus in quo circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam.

- 190 *Patet consequentia*, quia non potest circumstantia transferre de bonitate in malitiam, nisi quando circumstantia est mala, et actus ex objecto bonus : nam si ex utraque parte sit malus, aut ex utraque bonus, non potest transmutare de bono in malum : tunc ergo solum transmutat de bono in malum, quando supponit aliquid boni quod possit destrui et transmutari, aut assignetur quid amplius requiritur ad transmutandum de bono in malum quam quod circumstantia sit mala et objectum bonum, semper enim est repugnantia inter ista.

- 191 Sed dicit <sup>1</sup> D. Thomas quod quotiescumque circumstantia transmutat de bonitate in malitiam, dat speciem essentialem ; ergo destruit totam substantiam boni moralis in actu, et constituit speciem malam, ac proinde idem est virtutem concurrere ad actum ex circumstantia malum, et ex specie essentiali malum, quia nunquam manet in actu bonitas ex specie, stante circumstantia mala. Repugnat autem actum ex essentiali specie malum oriri a virtute, quia hoc ipso quod est a virtute bonus, est pro ea parte qua est a virtute, repugnat enim virtutem influere rationem mali, cum ejus ratio sit bona.

o

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 18, a. 5 ad 4.

- 192 XXX. — **Alterum\* principium** est in quacumque opione, etiam quæ admittit actum aliquem posse esse simul bonum ex objecto, et malum ex circumstantia, videlicet quia repugnat virtutem operari in exercitio actum sine debita circumstantia. Nam de intrinseca ratione virtutis moralis et de ejus specifica ratione, et non solum de statu accidentali, quod sit habitus recte electivus inclinans ad bene operandum, et oppositus vitio ; ergo de ejus intrinseca et specifica ratione est solum dirigi a dictamine et regulis prudentiæ, ita quod recto dictamine deficiente non possit exire in actum habitus virtutis. At posito dictamine prudentiæ non potest compati aliqua prava circumstantia ; ergo impossibile est quod virtus influat in actum hoc ipso quod vestitur aliqua mala circumstantia. \*n. 188
- 193 *Primum antecedens* est certum, cum sit definitio virtutis: nec enim illi ex statu accidentali, sed ex intrinseca ratione objecti sui competit quod sit habitus rectus et oppositus vitio, ita quod ex se et ex sua specifica ratione non est habitus mere naturalis, sed moralis, nec indifferens ad bonum et malum, neque malus et vitiosus ; ergo bonus.
- 194 *Consequentia vero prima* probatur, quia nullus habitus voluntatis ex sua specifica et essentiali ratione dependet ab aliquo objecto (a quo solo habetur specificatio) nisi ut proposito per intellectum, quia hæc est intrinseca conditio, ut non possit ferri voluntas in incognitum ; ergo si aliquis habitus voluntatis habet non ex statu accidentali, sed ex propria specificatione objectum in quod feratur, habet etiam ex eodem objecto tamquam conditionem requisitam dictamen proportionatum, quo ei proponatur tale objectum,

quia alias specificari non poterit ab ipso si non proponitur eo dictamine quo tale objectum proponi potest. Sed objectum virtutis est aliquid eligibile non declinando in extrema, sed tamquam medium et conforme rationi ; ergo solum ut proponitur per dictamen et regulas prudentiæ est objectum virtutis moralis, quia solum hoc modo est regulatum et conforme rationi, et est medium virtutis.

- 195 Quod autem prudentia non possit proponere circumstantiam indebitam, constat quia talis circumstantia est imprudens, utpote rationi contraria ; ergo est ab opposito dictamine prudentiæ ; ergo repugnat esse a prudentia.

★ ★ ★

- 196 XXXI. — **Dices primo\*** : Hoc totum procedere de virtute morali formata et subjecta regulis prudentiæ, non de ipsa secundum se, quia solum inclinatur in objectum bonum, in circumstantias autem bonas non ex se et essentialiter inclinatur, quia ipsæ circumstantiæ accidentia sunt, sed solum inclinatur accidentaliter et consequenter, ratione accidentaliter status quem habet ex subjectione ad prudentiam. \*n. 198
- 197 XXXII. — **Secundo\*** : Quod licet virtus feratur in objectum ut a prudentia regulatum in ratione objecti, non tamen est necesse quod feratur in objectum omnibus circumstantiis regulatum, sed bene poterit stare quod aliqua circumstantia non sit a prudentia, sed ex malo motivo, et tamen reliqua sint a prudentia : nam etiam minora mala eligere prudentiæ est ; minora autem mala sunt, quæ solum

in aliqua circumstantia habent malitiam, reliquum vero bonitatem habet moralem.

o

198 XXXIII. — Sed contra **primam**\* **solutionem** est, \*n. 196  
quia virtus moralis hoc ipsum essentialiter et specificè postulat, scilicet tendere in suum objectum taliter quod non sistat in eo nude sumpto, sed debitis circumstantiis vestito. Itaque licet circumstantiæ accidentaliter se habeant ad specificam rationem virtutis, tamen debita earum dispositio non accidentaliter se habet ad virtutem et ad specificam ejus rationem, sed essentialiter, quia per se est debitum virtuti eas recte disponere, licet habere istas vel illas accidentale ei sit.

199 Et hoc ideo quia essentialè est virtuti tendere in bonum morale per rectam electionem, siquidem est habitus electivus. Et ex eo quod est bonum, respicit integritatem, quia bonum est ex integra <sup>1</sup> causa, et debet esse bonum simpliciter, quia virtus est ultimum <sup>2</sup> potentiæ. Bonum autem simpliciter non attenditur in rebus secundum substantiam tantum et essentialiter, sed etiam secundum accidentia, quia, ut recte dicit <sup>3</sup> D. Thomas, I P., quæst. V, artic. II, licet ens simpliciter dicatur ratione substantiæ in rebus creatis, et accidens sit ens secundum quid, tamen bonum simpliciter non dicitur ratione solius substantiæ, sed etiam accidentium, quia substantia nuda non est perfecta ad operationem et

<sup>1</sup> Cf. Ps. Dionysius, *De Div. Nom.*, cap. IV, 31 (PG 3, 732).

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 11 sq.).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 5, a. 1 ad 1.

motum, dependet autem in sua operatione et perfectione ab accidentibus.

200 Cum ergo virtus dicat perfectionem potentiæ in ordine ad bonum simpliciter, repugnat quod sit virtus, et non sit formata, et respiciat solum objectum specificum et substantiale, non autem debitam dispositionem circumstantiarum, licet quod istæ vel illæ circumstantiæ in particulari ponantur accidentale sit. Similiter ex eo quod hoc bonum est morale, est regulatum et mensuratum, de cujus ratione est ut non declinet\* in extrema, sed sit in medio, quod non est aliud \*n. 194  
quam habere objectum seu materiam nec deficientem nec excedentem mensuram rationis. Unde tamen essentialè est virtuti respicere objectum mensuratum et formatum ratione, sicut respicere objectum bonum morale, licet enim materia regulanda sint passiones, quæ possunt modo esse ordinatæ, modo non, tamen objectum formale in quod tendit est bonum mensuratum et regulatum moraliter, et sicut non potest respicere objectum non mensuratum nec formatum, quia alias non esset morale, ita neque potest in se non esse formata et regulata, quia alias non esset moralis.

201 At non potest virtus respicere objectum sic mensuratum et declinantem <sup>1</sup> ab extremis, nisi respiciat debitam dispositionem circumstantiarum, quia secundum eas attenditur mensuratio debita, ut sit quando et quomodo oportet, ut docet S. Thomas <sup>2</sup> infra\*, quæst. LXIV, art. I ad secundum, \*n. 1366  
dicens quod « medium et extrema considerantur in actionibus et passionibus secundum diversas circumstantias ». Et

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum est : declinans.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 64, a. 1 ad 2.

constat, quia nullum objectum censetur mensuratum et regulatum, nisi sumatur ubi, et quantum, et quomodo oportet in ordine ad finem ; ergo, etc.

202 XXXIV. — Denique ex eo quod virtus est recte electiva, supponit ex recto fine procedere, quia omnis electio essentialiter finem præsупponit, et recta electio rectum finem et intentionem ; ergo essentialiter virtus moralis supponit rectificationem circumstantiæ finis, et eadem est ratio de aliis. Et sic virtutem esse formatam regulis prudentiæ, et materiam suam seu objectum respicere ut mensuratum et in medio consistens, tam essentielle est virtuti quam esse moralem et respicere bonum morale. Esse autem formatam alio fine superiori, ut charitate, justitia legali, religione, etc., ad statum ejus accidentalem pertinet.

o

203 XXXV. — Unde etiam destruitur **secunda\* solutio**, <sup>n. 197</sup> quia impossibile est quod virtus feratur in objectum regulatum a prudentia, et non secundum omnes circumstantias debitas et concurrentes, quarum defectu potest vitiari actus, licet alias circumstantias, quæ debitæ non sunt, licet sint bonæ et perfectæ, non teneatur prudentia respicere.

204 Quia *vel* advertit ratio illam circumstantiam defectuosam, *vel non*.

205 Si non advertit, et hoc inculpabiliter, non est ibi ratio mali, nec currit casus quod actus ille sit ex circumstantia malus. Si vero culpabiliter, habet in hoc negligentiam, et

pro hac parte non est dictamen illud a prudentia, quatenus negligens, et est perinde ac si adverteret.

206 Quod si advertit vel negligit, hoc ipso tale objectum et dictamen non proponitur sibi cum debita dispositione circumstantiarum et mensuratione, et consequenter neque moralitate debita, nec a prudentia, quia hoc ipso quod una circumstantia sit indebita, ipsum objectum manet extra medium et regulam virtutis.

207 Et sic non potest stare quod a prudentia proponatur et dirigatur quoad unam circumstantiam, et quoad alias vel aliam sit defectuosa, et ab imprudentia, quia unius tantum defectus totam rectitudinem mensurationis evertit. Et hoc ideo, quia (ut diximus\*), licet circumstantiæ accidentales <sup>n. 198</sup> sint actui morali, tamen debita et recta dispositio illarum non est accidentaliter actui, quia ipsi moralitati bonæ intrinsicæ est : est enim moralitas mensuratio rationis, et ista recta esse non potest nisi fundet debitam dispositionem circumstantiarum, quam fundare non potest si aliqua est mala, quia malum ex quocumque defectu <sup>1</sup>. Sicut etiam ut sit recta electio dependet a recta intentione finis, qui licet illi extrinsecus sit, recta tamen illius dispositio et dependentia ab illa intrinsicæ est electioni.

\* \*

208 XXXVI. — **Sed adhuc potest objici\*** et instari <sup>n. 214</sup> contra prædictam\* resolutionem, quia in peccatore non <sup>n. 164</sup> manet vera prudentia, ut docet <sup>2</sup> S. Thomas, 2-2, quæst.

<sup>1</sup> Cf. Ps. Dionysius, *De Div. Nom.*, cap. IV, 31 (PG 3, 732).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 13.

XLVII, articulo XIII, quæ sit prudentia simpliciter, et efficaciter præcipiat ea quæ ad finem vitæ humanæ pertinent ; et tamen possunt esse virtutes acquisitæ, quæ tunc operantur sine subjectione ad prudentiam. Ergo dari potest virtus non formata a prudentia, et tamen manere in sua specie et substantia virtutis, quia hæc non amittitur ex amissione gratiæ et prudentiæ, licet amittat statum virtutis ; ergo saltem tunc poterit virtus acquisita concurrere ad actum ex circumstantia malum, siquidem tunc cessat fundamentum et ratio nostræ conclusionis\*, quia ideo non potest concurrere virtus ad actum malum, etiam ex circumstantia, quia necessario dependet a regulis et dictamine prudentiæ. Quando ergo non dependet, et est sine prudentia, poterit ad malum concurrere. \*n. 164

209 XXXVII. — Quod autem in peccatore non perdatur virtus acquisita per unum actum peccati mortalis, affirmat <sup>1</sup> S. Thomas, infra quæst. LXIII, articulo secundo ad secundum, eò quod habitus acquisitus, sicut non acquiritur uno actu, ita non perditur unico actu, sed pluribus generantibus oppositum habitum, et subdit quod existens sine gratia non impeditur quin possit habitum virtutis acquirere per quem a malis operibus abstineat, ut in pluribus accidit. Et tamen peccator caret prudentia simpliciter, ut docet <sup>2</sup> loco supra\* citato, licet possit habere prudentiam quæ est communis bonis et malis, cum qua non repugnat dari aliquam circumstantiam malam, quia illa prudentia, aut est inefficax in præcipiendo, aut non omnia considerat quæ pertinent ad vitam humanam. Potest ergo non considerare

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>, q. 63, a. 2 ad 2.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, II<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>, q. 47, a. 13.

omnes circumstantias, et sic quoad aliquam deficere potest tunc actus virtutis, cum non reguletur a prudentia simpliciter.

\* \*

- 210 XXXVIII. — **Secundo\* urgetur** hoc in illo qui credit propter vanam gloriam, vel propter eandem tribuit eleemosynam : talis enim elicit actum credendi quoad substantiam, quia credit ex revelatione divina ; et similiter facit eleemosynam, quæ est actus misericordiæ, quoad substantiam, siquidem per talem actum implet præceptum\* (si tunc currit) de eleemosyna facienda : alioquin qui extreme indigenti daret panem aut aliam eleemosynam ex vana gloria, non impleret illud præceptum de largitione eleemosynæ, et teneretur aliam dare sine vana gloria ut impleret præceptum. Ergo ille actus est actus virtutis, quia præceptum quod illo actu impletur est præceptum de virtute. \*n. 208, 223 sq. \*n. 232
- 211 Similiter videmus quod qui acquisivit habitum comedendi carnes temperate, si superveniat extrinseca prohibitio, potest continuare illum actum ex vi talis habitus temperantiæ, quia cum eadem facultate atque antea comedit temperate, et tamen post prohibitionem peccat ; ergo procedit ab habitu virtutis ille actus, qui tamen peccatum est.
- 212 XXXIX. — Et idem argumentum fit de illo qui acquisivit habitum virtutis, et postea amisit usum rationis, et tamen adhuc prorumpit in similes actus ex vi prioris consuetudinis ; ergo ex vi prioris habitus : et tamen ille actus tunc non est virtuosus.

213 Denique, potest aliquis ex ignorantia\* operari aliquid \*n. 234 quod sit malum quoad substantiam, sicut accedere ad alienam existimando quod est sua, et tunc ille actus non est indifferens, quia nos non admittimus actum indifferenter in individuo, neque est bonus quoad substantiam, cum sit accessus ad alienam; ergo supposita ignorantia, potest virtus influere in actum malum.

o

214 XL. — Ad primum\*, respondetur quod etiam si non \*n. 208 maneat prudentia infusa, neque prudentia simpliciter et omnibus modis in peccatore, manet tamen vera prudentia acquisita, et in ipsis virtutibus acquisitis manet saltem radicaliter\* ordo ad finem illum honestum, qui est finis \*n. 218 totius vitæ humanæ, et ad quem prudentia dirigit de se.

215 Explicatur hoc ex doctrina Cajetani<sup>1</sup> super articulum XIII, quæstione XLVII citata\*, qui dicit D. Thomam loqui \*n. 208 ibi de prudentia infusa, quæ non manet in peccatore, sed unico actu peccati mortalis extinguitur, sicut et cæteras virtutes morales infusæ quæ charitatem comitantur, sed hæc prudentia infusa non dirigit immediate virtutes morales acquisitas, nec est proxima et univoca earum regula, sed eminentior.

216 Prudentia autem acquisita (ut ibi dicit Cajetanus) non destruitur unico actu, et ita potest manere in peccatore, non reduplicative in quantum peccator, ut postea<sup>2</sup> explicat

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 13, n. 1 (comment.).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 51, a. 1 ad 3.

D. Thomas, eadem *Secunda Secundæ*, quæst. LI, articulo primo ad tertium, sed specificative in eo qui est peccator, in ordine tamen ad actus bonos qui possunt adhuc dari in peccatoribus, et in eis possunt esse virtutes acquisitæ quoad substantiam actus, sed non quoad statum connexionis cum reliquis virtutibus, eo quod prudentia acquisita, quæ manet in peccatore, et non perditur unico actu, non se extendit in peccatore ad finem totius\* vitæ et in omni sua universalitate, quia in aliquo deficit, si quidem in peccato manet. \*n. 901, 1454

217 Sed tamen potest manere prudentia in ordine ad particulares fines et particularia opera, ut ibi dicit S. Thomas, ut ad navigandum vel negotiandum, quod intelligitur ad navigandum vel negotiandum aut similia opera bene facienda moraliter, et non solum physice, verbi gratia, ad negotiandum sine fraude, ad navigandum non solum scientificè, sed etiam prudenter.

218 Manet ergo prudentia vera, ut dicit ibidem S. Thomas, etiam in peccatoribus, sed non simpliciter in ordine ad finem totius vitæ, quia non ita se extendit ad omnia bona opera sicut ante, sed tamen secundum particulares fines etiam ad bonum honestum inclinare potest, quod licet in isto homine impediatur ne extendatur de facto et actu ad finem totius vitæ humanæ, quia in aliquo peccat et manet in peccato, tamen radicaliter\* et quantum est de se illud \*n. 214 bonum honestum tendit ad finem rectum totius vitæ, sicut scientia subalternata, licet non continuetur actu cum principiis subalternantis, continuatur tamen radicaliter, quia id exigit ex se et in quantum scientia.



- 219 XLI. — Sic ergo dicimus quod in peccatore, sicut manet prudentia acquisita, licet non ut extensa de facto et perfecta, prudentia autem infusa non manet.
- 220 Et quando dicit\* D. Thomas quod non manet prudentia simpliciter, *vel* intelligitur de prudentia infusa, *vel* ly simpliciter non est idem quod vera et substantialis prudentia (quam ibi docet D. Thomas manere), sed ly simpliciter<sup>1</sup> est idem quod non omnibus\* modis, quia non æque extensa sicut ante. \*n. 208
- 221 Et cum infertur\* quod poterit virtus non regulari a prudentia, sed deficere in aliquo, *dicimus* quod si operatur, virtus semper regulatur a prudentia, quæ manet in ordine ad finem honestum particularem, et radicaliter\* ad finem totius vitæ, et sic nunquam influit in actum pravum, quia semper illa virtus est formata formatione honesti et regulis prudentiæ circa bonum morale. \*n. 218
- 222 Imo etiam si deficiat prudentia acquisita et virtus ipsa acquisita tandem corrumpatur, si tamen in illa materia eliciat quis actum honestum et non vitiatum, habebit dictamen prudentiæ, non ab habitu, sed a potentia procedens cum auxilio divino supplente determinationem habitus prudentiæ.
- 223 XLII. — **Ad secundum\* argumentum, respondetur** quod illi actus facti ex vana gloria vel ex alio pravo fine revera non eliciuntur ab habitu virtutis, licet ex parte

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIIa, q. 50, a. 5.

- objecti similes sint actibus virtutis quantum ad materialem attingentiam seu materiam quam attingunt, sed ratio formalis attingendi longe diversa est, virtus enim attingit sub regulatione et medio rationis, qui autem facit ex motivo vanæ gloriæ, et sub motivo rationi contrario, sic enim multa vitia sunt similia virtutibus ex parte materiæ attactæ, sicut jejunium hypocritæ, fortitudo seu audacia temerarii, spes præsumptuosi, fides hæretici : sic etiam eleemosyna propter vanam gloriam attingit quidem materiam virtutis, sed non formam : facit effectum physicum misericordiæ, qui est sublevatio pauperis, sed non moralem, id est, sub motivo misericordiæ, sed exercendo illum ut materiam vanitatis.
- 224 XLIII. — Qui autem credit ex vana gloria, in actu quidem exterioris confessionis id facile apparere potest, quia hæc fieri potest solum ex tali motivo, vel ex alio temporali ; sed talis confessio exterior non erit a fide, sed ab habitu vanæ gloriæ, vel ambitionis aut superbiæ utentis illa exteriori confessione significativa credulitatis fidei propter illud pravum motivum.
- 225 Si autem etiam interius credat, et non solum exteriorem illam prolotionem verborum faciat, et sic interius credendo exterius etiam profiteatur, et totum hoc tam interius quam exterius velit facere ob inanem gloriam, vel ob complacentiam principis, in tali casu, *dico* quod sic credens non credit fide supernaturali et divina, sed alia fide causata ex assuefactione vel ex testimonio humano, qualis in nobis reperiri potest etiam circa res divinas, et in hæretico manere solet circa articulos quos non discredat. Et hoc ideo est, quia qui movetur etiam in actu interiori ad credendum ex motivo

temporali ut ex vanitate, vel ambitione aut adulatione erga principem, non movetur motivo firmo et infallibili, siquidem movetur motivo temporali, et consequenter ex electione propria, qua sibi placet sic credere propter tale motivum. Unde eo motivo remoto, non crederet, hoc autem est fallibiliter credere, si enim propter vanam gloriam credit tamquam propter finem ; ergo remoto illo non crederet, quia fine remoto non elicitur medium.

226 XLIV. — **Dices\*** : Quid si infallibiliter credat, et tamen quasi impulsiva causa, etsi non finalis, sit vana gloria, aut aliud motivum temporale, quod quasi concomitanter se habet in illo actu et ut circumstantia, ut vane complaceat de illo actu credendi, aut de alio actu virtutis,<sup>1</sup> aut de studio vel doctrina, quia licet id pro fine habeat, sed tamen gaudet concomitanter, et impellitur vel magis acuitur ad illud opus faciendum ex applausu et vanitate quam sentit ; ergo potest elicere actum cum illa mala circumstantia saltem concomitante. \*n. 227

227 XLV. — **Respondetur\*** quod tali casu admissio, dicendum est quod illa vanitas aut temporale motivum non est circumstantia illius actus credendi aut alterius virtutis, sed est actus distinctus habens ipsam virtutem seu actum ejus, aut actum credendi, pro objecto vanitatis, vel superbiæ, eo modo quo dicit D. Thomas<sup>2</sup> in hac quæstione LV, articulo IV ad quintum, quod virtute potest aliquis uti male tamquam objecto\*, sicut si male sentit de ea, aut superbit de ea, et idem est si habeat vanitatem de illa, tunc enim non exercet ipsam materiam aut actum virtutis \*n. 135

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : non habeat.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 55, a. 4 ad 5.

propter vanam gloriam, sed virtute jam exercita aut exercenda utitur ut materia suæ vanitatis, aut superbiæ, et sic cum ipsum actum virtutis habeat pro objecto vel materia vanæ gloriæ, non est circumstantia talis actus, sed illum pro objecto et materia habet.

228 XLVI. — Quod autem aliquis alliciatur vanitate aut temporali aliquo motivo seu lucro, vel etiam pravo motivo ad faciendum actum virtutis, ut ad studendum, vel eundem ad ecclesiam, vel ad credendum, quod alias sine tali motivo alliciente non faceret, **dico** quod si illud motivum est subordinabile principali fini virtutis et gloriæ Dei, ut si aliquis docet vel prædicat aut recitat Officium in ecclesia propter distributiones, quatenus necessariae sunt ad sustentationem, aut ad aliud opus licitum, talis non peccat, quia hoc est secundario intentum, ut docet D. Thomas, *Quodlibeto*<sup>1</sup> VIII, articulo XI, et ita potest esse actus virtutis.

229 Si autem illud motivum non est subordinabile fini principali, quia in se est peccatum, ut si quis vadat ad talem ecclesiam, quia ibi videbit mulierem et inde allicitur ad audiendum sacrum vel ad credendum, talis non exercet actum virtutis, neque credit, quia habet finem malum, scilicet peccatum, aut si non habet illud pro fine, solum concomitanter se habebit ille actus peccati cum illo bono, aut cum actu credendi, et non erit circumstantia ejus nec proprie ad illum alliciet, sed concomitanter gaudet de illa occasione peccati, quia non est conjungibile nec subordinabile hoc motivum peccati fini honesto illius virtutis : contrariatur enim honestati illius. Oportet autem quod in

<sup>1</sup> *Quodl.* VIII, q. 6, a. 1.

actu faciendo omnes circumstantiæ subordinentur motivo principali, non ei contrariantur, alias unus actus non erit, neque hoc circumstabit illum.

- 230 XLVII. — In actu autem credendi, si quis ita allicitur (licet secundo) ad credendum ex motivo malo quod sine illo non crederet, destruit firmitatem assensus fidei supernaturalis, quæ debet esse auctoritas divina ut in se infallibilis est, et sic non debet taliter ex motivo pravo vel temporali duci quod sine illo non crederet, hoc enim opponitur ipsi piæ affectioni, qua quis debet credere. Non enim est pium si afficitur ex motivo pravo taliter quod id alias non crederet; remota autem affectione pia, removetur fides supernaturalis, licet remanere possit fides sicut in dæmonibus <sup>1</sup> ex coactione signorum, non ex pia affectione.
- 231 Si autem prius quidem movetur ad finem ex motivo pravo aut temporali, sed postea mutat voluntatem, et habet piam affectionem, ita ut propter res ipsas divinas afficitur et æque crederet etiam si non haberet illud pravum motivum, adhuc tamen gaudet quod illud pravum peccatum detur, puta illa vanitas, vel illa mulier, etc., tunc non se habet hoc peccatum ut motivum aut alliciens etiam secundo, nec ut circumstantia cooperans aut influens in talem actum, sed ut mere concomitanter se habens, sicut potest quis converti ad fidem et baptizari manente affectu concomitanter ad aliquod peccatum.
- 232 XLVIII. — Ad id quod dicitur\* impleri præceptum <sup>\*n. 210</sup> virtutis aut fidei tali actu facto cum mala circumstantia,

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 5, a. 2.

*respondeo* quod ut docet D. Thomas <sup>1</sup>, infra quæstione C, articulo IX, aliquando non cadit sub præcepto modus ipse recte operandi, sed solum exhibitio materiæ virtutis, ut quando præcipitur restituere, jejunare, eleemosynam dare, Missam audire, tunc posita illa materia, quocumque animo id fiat, satisfit præcepto, quia modus ille sic faciendi non cadit sub præcepto. Et ideo hoc ipso quod exhibetur exterior illa materia quam lex præcipit, tollitur obligatio legis, et sic impletur præceptum, quia non amplius obligat posita illa materia, quocumque animo ponatur, quia de animo lex non datur, sicut si quis restituit centum quæ debet, quantumcumque malo animo id faciat, non amplius obligatur restituere.

- 233 Quando autem lex non solum præcipit materiam exteriorem, sed cum illa etiam præcipit modum virtutis, et id pertinet ad interiorem operationem, verbi gratia, quod recitetur cum attentione et devotione, quod credat aliquis, pœnitentiam agat, amet Deum, etc., impletio talium actuum requirit quod fiat per actum virtutis, quia præcipitur in actu id quod virtuosum est, non sola materia exterior seu actus exterior.
- 234 XLIX. — Ad ultimum\*, *respondetur* quod qui operatur <sup>\*n. 213</sup> ex ignorantia, si illa sit culpabilis\* ita quod non excusat, <sup>\*n. 165</sup> certum est quod actus redditur vitiosus, et sic non procedit a virtute.
- 235 Si vero ignorantia sit invincibilis, et illa supposita formetur iudicium et dictamen quod hic et nunc sit bonum

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 100, a. 9.

hoc facere, sicut in Jacob <sup>1</sup> accedere ad Liam ignoratam quod non esset sua, talis actus procedit a virtute, regulaturque a prudentia, quæ non mensuratur penes id quod est aut non est in re, sicut speculatio, sed penes id quod debet esse, et ut debitum apprehenditur cum fundamento.

236 Quod si non formatur iudicium et dictamen quod hoc sit bonum hic et nunc ex quacumque ignorantia omittatur, sive culpabili, sive inculpabili, tunc nullo modo actus erit bonus, neque a virtute procedet, quia voluntas sine apprehensione et dictamine non potest operari, et consequenter neque virtus, quæ est habitus ejus.

<sup>1</sup> Cf. *Gen.* 29, 23-24.

## DISPUTATIO XV

### DE SUBJECTO VIRTUTIS

#### ARTICULUS PRIMUS

*UTRUM POTENTIÆ SPIRITUALES, INTELLECTUS  
ET VOLUNTAS, SINT SUBJECTUM VIRTUTUM?*

237 I. — DUO SUNT CERTA.

◉

238 **Primum** loqui S. Thomam in hac quæstione <sup>1</sup> LVI, quando discurrit circa potentias susceptivas virtutum, de virtutibus operativis, ut omittamus gratiam habitualement, quæ in sententia D. Thomæ <sup>2</sup> distinguitur a charitate et est immediate in essentia animæ, non in potentia. Illa autem non est formaliter virtus, sed radicaliter, quia non est formaliter operativa, sed solum elevativa animæ ad esse supernaturale, per quod sit divinæ consors <sup>3</sup> naturæ, et exinde tamquam ex radice dimanant virtutes infusæ.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 110, a. 3.

<sup>3</sup> Cf. *II Pel.* 1, 4.

239 Cum ergo solum loquatur D. Thomas in præsentī de virtutibus operativis quæ sunt in potentiis animæ, restat assignare potentias quæ sunt capaces virtutis.

240 Et loquimur generaliter, tam de virtutibus partis cognoscitivæ, quam appetitivæ; tam intellectualibus, quam moralibus.

o

241 II. — **Secundo**, certum est et extra controversiam has duas potentias spirituales, nempe intellectum et voluntatem, maxime inter omnes esse capaces virtutis, quia virtus est « bona qualitas mentis »<sup>1</sup>, et in ipsa mente seu parte spiritali animæ sunt istæ duæ potentiæ, intellectus et voluntas. Imo si istæ potentiæ non essent capaces virtutis, quænam potentiæ erunt capaces illius, cum maxime ordinentur virtutes ad formandum animum, sive in intelligendo, sive in volendo, et inde rectitudinem habet homo si recte intelligat et recte velit.

242 Et sic videmus virtutes theologicas in istis potentiis poni, ut fides est in intellectu, charitas in voluntate. Similiter virtutes intellectuales sunt in intellectu, sive in parte speculativa, ut sapientia et scientia, sive in practica, ut prudentia et artes omnes. Denique morales virtutes aliquæ sunt in intellectu ut prudentia, aliquæ in voluntate ut justitia.

★ ★ ★

<sup>1</sup> Cf. S. August., *De Lib. Arb.*, Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1268).

243 III. — **DIFFICULTAS EST** in explicando id quod dicit D. Thomas in hac quæstione<sup>1</sup> LVI, art. III et VI.

o

244 Nam in articulo tertio\*, agens de virtutibus quæ sunt \*n. 260 sq. in intellectu, inquit\* quod intellectus est capax virtutis \*n. 1728 secundum quid, non virtutis simpliciter.

245 Et dicit quod virtus secundum quid est illa quæ tribuit facultatem bene operandi, sed non tribuit ipsum bonum usum, sicut videmus in arte, quæ tribuit facultatem operandi secundum regulas artis artificiose et ordinate, verbi gratia, bonam domum et perfectam, aut quodlibet aliud opus artificiosum, sed non facit ut aliquis bene utatur ipsa arte: potest enim artifex si velit male operari, nec tamen propterea amittit aliquid de arte, et de illius peritia.

246 At vero virtus quæ est virtus simpliciter non solum tribuit facultatem bene operandi, sed etiam facit ipsum usum bonum, eo quod inclinat voluntatem ut bene velit, et bene utatur facultate sua.

247 Dicit ergo D. Thomas quod intellectus si secundum se consideretur est capax virtutis bene operandi in genere intellectuali, seu faciendi bonum opus, non tamen est capax virtutis simpliciter, quæ faciat bonum usum et exercitium operis, quia hoc solum pertinet ad voluntatem qua bene volumus et utimur aliis potentiis.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3 et 6.

248 Si tamen intellectus consideretur ut motus a voluntate\*, \*n. 255  
sic potest esse subjectum virtutis inclinantis ad bonum  
usum, saltem directive, sicut prudentia, quæ est virtus  
moralis dirigendo, et fides, quæ credit ex motu non<sup>1</sup> piæ  
affectionis voluntatis, et tales sunt virtutes simpliciter.



249 IV. — In articulo autem sexto\*<sup>2</sup>, loquens D. Thomas \*n. 277 sq.  
de altera potentia spirituali, scilicet de voluntate, dicit  
voluntatem non\* indigere virtute in ordine ad bonum pro- \*n. 577 sq.  
prium rationis appetendum, quia ad hoc sufficit propria  
ratio ipsius potentiæ voluntatis, quæ in se habet determi-  
natam inclinationem ad hoc objectum ita sibi proprium et  
proportionatum.

250 Ut autem ordinatur<sup>3</sup> voluntas ad bonum divinum quod  
est supra se, vel erga bonum proximi, indiget\* virtute su- \*n. 281, 455  
peraddita, quia ad tale bonum non est sufficienter deter-  
minata voluntas ex se in actu primo, cum non sit bonum  
proprium aut proportionatum. Et hinc est quod virtutes  
quæ ordinant hominem erga se moderando proprias passiones,  
et non ad alterum, sunt in appetitu sensitivo, ex parte  
cujus sunt impedimenta ad sequendam rationem, non in  
voluntate. Quæ vero hominem ordinant ad alterum sive  
erga Deum sive erga homines, sunt in voluntate, ut charitas,  
religio, pœnitentia, justitia, etc.

★ ★ ★

<sup>1</sup> Ita Vivès : omittendum, uti patet.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

<sup>3</sup> Ita Vivès. Legendum : ordinetur.

251 V. — Circa hæc duo dicta D. Thomæ difficultas est,  
et primo circa **primum**\* dictum movetur dubium a Caje-  
tano<sup>1</sup>, in hac quæstione LVI, art. III, quid intelligat D.  
Thomas per virtutem dantem bonum usum operationis,  
quando dicit hanc esse virtutem simpliciter ; et quid per  
virtutem dantem facultatem boni operis, sed non bonum  
usum, quæ dicitur virtus secundum quid.

\*n. 244-248,  
260-276

252 Nam vel intelligitur quod virtutis<sup>2</sup> secundum quid non  
inclinat ab bonum usum et operationem intra suum obje-  
ctum et sphæram, ad quam præbet facultatem, et hoc est  
falsum, cum etiam virtus intellectualis faciat bonum usum  
in cognoscendo et intelligendo, et ad hoc ipsum inclinat,  
eo quod habitus isti determinant et inclinant potentiam ad  
operandum ; operatio autem perfecta et debita, qualis est  
quæ fit per habitum, est bonus usus talis facultatis et  
virtutis.

253 Vel intelligitur quod virtus secundum quid non inclinat  
ad bonum usum, non solum sui objecti circa quod versatur,  
sed etiam sui subjecti in quo est, ita ut reddat subjectum  
undequaque bonum seu bene operantem ; et hoc modo  
neque etiam ipsa virtus moralis, quæ dicitur virtus simpli-  
citer, hoc facit. Nam bene stat quod subjectum habens  
talem virtutem non solum operetur præter illam, sed etiam  
deficiendo ab illa et destruendo illam, ut quando peccat ;  
ergo virtus moralis non ita reddit bonum usum ex parte  
subjecti quod si velit non possit male operari. Et sic nulla  
erit differentia assignata a D. Thoma, quia sicut gramma-

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3, n. 1-2 (Comment.).

<sup>2</sup> Sic Vivès : videtur legendum : virtus.

ticus\* potest barbarizare si velit, et ita non inclinatur et determinatur ad bonum usum sui, quia pendet iste bonus usus a voluntate, quam grammatica non inclinatur neque perficit; ita temperatus potest intemperate operari si velit, quamvis id non\* sit ex influenza virtutis, sed ex libertate\* voluntatis; sicut neque barbarizare est ex influenza grammaticæ, sed ex voluntate.

254 VI. — *Urgeturque\* amplius*, quia multæ virtutes morales non resident in voluntate, sed in appetitu sensitivo, ut temperantia et fortitudo; ergo non pertinet ad ipsas facere bonum usum, seu bene operans ipsum subjectum, quia subjectum solum movetur ab ipsa voluntate, quæ est inclinatio totius suppositi.

255 VII. — *Denique\** circa id quod dicit D. Thomas<sup>1</sup>, quod in intellectu ut moto a voluntate\* est virtus simpliciter, dubitatur. Nam intellectus quantumcumque a voluntate motus non exit limites principii cognoscitivi et respicientis objectum sub ratione veri, non sub ratione boni; ergo intellectum esse motum a voluntate non extrahit virtutem intellectualem a ratione virtutis secundum quid, siquidem non facit illam respicere in objecto rationem boni et movere quoad exercitium, sed rationem veri: et sic solum movet quoad specificationem; falso ergo dicitur intellectum sub aliqua consideratione esse subjectum virtutis simpliciter, cum sola illa virtus sit talis simpliciter, quæ facit bonum usum et bene operantem, utique ex parte motionis quoad exercitium, non quoad specificationem solum.

\* \*

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3.

256 VIII. — *Circa secundum\** dictum ex articulo sexto<sup>1</sup>, *dubium est* quomodo verum sit quod voluntas, ad hoc ut tendat in bonum rationis in ordine ad se, non indiget virtute superaddita, sed sufficit ipsa ratio potentiæ. Contra hoc enim urgent **plura argumenta.**

⊙

257 Nam *in primis\**, voluntas non est magis determinata circa bonum proportionatum, quale est bonum proprium, quam intellectus circa verum proportionatum, quales sunt veritates primorum principiorum; sed circa istas datur habitus in intellectu, scilicet habitus principiorum; ergo etiam voluntas indiget habitu ad tale bonum proportionatum.

⊙

258 *Item\** respectu boni proportionati, quale est bonum proprium ratione mensuratum, voluntas habet potentiam indifferentem et patitur suas difficultates, non solum propter rebellionem appetitus, sed etiam propter obtenebrationem\* rationis, quæ non potest discernere bonum proprium, et quando discernit, non statim voluntas se illi subjicit despotice, sed libere et contingenter; ergo indiget aliquo habitu vincente\* istam difficultatem et indifferentiam potentiæ: ad hoc enim habitus ponuntur ut difficultates vincantur.

⊙

259 *Tertio\**, voluntas naturaliter plus inclinatur ad Deum quam ad se ipsam et ad proprium bonum, ut docet S. Tho-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

mas<sup>1</sup> I *Part.*, quæst. LX, et de se patet, quia plus inclinatur pars in totum quam in se ipsam, quia bonum totius est divinius et perfectius, et ab eo magis dependet conservatio sui quam a se; Deus autem est bonum per modum totius, bonum autem proprium est sicut partis respectu Dei. Sed ad diligendum Deum ponitur habitus\* etiam in ordine naturali; ergo etiam ad proprium bonum. \*n. 250



260 IX. — Ad primum\* dubium, variæ sunt explanationes. \*n. 251 sq.



261 Cajetanus<sup>2</sup> in præsentī intelligit nomine boni usus illum specialem actum voluntatis, qui dicitur uti, de quo agit S. Thomas<sup>3</sup> supra quæstione XVI, et non est aliud quam applicatio quædam voluntatis, qua applicat alias potentias ad suos actus, et sic agunt voluntarie. Ad virtutes autem morales pertinet rectificare hunc actum seu applicationem voluntatis et istud uti, nam, verbi gratia, iustitiæ defectus est, si occurrente ejus materia, voluntas non utatur, id est, non applicet potentias ad executionem iustitiæ. Virtutes autem intellectuales non\* rectificant istam applicationem et usum voluntatis, sed solum operantur actum suum proportionatum respectu objecti circa quod versatur. *Rectificatio ergo exercitii* prout est a voluntate pertinet ad virtutes morales, quæ dant bonum usum. *Rec-* \*n. 267

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 60, a. 5.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 56, a. 3, n. 3 (Comment.).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 16, a. 1.

*tificatio vero ipsius actus* secundum se et quoad specificationem suam, quæ ex parte objecti desumitur, etiam pertinet ad virtutes intellectuales\*, quæ ideo dicuntur virtutes secundum quid, quia solum dirigunt id quod se tenet ex parte objecti in specificatione actus, non id quod ex parte exercitii, ut est applicatio et usus ex parte operantis. \*n. 252



262 X. — Alii dicunt illam esse virtutem simpliciter quæ rectificat opus non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte finis; ordo autem et motio ad finem proprie tenet se ex parte voluntatis, et pertinet ad habitus ipsam perficientes, non ad virtutes intellectuales. Ita Lorca<sup>1</sup> hic ad quæstionem istam LVI.



263 XI. — Alii addunt nomine boni usus intelligi actionem undequaque perfectam ex objecto et circumstantiis, quod totum potest facere virtus simpliciter, qualis est quæ est in voluntate. Virtus autem intellectualis rectificat quidem operationem in genere veræ cognitionis, quod in genere intelligibili bonum est et perfectum, non autem in genere moris: sicut aliquis artifex aut metaphysicus potest perfectissimam habere peritiam suæ artis vel suæ scientiæ, et esse magnus et profusus peccator\*. Quod autem in genere moris bonum non facit, simpliciter\* bonum non facit, nec denominatur simpliciter bonus nisi qui moraliter virtuosus est; et ad hoc requiritur bonum ex omni parte, id est, non solum ex parte objecti, sed etiam finis et circumstantiarum: \*n. 269 \*n. 1596 sq.

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 56.



ex quacumque enim deficiat, moralitatem seu morem bonum non habet, nec enim rationem sequitur in eo quod deficit. Et ideo solum ad virtutem moralem pertinet sic rectificare.



264 XII. — Omnes istæ expositiones parum videntur differre inter se.

265 Nam quod ait\* Cajetanus virtutes quæ sunt in voluntate rectificare ipsum uti, seu ipsam applicationem voluntatis, non est quia existimaverit solum illum actum, qui est usus, rectificari a virtute morali, non vero illum qui est electio, quasi virtus moralis solum faciat executionem rectam, non autem electionem: oppositum enim manifeste constat, cum virtus moralis essentialiter sit habitus electivus<sup>1</sup>.

266 Sed ideo hoc dixit Cajetanus, quia ad virtutem moralem, quæ est inclinativa voluntatis, pertinet electionem facere non sistendo in illa prout est ad intra, sed ad executionem deducendo prout est efficax de se, et ita non sibi debet rectitudinem intendere et velle aut etiam eligere, sed etiam omnibus aliis potentiis et toti ipsi operanti, quia utitur omnibus aliis potentiis movendo illas.

267 XIII. — Ex quo fit quod debet supponere rectam intentionem finis et dispositionem aliarum circumstantiarum, et electionem rectam facere mediorum, nec ibi sistere, sed tandem perducere ad executionem opus bonum, quod utique

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36).

fit mediante applicatione et usu ipsius voluntatis. Unde cum hoc sit ultimum quod virtus moralis facit, ex ordine ad ipsum optime desumitur differentia inter ipsam et virtutem intellectualem, quæ hoc non\* habet pro ultimo effectu. \*n. 261

268 Solum enim pertinet ad virtutem intellectualem disponere intellectum, ut recte procedat in attingenda et cognoscenda veritate, ibique sistat, non autem ulterius inclinatur operantem ad exequendum, neque applicat potentias ejus aut utitur illis in ordine ad executionem actionum: hoc enim proprium voluntatis est, et habituum qui in ea sunt.

269 Unde bene stat quod aliquis recte et ordinate cognoscat verum in ratione veri, et tamen male\* utatur in opere, sicut illi, de quibus dicit Apostolus<sup>1</sup>, qui: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ad Romanos, II*. At vero in moralibus, si quis recte et efficaciter vult, non stat quod male\* utatur, quantum est ex vi voluntatis. \*n. 129 sqq.

\* \*

270 XIV. — Et in hoc tenet exemplum\* D. Thomæ<sup>2</sup> quod grammatica, licet præbeat facultatem bene loquendi, tamen potest si velit male uti arte, quia grammatica non inclinatur voluntatem neque applicat potentias, sed tantum perficit intellectum. Unde non est ejus facultas applicare bene quoad exercitium et usum artis suæ, nisi supponat id imperari a voluntate et non impediri.

<sup>1</sup> *Rom.* 1, 21.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3.

271 At vero justitia et aliæ virtutes morales per se sufficiunt ad utrumque, quia earum officium est non solum rectum objectum inspicere, sed etiam voluntatem afficere, ut recte et juste velit, et efficaciter operetur, et utatur aliis potentiis ut operentur quæ justa sunt. Et licet possit voluntas pro sua libertate\* se subtrahere a regula, et non operari secundum justitiam, tamen id erit propter defectum<sup>1</sup> suæ voluntatis liberæ, quæ non necessitatur a virtute; tamen ut inclinetur libere et utatur recte, non indiget alio principio in actu primo quam ipsa virtute sic inclinante et afficiente, ex ea enim sufficienter disponitur voluntas ut non se subtrahat a regula, non tamen infallibiliter neque necessario, et ideo potest non operari secundum virtutem. \*n. 253

272 At vero virtus intellectualis non est tale principium ut inclinet voluntatem etiam sufficienter et in actu primo ad utendum recte ipsa regula, et applicandum potentias ad opus, sed indiget alio principio pertinente ad voluntatem, quæ hoc imperet.

273 XV. — Ad id quod additur\* de virtutibus quæ sunt in appetitu sensitivo, **dicimus** eas non rectificare appetitum nisi ut motum a voluntate et subordinatum illi, et sic tota rectificatio reducitur in voluntatem moventem et appetitum ei obedientem: ponitur enim temperantia in appetitu ut recte subjiatur et obediat voluntati et electioni ejus circa has materias. Unde proprium est hujus virtutis etiam rectificare usum actumque voluntatis, quia rectificat appetitum secundum motum voluntatis et subordinationem \*n. 254

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia, q. 62, a. 8 ad 3.

illam, et ut obediat voluntati applicanti et moventi, et ut non impediatur recta electio voluntatis.

o

274 XVI. — Ad ultimum\* contra illud dictum D. Thomæ<sup>1</sup>, \*n. 255 quod virtus simpliciter etiam potest esse in intellectu ut moto a voluntate, **respondetur** quod intellectus ut motus a voluntate, licet maneat intra rationem veri, quia cognoscendo tendit in objectum, tamen non est verum pure et speculative, sed practice<sup>2</sup> et in ordine ad bonum; supponitque ex parte voluntatis aliquam dispositionem<sup>3</sup> ex qua \*n. 340 movetur intellectus ad apprehendendum illud verum sub ratione convenientis aut disconvenientis, quod non apprehenderetur sic nisi supposita tali motione et affectu voluntatis, sicque voluntas solum dispositive conducit ad hoc ut verum diverso modo intellectum moveat, non formaliter, quia ejus objectum verum non est, sed bonum seu conveniens, et sic sub ratione convenientis apparere facit et movere.

275 Et hoc modo fides divina, quia inclinatur intellectum ad veritatem certam non ex evidentia objecti, sed ex pia affectione voluntatis movente et inclinante ut firmiter in objecta supernaturalia tendat, quatenus convenientia representatur, virtus simpliciter est, quia non solum recte disponit intellectum, id est, firmiter, sed etiam supponit voluntatem pie affectam erga talia objecta, etiam si nondum fit<sup>4</sup> per gratiam justificata.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *De Ver.*, q. 14, a. 2 ad 10.

<sup>3</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 1. disp. 3, a. 3, VII (Vivès), p. 87-90 — D. Thomas, In III *Sent.*, dist. 23, q. 3, a. 1, q. 3.

<sup>4</sup> Videtur legendum: sit.

276 Similiter prudentia fertur in agibilia quatenus iudicantur convenientia regulis rationis : ad quod supponitur quod voluntas sit rectificata circa intentionem finis, ut exinde prudentia quærat et imperet ea quæ recta et convenientia sunt circa media.

★ ★ ★

277 XVII. — Circa ea quæ contra **secundum\* dictum** <sup>\*n. 249, 256-259</sup> D. Thomæ <sup>1</sup> objiciuntur, notandum est varias esse sententias in hoc puncto.

\* \*

278 Existimant enim plures generari in voluntate habitum etiam circa bonum proprium. Pro qua sententia, ex antiquis citatur Scotus <sup>2</sup>, Gabriel <sup>3</sup>, Ocham <sup>4</sup>, et alii plures ; ex recentioribus autem Lorca <sup>5</sup> hic super quæstionem LVI, artic. VI, disput. XVI, membro III, existimat necessarios esse habitus in voluntate circa bonum proprium, saltem quoad meliorem et faciliorem operationem, ad quam soli habitus acquisiti necessarii sunt.

279 Alii vero recentiores, qui (ut sequenti articulo citabimus\*) existimant fortitudinem et temperantiam, aliasque <sup>\*n. 335-336</sup> virtutes quæ rectificant hominem circa passiones et in ordine ad se, poni in voluntate, et non in appetitu\*, etiam <sup>\*n. 250</sup> consequenter tenere voluntatem indigere habitu ad elicien-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 447 sq.

<sup>3</sup> In III *Sent.*, dist. 33.

<sup>4</sup> In III *Sent.*, dist. 33.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6, disp. 16, membr. 3.

dum actum circa proprium bonum : proprie enim voluntas efficit electionem, etiam in ordine ad bonum proprium, et ad eligendum ponitur virtus, quæ est habitus electivus <sup>1</sup>, pro qua sententia stare omnes fere recentiores docet Montanos <sup>2</sup> hic disputatione XXXVII, quæstione secunda, numero XLI.

280 Alii existimant habitus qui dantur ad bonum proprium in voluntate non esse virtutes, sed initia quædam virtutum, ut cum voluntas movet appetitum sensitivum ad moderandam concupiscentiam, talis motio est a voluntate, ibique inchoatur virtus, sed terminatur in appetitu et ibi consumatur\*. Vel etiam sunt aliquid imperfectum in genere <sup>\*n. 289, 439 sq.</sup> virtutis, et ad illam reductive pertinens, sicut continentia, quæ est in voluntate, ad hoc ut non vincatur a passionibus vehementibus, quæ non <sup>3</sup> est proprie virtutis <sup>4</sup>, quia non subjicit nec moderatur passiones, sed patitur eas, licet teneat voluntatem ne ab illis deducatur, et sic reductive pertinet ad virtutem.

\* \*

281 XVIII. — **Nihilominus dicendum est** doctrinam D. Thomæ in hac quæstione <sup>5</sup> LVI, art. VI, et in quæstione prima *De Virtutibus* <sup>6</sup>, articulo quinto, quod voluntas non\* <sup>\*n. 563-569</sup> indiget habitu ad volendum bonum proprium, quod est\* <sup>\*n. 292</sup> bonum secundum rationem, intelligendam esse in sensu valde

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36).

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6, disp. 37, q. 2, n. 41.

<sup>3</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 58, a. 3 ad 2 ; IIa-IIæ, q. 53, a. 5 ad 3 ; IIIa, q. 7, a. 2 ad 3.

<sup>4</sup> Videtur legendum : virtus.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

<sup>6</sup> D. Thomas, *De Virt. in Comm.*, a. 5.

formali\*, scilicet quod loquitur de voluntate ut præcise inclinatur in bonum proprium et in se secundum se, non\* ut vult bonum altius se, id est, supernaturale, quod non est proprium, non ut vult bonum in ordine ad alterum, non ut est moderativa passionum, aut conjuncta appetitui rebelli.

\*n. 287

\*n. 250

282 *Aliud* est enim voluntatem inclinari ad bonum sibi proportionatum et connaturale, *aliud* velle etiam et facere ut aliæ potentiæ inclinentur in idem objectum bonum, præsertim quando est cum resistentia et difficultate alterius.

283 Illud *primum*\* non habet difficultatem in voluntate, quæ sit vincenda\* per habitum; hoc *secundum* magnam habet difficultatem, quia est introducere bonum rationis in aliam potentiam, quæ de se ad tale bonum non inclinatur, sed potius resistit, aut si non resistit est ex habitu frænante, aut dono justitiæ originalis fomitem extinguente.

\*n. 282

\*n. 258

284 Similiter bonum proprium, id est, sibi conveniens aut ad se pertinens, est valde connaturale: unusquisque enim naturaliter diligit se ipsum, et id quod ad se pertinet et convenientiam propriam tangit. Quod vero pertinet ad alterum, licet sit honestum et bonum, non ita connaturale est, quia non est proprium, nec se solo repræsentatur ut conveniens, et ita manet voluntas indeterminata et indifferens respectu illius, indigetque habitu acquisito superante illam difficultatem.

285 Similiter bonum supernaturale proportionatum sibi non\* est, et ideo naturaliter non potest appeti.

\*n. 250

286 XIX. — Sic ergo explicato quid intelligimus nomine boni proprii, quod voluntas naturaliter diligit, **dicimus** quod voluntas ut inclinet in bonum proprium quatenus tale, id est, quatenus conveniens sibi non indiget habitu superaddito. Potest tamen indigere habitu ut velit de facto tale bonum, non propter defectum inclinationis propriæ, sed propter resistentiam aut repugnantiam alienam, vel si fuerit necesse bonum ordinare ad alterum extra se.

287 Et ideo dicimus S. Thomam<sup>1</sup> loqui in sensu valde formali\*, scilicet quod respectu boni proprii et convenientis sibi quatenus tale, non indiget voluntas habitu ut inclinetur, seu ut determinatam inclinationem habeat erga illud quoad specificationem\*, hoc enim est non indigere voluntatem virtute ut perficiente\*, sicut loquitur D. Thomas<sup>2</sup> in articulo sexto hujus quæstionis LVI. Virtus enim perficiens est virtus actuans seu inclinans et determinans potentiam.

\*n. 281

\*n. 291

\*n. 290

288 XX. — Cæterum ad alia munera bene indigebit habitu voluntas, scilicet ut moderetur alias vires et resistat illarum repugnantia ad rationem, ut ordinet aliquid erga alterum, aut se illi subiciat, quia omnia hæc sunt extra formalitatem boni proprii, et tangunt aliquid de alieno. Unde si voluntas ut exerceat et eliciat actum erga bonum proprium indiget tollere ista impedimenta, indigebit habitu ad volendum bonum proprium, non propter inclinationem, quia hanc de se habet, sed propter extrinsecam repugnantiam, quæ si non tollitur, non elicietur actus.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

289 Qua ratione aliquo habitu indigebit voluntas ad electionem rectam faciendam, quando sunt passiones, quæ moderatione indigent, hæc enim moderatio incipit a voluntate et consummatur\* in appetitu. Cæterum ad solam inclinationem erga bonum proprium non indiget habitu superaddito voluntas. \*n. 280

290 Et supponimus quod, ut voluntas exercent justum actum, requiritur quod objectum sit sufficienter propositum et cognoscatur ut conveniens et proprium, sine cognitione enim non potest voluntas velle ; sed tamen ea supposita, non indiget habitu perficiente\* ut inclinationem habeat erga tale bonum. \*n. 287

o

291 XXI. — **Fundamentum**\* est id quod ponitur a D. Thoma<sup>1</sup>, quia ubi sufficit ad inclinationem et determinationem potentiæ ipsa propria ratio et proportio potentiæ, superfluit\* habitus, nec per habitum acquisitum potest convenire quod naturaliter et per se convenit potentiæ ; sed potentia ex sua propria ratione, et antedecenter ad omnem habitum, est determinata et inclinata ad bonum proprium quoad specificationem\* ; ergo pro hac inclinatione non indiget habitu. \*n. 300  
\*n. 317  
\*n. 287

292 *Minor probatur*, quia aliqua objecta dantur ad quæ voluntas est necessitata quoad specificationem\* (ut supra<sup>2</sup> ostendimus disputatione quinta), quod maxime verificatur respectu boni proprii, quale est beatitudo\* in communi, et

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

<sup>2</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 10, disp. 5, a. 5, n. 2-10, V (Vivès), p. 512-516.

sine quibus stare non potest beatitudo, ut esse\* et vivere, et eadem ratio est de vivere et esse secundum rationem, nam hoc maxime pertinet\* ad beatitudinem ; ergo bonum proportionatum et proprium homini sine habitu superaddito diligitur, quia ad hoc determinata est voluntas quoad specificationem\*, siquidem ex proprio et proportionato bono componitur hoc quod est vivere et esse, et beate seu feliciter esse. \*n. 328  
\*n. 281  
\*n. 287

293 XXII. — Jam vero quod voluntas non indigeat habitu pro habenda inclinatione ad id ad quod est necessaria<sup>1</sup> quoad specificationem, **probatur**, quia voluntas si ex se non esset necessitata quoad specificationem erga aliquod objectum, non posset ab habitu necessitari, siquidem habitus acquiritur actibus similibus sibi ; ergo si potentia ante acquisitum habitum non est necessitata quoad specificationem ex vi objecti, tales actus procedunt a potentia non necessitata, sed habente libertatem etiam contrarietatis, et consequenter objectum ipsum non est necessitans ; ergo actus procedunt cum libertate contrarietatis ; ergo habitus ex illis generati eodem modo inclinant cum libertate contrarietatis, et non cum necessitate quoad specificationem, quia habitus non possunt inclinare nisi ad similes actus a quibus acquiruntur.

294 Et præterea necessitas quoad specificationem fundatur in ipsa bonitate objecti, quæ non includit in sui ratione objectiva aliquid mali, et sic non potest refutari a voluntate. Talis autem bonitas non id habet ratione habitus, aut respectu solius habitus, sed respectu voluntatis absolute, quia voluntas non potest refutare nisi id quod malum ;

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : necessitata.

ergo in id quod semper est bonum de se inclinationem et determinationem habet non ex habitu, bonum autem proprium semper est conveniens ; ergo semper bonum.

\* \*

295 XXIII. — **Dices\*** : Hac ratione, ad omne honestum et rationem<sup>1</sup> consonum, etiam erga alterum, voluntas non indigebit habitu, quia ad omne bonum rationis necessitatur quoad specificationem voluntas, siquidem ex vi talis objecti nihil apparet quod sit malum, atque adeo quod non sit objectum amoris ; ergo non indigebit voluntas habitu superaddito ad tale bonum honestum erga alterum : quod tamen negat D. Thomas<sup>2</sup>. \*n. 301 sq.

296 XXIV. — Similiter instatur\* hoc in intellectu : Nam inclinatur ad verum evidens, non\* minus naturali proportionem quam voluntas ad bonum proportionatum, et tamen indiget habitu superaddito, etiam ad veritates per se notas, scilicet habitu principiorum. Cur ergo non indigebit voluntas ad bonum per se volitum, verbi gratia, ad diligendum se, habitu superaddito ? \*n. 305 \*n. 257

297 Præsertim cum in dilectione sui non solum attendatur absoluta ratio diligendi, sed quod dilectio ordinata\* sit et temperata, non nimis diligendo se. Et hoc non parva difficultate caret, quod in hoc sit maximus labor ne aliquis habeat nimis amorem proprium, sed in eo frænetur juxta præcepta rationis. \*n. 306

<sup>1</sup> Legendum videtur : rationi.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

298 Sicut etiam ipsum scire et cognoscere veritates est bonum maxime proprium et desiderabile, et quoad specificationem necessarium, quia omnes homines naturaliter scire desiderant, ut dicitur in primo *Metaphys.*,<sup>1</sup> et tamen hoc non obstante datur virtus studiositatis\*<sup>2</sup> ad componendum hoc desiderium ne sit nimium aut defectuosum ; ergo idem erit respectu boni proprii, non obstante quod voluntas sit determinata quoad specificationem erga illud. \*n. 311

299 Imo id clare apparet in humilitate\*, quæ est virtus residens in voluntate, fuit enim in Angelis, et tamen datur ad moderandum appetitum circa bonum proprium, id est, circa excellentiam ipsam spiritualem ; ergo ad volendum hoc moderate necessarius est habitus. \*n. 311, 315-6

300 Et sic nostrum fundamentum\* ruit, et clare instatur. \*n. 291

o

301 XXV. — **Nihilominus** instantiæ\* istæ non evacuant vim rationis factæ\*, nam in bono honesto potest considerari, et objectum *quod*, et objectum *cui*. Objectum *quod* est ipsum operari juste et secundum rationem in illa materia ; objectum *cui* est persona in cujus beneficium illa operatio cedit, scilicet ad alterum, cui æqualitas fit. \*n. 295-300 \*n. 281-294

302 Et bene potest contingere quod pro illa parte qua justum est operatio honesta secundum se et ex parte objecti *quod* sit conforme naturali inclinationi, ex parte autem

<sup>1</sup> Aristot., *Metaph.*, I, cap. 1 (980 a 21).

<sup>2</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 166, a. 2.

objecti *cui* non fit<sup>1</sup> connaturale, quia aliena persona et nobis extranea non ita facile et connaturaliter diligitur, sicut propria persona et proprium esse\*, imo indiget homo \*n. 328  
præcepto<sup>2</sup> ut diligat proximum sicut se ipsum, id est, regulandum illum ex se ipso.

303 Hinc est quod justitiam secundum se et in communi omnes volunt et omnes clamant, tamen in particulari non volunt fieri alteri justitiam contra se, quod tamen sæpius ad justitiam necessarium est ut etiam contra se quis pronuntiet in favorem alterius.

304 Signum ergo est quod ipsa honestas virtutis secundum se et ex parte objecti *quod* considerata, naturaliter est amabilis, ex parte objecti *cui*, seu personæ cui fit justitia, non ita est amabilis sicut persona propria. Quando autem dicimus bonum proprium et proportionatum naturaliter et sine habitu superaddito diligi, loquimur tam de bono proprio ex parte rei volitæ et objecti *quod*, quam ex parte personæ et objecti *cui*.

305 XXVI. — Ad secundam\* instantiam, dicemus† res- \*n. 296  
pondendo ad rationes dubitandi, et ponendo differentiam †n. 320 sq.  
inter intellectum et voluntatem quoad hanc partem.

306 Et ad id quod instatur\* de voluntate, quod indiget \*n. 297  
homo habitu ad diligendum se ordinate et secundum temperamentum rationis, videlicet ne nimium se amet et in se finem constituat, *respondetur* quod ad se amandum ordinate

<sup>1</sup> Legendum videtur : sit.

<sup>2</sup> Cf. *Mat.* 19, 19.

non indiget habitu, sed bene ad tollenda impedimenta quæ contra istam ordinationem offerri solent, vel ex parte intellectus, vel ex parte appetitus.

307 Itaque quando voluntas est necessitata quoad specificationem circa aliquod objectum, solum exigitur quod si illud objectum sic proponitur non possit odio haberi, sed tamen si illudmet objectum aliter proponitur et vestitur alio motivo, ita quod non æstimatur ut bonum proprium, potest odio haberi, sicut esse et vivere necessitat quoad specificationem, et tamen sub alio motivo, id est, ut subjectum tot miseriis, non proponitur ut bonum proprium et conveniens, et potest odio haberi.

308 Unde maxima difficultas et labor est non in amore et inclinatione sui ipsius ad bonum proprium formaliter sumptum, et ad amandum se ordinate et debite secundum rationem, sed *difficultas est* in ipso exercitio proponendi tale bonum proprium in hac et illa materia secundum rationem, vincit enim aliquando propria convenientia, vel ex parte appetitus, vel ex parte propriæ excellentiæ, aut aliud motivum, ut non proponatur bonum proprium cum debita ordinatione, aut sic varietur motivum quod proponitur ut illud quod secundum se est bonum proprium et proportionatum et conveniens non repræsentatur ut tale, sed potius oppositum repræsentetur ut conveniens et proprium, et tunc feretur in illud, et non id quod vere et realiter bonum proprium et conveniens est.

309 XXVII. — Unde sequitur quod ad bonum proprium et conveniens formaliter, id est, repræsentatum ut tale,

non indiget habitu voluntas, quia est necessitata quoad specificationem; ad bonum autem proprium et conveniens in materia debita potest indigere habitu non propter se, sed propter impedimenta\*, quæ sunt vel ex parte intellectus, vel ex parte appetitus, vel ex parte propriæ excellentiæ cum excessu et non subjectione ad alterum, et pro istis oportebit ponere habitum, vel in appetitu ad moderandas passiones, vel in voluntate ad subjiciendum se alteri, vel in intellectu ad recte judicandum et prudenter.

310. Non tamen ad ipsum bonum conveniens formaliter loquendo, quatenus æstimatur conveniens: sicut de beatitudine dicimus\* quod naturaliter et necessario amatur quoad specificationem, si sumatur formaliter pro ipsa ratione summi boni secundum se. Res autem ipsa in qua hoc summum bonum invenitur, quod sit Deus in se, et vita virtuosa vel voluptuosa, vel bona temporalia, hoc difficultatem habet, præsertim in his qui ad sensibilia quæ corruptuntur proni sunt, non ad æterna et quæ durant post mortem.

311. XXVIII.— Ex quibus etiam patet ad ultimas instantias\* de appetitu scientiæ frænato per studiositatem, et de excellentia propria per humilitatem\*, **respondemus** enim (omissis variis solutionibus, quæ videri possunt apud Montesinos<sup>1</sup>, hic disp. XXXVII, quæst. II) quod tam scientia quam propria excellentia indigent habitu ut moderate, ut debite appetantur, quia non sunt proprium et conveniens bonum in quacumque materia cognitionis et in quocumque modo elevationis propriæ excellentiæ.

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6, disp. 37, q. 2.

312. Et ideo licet homo non indigeat habitu ad volendam cognitionem veri ut sic in communi, et propriam excellentiam in communi, et quatenus hoc dicit formaliter rationem boni proprii convenientis, tamen ut in hac vel illa materia applicetur ad cognitionem ordinatam ac debitam, et recedat ab<sup>1</sup> indebita, indiget habitu studiositatis, et non per se naturaliter inclinatur. Et ut propria excellentia appetatur secundum debitam elevationem sui, et non supra id quod sibi debetur, indiget habitu, licet ad scire in communi et ad excellere ut sic et formaliter loquendo non indigeat habitu, quatenus consideratur ratio boni convenientis formaliter aut determinate in hac vel illa materia, sicut diximus\* de beatitudine formali, aut materiali.

313. XXIX.— Unde D. Thomas<sup>2</sup>, 2-2, quæst. CLXVII, art. I ad primum, dicit quod licet bonum hominis (hoc est bonum proprium) consistat in cognitione veri, non tamen summum hominis bonum consistit in cognitione cujuslibet veri, sed in perfecta cognitione summæ veritatis. Et ideo potest esse vitium in cognitione aliquorum verorum, secundum quod talis appetitus non debito modo ordinatur ad cognitionem summæ veritatis.

314. Ex quo colligitur quod virtus studiositatis, quæ opponitur huic vitio, requiritur non propter inclinationem ad verum in communi et ad verum quatenus conveniens homini bonum est formaliter loquendo, sed in applicatione talis vel talis determinati veri, quatenus in illo invenitur debitus ordo ad summum verum, vel non invenitur.

<sup>1</sup> Vivès: ad.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 167, a. 1 ad 1.



- 315 Et idem est de bono propriæ excellentiæ in communi et formaliter sumpto, ad quod non requiritur habitus, vel de propria excellentia in hac vel illa materia in hoc vel illo modo determinata, in qua non semper invenitur debitus ordo ad summam excellentiam, quæ est divina.
- 316 Et sic datur habitus humilitatis in voluntate\*, ut sumitur ex D. Thoma<sup>1</sup>, 2-2, quæst. CLXI, art. I ad quintum, et art. II, et quæst. CLXII, art. III; et continentia est in voluntate, ut docet ibidem<sup>2</sup>, quæst. CLIV, art. III, licet omnia ista versentur circa bonum proprium, ut moderandum in tali materia. \*n. 299
- 317 XXX. — Quare, ut uno verbo dicamus, sensus D. Thomæ<sup>3</sup> est quod ad bonum rationis proportionatum et conveniens formaliter sumptum, non requirit voluntas habitum ut inclinetur in illud, quia est propria ratio potentiæ\* ordo ad tale bonum, et ly propria ratio est idem quod formalis ratio. \*n. 291
- 318 At vero ad bonum proprium concretive sumptum in hac vel illa materia, indigere potest habitu voluntas, ut in illud inclinetur, *vel* propter impedimenta\* tollenda ex parte appetitus aut intellectus, *vel* propter ipsius materiæ indifferentiam et difficultatem, ut proportionata reddatur secundum rationem, vel ab ipsa deviet. \*n. 306, 309

\* \*

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 161, a. 1 ad 5, et a. 2; q. 162, a. 3.<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 155, a. 3.<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.

- 319 XXXI. — Ad ea quæ contra hoc dictum D. Thomæ<sup>1</sup> a principio\* objecta sunt. \*n. 256 sq.
- o
- 320 Ad primum\*, dicitur esse disparem† rationem inter intellectum et voluntatem in hac parte, ut docet S. Thomas, in quæstione citata\* *De Virtutibus*<sup>2</sup>, art. V ad tertium, quia intellectus non est potentia sufficiens per se solam ad cognoscendum etiam ea quæ per se nota sunt, sed indiget specie superaddita ex parte objecti, et ista non repræsentat intellectui nostro sicut species angelica Angelo, quæ comprehensive repræsentat et manifestat Angelo objectum suum. Unde cum ejus intellectus habeat vim et efficaciam adæquatam et proportionatam illi speciei, non\* indiget lumine aliquo superaddito determinante et adjuvante intellectum ut veritates istas vel illas intelligat, sed omnes penetrat et comprehendit in unica specie. \*n. 281
- 321 At vero noster intellectus procedit imperfectissime et tamquam pura potentia ad cognoscendas omnes veritates. Et ideo oblatis speciebus, non potest in illis veritates aliquas penetrare per comprehensionem, sed per collationem unius cum alio, vel per discursum. Unde oportet\* lumine aliquo determinari ad hoc ut possit ex istis speciebus vel illis, conferendo et componendo, has potius veritates quam illas elicere et attingere per assensum, eo quod ad omnes est in potentia intellectus, non solum in potentia, ut sibi repræsententur objecta et species adveniant, quia de se caret illis, sed etiam in potentia, ut posita repræsentatione \*n. 566 sq.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 6.<sup>2</sup> *De Virt. in Comm.*, a. 5 ad 3.

specierum, illas evolvat, et veritates ex illis eliciat componendo unum cum alio, vel discurrendo, etc., quia ad hoc non habet vim intellectus determinatam ex se, sed valde potentialem et indifferentem.

322 Unde ad ejus potentiam actuandam, non solum\* indiget productione et receptione specierum ex sensibus acceptarum, sed etiam lumine ex ipsarum specierum collatione et quasi discussione hausto et excusso, quo juvatur et determinatur intellectus ad assensum istarum veritatum potius quam illarum, quo lumine superaddito non indiget Angelus, quia vis potentiae ipsius est de se satis efficax et proportionata\*, ut positus speciebus comprehendat objectum.

\*n. 113,  
533 sqq.

\*n. 291, 317

323 XXXII. — At vero voluntas nullo horum indiget ut in ipsam rationem boni proprii feratur, quia in se non est in potentia ad aliquam speciem et repraesentationem qua determinetur erga ipsum objectum proprium suum, sed est potentia per modum ponderis\* et inclinationis, quae proposito objecto de se habet sufficientem vim ut in ipsum feratur, et si sit bonum proportionatum et proprium, etiam habet necessitatem<sup>1</sup> quoad specificationem\* respectu illius, eo quod formalis ratio propria voluntatis est bonum prout conveniens, et ita ad hoc non indiget habitu.

\*n. 114

\*n. 292

324 Si tamen haec convenientia non appareat in hac vel illa materia, indigebit pro illa aliquo habitu ad vincendam difficultatem, eo quod talis materia admittit aliquando rationem et convenientiam, aliquando disconvenientiam, et

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In Ia-II<sup>ae</sup>, q. 10, disp. 5, a. 5, n. 2-10, V (Vivès), p. 512-516.

ideo ut convenienter eligatur, indigebit habitu, et multo magis si bonum conveniens fuerit alteri, et non sibi, quia oportet ad hoc diligendum quod illud bonum alterius reddatur quasi proprium et sibi communicans, ut illud etiam appetat, et ita indiget charitate, aut alio habitu inclinante ad bonum alterius, ut amicitia, justitia, etc. Unde et amicitia fundatur super communicatione, et amabilia ad alterum ex amicabilibus<sup>1</sup> ad se. Oportet enim omnia reducere ad proprium bonum et conveniens, quod est connaturale nobis, nec ad illud indigemus habitu, sed naturali propensione.

325 Quomodo vero Deus respiciatur naturali propensione, statim\* dicemus, est enim bonum maxime nobis convenientissimum, quia: *In ipso vivimus, et movemur, et sumus*<sup>2</sup>, et nostrum bonum est sicut participatio<sup>3</sup> illius.

o

326 XXXIII. — Ad secundum\*, dicimus quod respectu boni proprii voluntas habet indifferentiam quantum ad exercitium, non quantum ad specificationem, quia de se determinata est voluntas ad speciem et formalem rationem illius actus.

\*n. 328

\*n. 258

327 Ex obtenebratione\* autem intellectus non sequitur quod indigeat habitu ipsa voluntas pro inclinatione erga bonum proportionatum et conveniens, si sibi proponatur, sed quod ipse intellectus indigeat ut debite proponat. Si autem

\*n. 258

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, IX, cap. 4 (1166 a 1-2); cap. 8 (1168 b 5-6).

<sup>2</sup> *Act.* 17, 28.

<sup>3</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia, q. 105, a. 5.

proponat illud, voluntas non indiget habitu ut feratur in illud quatenus conveniens, licet indigere possit habitu ad determinate volendum id in quo talis convenientia debita reperitur propter impedimenta\* extrinseca, vel ex parte appetitus, vel ex parte intellectus, vel ex parte modi quo tale bonum ordinandum est erga rationem (ut diximus\*), non ex defectu inclinationis determinatæ et necessitatæ ad specificationem boni proprii convenientis et formalem ejus rationem.

o

328 XXXIV. — **Ad tertium\***, *respondetur* quod Deus, etiam ut naturaliter diligibilis, necessario quoad specificationem diligitur in quantum est bonum universalissimum, et sub hac formali ratione consideratum et in hac ratione multo magis<sup>1</sup> amatur quam bonum proprium, magisque naturaliter, et reputatur pro bono proprio\* eminentiori et altiori ratione, quia est principium a quo participatur et dependet omne bonum proprium. Et ita diligendo naturaliter proprium esse\* et convenientiam, eadem naturali vi diligi debet principium conservativum et originativum talis esse et totius nostræ convenientiæ.

329 At vero si consideretur Deus non solum sub ratione universalissimi boni et principii totius esse, qua ratione amatur naturali dilectione plus quam proprium esse, ut S. Thomas dicit<sup>2</sup>, I P., quæst. LX, art. V, sed considerando illum etiam in genere ordinis naturalis, secundum quod potest habere erga nos specialem communicationem ami-

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 109, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 60, a. 5.

cabilem, et nos erga illum in observatione præceptorum ejus, et secundum effectus particulares in quibus potest habere amicitiam etiam naturalem erga nos licet imperfectam, sic est objectum dilectionis electivæ : sic habet specialem difficultatem, quatenus volumus illum ut amicum, et ut specialiter colendum, et ut amandum cum observatione præceptorum, et sic aliquo habitu indigebit voluntas, multo magis quam ad volendum bonum alteri, quia magis et difficilius bonum debet velle Deo, scilicet subjectionem in omnibus, et observantiam omnium præceptorum.

330 Denique, ad volendum ipsum ut finem supernaturalem, multo magis necessarius est habitus, quia non est proportionatum bonum, sed supernaturale.

## ARTICULUS II

*UTRUM IN APPETITU SENSITIVO  
SINT VIRTUTES MORALES, ET QUÆNAM SINT?*

331 I. — De virtutibus moralibus, quæ moderantur passionibus appetitus sensitivi, censuit D. Thomas esse in appetitu sensitivo, ut gubernetur a ratione et voluntate, tamquam in subjecto, ut patet in hac quæstione<sup>1</sup> LVI, art. IV et VI, et videri etiam potest I P., quæst.<sup>2</sup> XXI, art. I ad primum, et quæstione unica *De Virtutibus*<sup>3</sup>, art. V, illumque communiter sequuntur ejus discipuli super hanc quæstionem LVI<sup>4</sup>, art. IV.

332 II. — Cæterum contra sententiam D. Thomæ plures auctores sentiunt, qui bipartito dividuntur.

333 **Quidam**\* enim absolute tenent virtutes morales non \*n. 279, 337 esse in appetitu sensitivo, etiamsi versentur circa passionibus moderandas. Addunt autem has virtutes, saltem secundum rationem virtutis, esse subjective in voluntate, posse tamen dari in appetitu sensitivo aliquos habitus attingentes

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4 et 5.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 21, a. 1 ad 1.

<sup>3</sup> *De Virt. in Comm.*, a. 4.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

materialem rationem virtutis, id est, ipsam ejus materiam, quæ sunt passionibus, non tamen sub formali ratione virtutis.

334 Hanc sententiam docet D. Bonaventura<sup>1</sup>, in III, distinct. XXXIII, articulo primo, quæstione III, et Scotus<sup>2</sup>, eadem distinctione XXXIII, & *Ad quæstionem*, et sequuntur communiter ejus discipuli. Sed tamen concedunt dari etiam in appetitu habitus aliquo modo virtuosos, correspondentes illis virtutibus quæ in voluntate sunt, ad moderandas passionibus.

335 Vazquez<sup>3</sup> autem hic, disp. LXXXVII, cap. II, sequitur hanc sententiam Scoti, non\* tamen concedit aliquem \*n. 378 habitum fortitudinis in parte irascibili.

336 Eandem sententiam Scoti sequitur Azorius<sup>4</sup>, primo tomo *Institutionum Moralium*, lib. III, cap. XXV, et alii.

◊

337 **Alii**\* vero docent tam in voluntate quam in appetitu \*n. 333 collocandos esse habitus qui versantur circa passionibus moderandas, ut temperantia et fortitudo, et utrobique habere rationem virtutis. Ita Gabriel<sup>5</sup>, in III, dist. XXXIII, quæstione unica, dubio primo, et Valentia<sup>6</sup> hic, disp. III, quæst. II, puncto II.

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, a. 1. q. 3, *Opera Omnia*, III (Quaracchi), p. 715-718.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 447-450.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4, disp. 87, cap. 2.

<sup>4</sup> *Instit. Moral.*, Lib. III, cap. 25.

<sup>5</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. unic., dub. primo.

<sup>6</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4, disp. 3, q. 2, punct. 2.

338 Fundamenta harum sententiarum adducemus\* in solutione argumentorum. \*n. 414-461

★ ★ ★

339 III. — **Nihilominus** sententia quam proposuimus\* est \*n. 331  
D. Thomæ, eamque ut diximus\* sequuntur ejus discipuli, \*n. 331  
Cajetanus <sup>1</sup>, Conradus <sup>2</sup>, Medina <sup>3</sup>, in hac quæstione LVI,  
art. IV, Lorca <sup>4</sup>, Montesinos <sup>5</sup>, et alii, licet aliqui ita ponant  
in appetitu sensitivo virtutes moderativas passionum, quod  
in voluntate nullum habitum ponant ad illas dirigendas,  
et rectam electionem faciendam.

340 Alii ponunt in voluntate habitum ad hoc, licet non consummatum neque perfectum, sed quasi inchoatum, et sic talem habitum dicunt non esse virtutem prout est in voluntate, ad eum modum quo ponitur habitus piæ affectionis <sup>6</sup> in voluntate\* in ordine ad credendum, et tamen \*n. 274  
non est ibi virtus fidei, sed in intellectu, ubi consummatur ipse assensus credendi. Et hæc videtur sine dubio sententia D. Thomæ <sup>7</sup>.

341 IV. — Quare duas partes continet hæc sententia et resolutio\* nostra, apposita <sup>8</sup> modo ad sententiam Scoti. \*n. 331, 339

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4, n. 2 (Comment.).

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>4</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>6</sup> Cf. D. Thomas, in III *Sent.*, dist. 23, q. 3, a. 1, qla 3; Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, in IIa-IIæ, q. 1, disp. 3, a. 3, VII (Vivès), p. 87-90.

<sup>7</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>8</sup> Forsan legendum: opposita.

342 **Prima\***, quod in appetitu sensitivo habitus temperantiæ et fortitudinis sunt veræ et propriæ virtutes prout ibi subjectantur. \*n. 344-363

343 **Secunda\***, quod in voluntate dantur habitus ad dirigendam moderationem harum passionum, et imperandum appetitui sensitivo, ut eas moderatas eliciat. \*n. 364-377

\* \*

344 Et **prima pars\*** probatur auctoritate Aristotelis, qui \*n. 342  
in III *Ethicorum* <sup>1</sup>, cap. X, inquit quod temperantia et fortitudo sunt partium irrationalium. Nomine autem partis irrationalis non potest intelligi nisi appetitus sensitivus, nam intellectus et voluntas pertinet ad partem spiritualem animæ, et consequenter ad partem rationalem.

o

345 V. — Respondetur diversimode ad hanc auctoritatem.

346 **Primo\***, quod nomine partis irrationalis intelligit \*n. 350  
Philosophus tam hic <sup>2</sup>, quam in primo *Ethicorum* <sup>3</sup>, capite ultimo, et in VI *Ethicorum* <sup>4</sup>, cap. VI, omnes potentias præter intellectum, et nomine partis rationalis ipsam rationem seu mentem, et ita solum voluit Philosophus has virtutes non esse in intellectu\*, non tamen negavit esse in \*n. 343, 364-377  
voluntate\*, aut affirmavit esse in appetitu.

<sup>1</sup> *Ethic.*, III, cap. 13 (1117 b 23).

<sup>2</sup> *Ethic.*, III, cap. 13 (1117 b 23).

<sup>3</sup> *Ethic.*, I, cap. 13 (1102 b 30).

<sup>4</sup> *Ethic.*, VI, cap. 2 (1139 a 5).

347 *Secundo\**, Aristotelem solum voluisse dicere quod in appetitu sensitivo sunt qualitates\* quaedam quæ minus proprie possunt dici virtutes, illa autem proprie est virtus quæ in voluntate, quia hæc facit electionem\*, et electio est propriissimus<sup>1</sup> actus virtutis. \*n. 353  
\*n. 353  
\*n. 371 sq.

348 *Tertio\**, responderi potest quod temperantia dicitur esse partis irrationalis objective\*, non subjective, quia videlicet habet pro objecto et materia illa electio et virtus voluntatis passiones, quæ sunt in appetitu irrationali, id est, sensitivo. \*n. 356-7  
\*n. 382

o

349 VI. — Sed istæ solutiones\* nullo modo satisfaciunt. \*n. 345-348

350 Non *prima\**, quia Philosophus nomine partis irrationalis ita intelligit potentias quæ sunt extra intellectum seu rationem, quod facit voluntatem et appetitum subjectum virtutis, quia a ratione dirigi<sup>2</sup> possunt. Alias vero potentias irrationales docet esse quæ a ratione dirigi non possunt, et istas dicit non esse subjectum virtutis. \*n. 346

351 Patet hoc ex loco citato\* in primo *Ethicorum*<sup>3</sup>, capite ultimo, ubi Philosophus dividit partem irrationalem in eam quæ nullo modo participat rationem, et in eam quæ aliquo modo rationem participat, quia ab ea moveri et dirigi potest, et hanc vocat concupiscendi vim, quæ rationi<sup>4</sup> obedit et est capax virtutis, ut statim ex ejus verbis videbimus\* ; \*n. 354

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36)

<sup>2</sup> Vivès : dirigit.

<sup>3</sup> *Ethic.*, I, cap. 13 (1102 b 30).

<sup>4</sup> Vivès : ratione.

ergo sub nomine partis rationalis<sup>1</sup> comprehendit appetitum sensitivum tamquam subjectum virtutis.

352 Quare Philosophus non solum voluit docere quod subjectum illarum virtutum non sit intellectus\*, sed etiam quod sit appetitus sensitivus, quia pars illa irrationalis secundum Philosophum complectitur etiam appetitum sensitivum, et illum dicit esse subjectum virtutum, nec aliarum esse potest quam temperantiæ et fortitudinis, quia hæc virtutes eliciunt passiones moderatas, et sic non est alia virtus quæ ad istam partem irrationalem pertinere possit, si istæ non pertinent. \*n. 346

353 VII. — *Secunda\** autem solutio restringit Aristotelem sine fundamento : cum enim ipse dicat quod pars irrationalis quæ obedit rationi sit subjectum virtutis, quo fundamento possumus in una et eadem clausula interpretari quod nomen virtutis pro voluntate sumatur proprie, pro appetitu improprie. Nam in voluntate esse virtutem proprie dictam oppositi auctores\* non negant, nec potest negari. Unde ergo dicere possunt quod quando loquitur de appetitu non sumit virtutem proprie, sed improprie, et solum pro qualitate\* quadam, cum æque toti illi parti irrationali et utriusque potentiæ idem virtutis nomen applicet. \*n. 347  
\*n. 333-336

354 Aristotelis verba<sup>2</sup> et contextus sunt : « Fortasse autem non minus in anima putandum est esse aliquid præter rationem quod huic adversetur et obstet. Dicere vero quomodo est diversum nihil refert. Ratione autem videtur

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur : irrationalis.

<sup>2</sup> *Ethic.*, I, cap. 13 (1102 b 23 — 1103 a 5).

hoc rationis, uti diximus, particeps esse. Paret enim in ipso continente rationi, et in temperante ac forti magis forsitan eidem obtemperat. Omnia enim in illis sunt consona rationi. Pars igitur animæ ratione vacans est duplex, vegetativa namque nullo modo rationis est particeps. Sed cupiendi vis et omnino appetendi rationis est particeps, et ratione quæ obedit ipsi, obtemperat . . . Quod si oportet hanc quoque partem dicere rationem habere, duplex et ea pars erit, quæ rationem habet, et una quidem proprie et in se ipsa, altera vero ut is qui obtemperat patri ; dividitur autem virtus, et hac differentia ».

355 Et continuo dividit juxta has potentias virtutem in intellectualem et moralem, assignans parti per se rationali, scilicet intellectui, virtutem intellectualem, parti vero irrationali, quæ participativa est rationis (sub qua includit utrumque appetitum, ut etiam ibi dicit S. Thomas<sup>1</sup>), moralem. Sine ulla ergo differentia loquitur de utroque appetitu assignando illum pro subjecto virtutis.

356 VIII. — Denique, *tertia*\* *solutio* est omnino extra rem, \*n. 348 quia Aristoteles non agit ibi de objecto\* virtutis, sed de \*n. 382 subjecto, assignans pro subjecto illud quod licet irrationale sit, est tamen particeps rationis, ab eaque dirigitur et ei obtemperat ; ergo non loquitur de parte irrationali tamquam de objecto virtutum, sed tamquam de subjecto.

357 Et id manifestum est ex *textu*\*, quia nomine partis \*n. 346, 354 irrationalis obedientis rationi includit non solum appetitum, sed etiam\* voluntatem. Si ergo de parte irrationali loque- \*n. 351

<sup>1</sup> In I *Ethic.*, lect. 20, n. 243 (Pirotta).

retur tamquam de objecto\*, tam appetitus quam voluntas \*n. 348 dicerentur objectum virtutis moralis, quodnam ergo restaret subjectum illarum ?

o

358 IX. — **Fundamentum autem et ratio** hujus primæ\* partis nostræ conclusionis sumitur ex D. Thoma, in \*n. 344 hac quæstione<sup>1</sup> LVI, articulo IV, quia appetitus sensitivus est subjectum actus humani boni et laudabilis ; ergo et virtutis proprie dictæ.

359 *Consequentia patet*, quia actus humanus bonus est actus virtutis : opponitur enim peccato ; ergo subjectum quod est capax talis actus erit capax virtutis, præsertim cum isti actus sint immanentes, et in eodem subjecto seu potentia debet subjectari actus et principium elicivum illius, quod est virtus.

360 *Antecedens autem probatur*, quia appetitus sensitivus ut regulatus ratione eique subicibilis elicit actus bonos laudabiles, scilicet passiones moderatas, illis enim meretur aliquis, sicut mitigando passiones concupiscentiæ, et elicendo illas moderatas et subjectas rationi, elicit illas ut moraliter bonas : tales enim actus sunt humani, id est, voluntarii, ex participatione\* voluntatis derivata in appetitum, qui etiam participat libertatem et rationem voluntarii. Sunt etiam morales, quia sunt conformes rectæ rationi et ab ipsa moderati, quia appetitus noster rationi subjectus est, juxta illud *Genesis*<sup>2</sup>, IV : *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*. Tales autem actus, cum sint

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 56, a 4.

<sup>2</sup> *Gen.* 4, 7.

passiones moderatæ, eliciuntur ab ipso appetitu sensitivo ; ergo in ipso subjectantur actus morales boni, quia in ea potentia subjectantur actus isti immanentes a qua eliciuntur ; ergo appetitus sensitivus est subjectum actus virtuosus ; ergo et habitus virtutis.

361 X. — **Dices\*** : Ergo in statu innocentia in quo plene <sup>\*n. 362</sup> subiciebatur appetitus rationi, et similiter in anima Christi, non erat capax appetitus istarum virtutum, quia tunc sine ulla indifferentia et resistentia regebatur a ratione, et sic non magis erat capax virtutis quam exteriora <sup>1</sup> membra, quæ despotice serviunt imperio rationis. Constat autem temperantiam et fortitudinem non mutasse subjectum ex eo quod innocentia est perdita. Et D. Thomas <sup>2</sup>, III P. quæst. XV, articulo II, probat in Christo non esse peccatum, quia habet istas virtutes in summo.

362 XI. — **Respondetur\*** quod aliquid subjici rationi sine <sup>\*n. 361</sup> resistentia potest esse dupliciter : *vel* ex ipsa natura potentia, quæ in se nullam participat indifferentiam vel modum libertatis, sed puram servitutem, et tales nunquam sunt capaces virtutis ; *vel* ex aliquo dono superaddito dimanante a superiori ratione et a gratia, qua per virtutem redditur potentia, alias indifferens et resistens, totaliter subjecta, et in nullo resistens, nec præveniens rationem, sed in omnibus ipsi obtemperans.

363 Quando hoc secundo modo appetitus redditur subjectus et non repugnans, tantum abest\* quod non maneat capax <sup>\*n. 436</sup>

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>e</sup>, q. 17, a. 9.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, III<sup>a</sup>, q. 15, a. 2.

virtutis, quod potius ex abundantia virtutis et illius doni gratuiti sibi superadditi id habeat, sicut in statu innocentia ex dono justitia originalis id habebat. Quare sic subjici et reddi non resistentem appetitum non est obedientia despotica, id est, naturalis servitus, sed maxime politica, quia in sua indifferentia et perfectione manens, perfecte subjicitur rationi, et sic est moralis obedientia et subjectio, ergo et virtuosa, derivata tamen a dono gratia per speciale illud donum justitia originalis.

\* \*

364 XII. — Quoad **aliam\* partem conclusionis**, quod in <sup>\*n. 343</sup> ipsa etiam voluntate constituendi sint habitus ad imperandum et dirigendum appetitum ut ipsas passiones moderatas eliciat, deducitur ex ratione D. Thomæ <sup>1</sup>, in articulo quarto, quia quando actus dependet a duplici potentia, et procedit ab una prout est mota ab alia, non potest actus esse perfectus nisi utraque potentia sit bene disposita ad talem operationem. Unde necesse est quod habitus perficiens ad bene agendum, non solum sit in ratione, sed etiam in ipso appetitu irascibili et concupiscibili. Jam ergo fatetur D. Thomas non solum dari hos habitus in ipso appetitu, sed etiam in ratione.

365 XIII. — Nec sufficit dicere quod erit habitus in ratione, id est, in intellectu, in quo non est difficile intelligere quod detur habitus qui sit vera virtus ad hoc ut procedat actus a ratione, scilicet directive, eo modo quo ratio ipsa ad actus voluntatis concurrat, et hic habitus est prudentia, quæ in ratione residet, ut actus qui a voluntate procedit perfectus sit in quantum directus est a ratione.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>e</sup>, q. 56, a. 4.



366 Cæterum, quia prudentia immediate influit in voluntatem, et inde in appetitum sensitivum, ipsaque voluntas applicat et movet appetitum ut moderetur passiones quas ipsa imperat et imperare eligit, oportet non solum rationem, sed etiam voluntatem aliquo habitu esse perfectam, eo quod actus dependet non solum ab appetitu sensitivo eliciente et obediente, sed etiam a voluntate imperante. Et urget semper hoc principium positum a D. Thoma<sup>1</sup>, quod quando actus aliquis dependet a duplici potentia, scilicet movente et mota, ut actus sit perfectus (qualis est actus virtutis), oportet quod utrumque principium a quo dependet perfectum sit, perficitur autem aliquo habitu.

367 XIV. — Et sumitur fundamentum ex superadditis, quia quando voluntas movet et imperat appetitum sensitivum ut eliciat passiones moderatas, non solum inclinatur voluntas erga bonum in communi, aut ad ipsam rationem formalem boni proportionati et convenientis, ad quod necessitatur quantum ad specificationem, ad quod non\*<sup>n. 277-330</sup> indiget habitu, quia ad id non datur aliqua difficultas, sed ulterius movet alias potentias circa bonum rationis, ad quod potentia illæ non habent propriam inclinationem, sed maximam difficultatem et pondus, ut quotidie experimur. Ergo ut voluntas trahat et subjiciat huic boni<sup>2</sup> prædictas potentias majoribus indiget viribus, et majores difficultates debet superare, cum sæpissime resistat et recalcitret appetitus; ergo ad vincendas has difficultates\*, indiget habitu,<sup>n. 377</sup> quia ad hoc datur habitus ut speciales difficultates vincantur.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Legendum est: bono.

368 XV. — Et confirmatur, quia ut non deducatur voluntas ab ipsa renitentia passionum indiget habitu; ergo tantum abest ut non sentiat difficultatem ipsa voluntas in reducendo et moderando passiones, quod potius ipsa multum præstabit si non deducatur a vehementia ipsarum, et sic multo magis indigebit habitu ut moderetur ipsas et imperet illis, ac dirigat cum effectu.

369 Antecedens autem constat, quia in voluntate ponitur habitus continentiaæ ut resistat\* passionibus insurgentibus,<sup>n. 437</sup> ne deducatur ab illis, ut docet S. Thomas<sup>1</sup>, 2-2, quæstione CLIV, articulo primo. Ergo passiones ita sunt difficiles ad moderandum, quod indiget voluntas habitu ne ab ipsis deducatur quando vehementes sunt; multo ergo magis ut eas moderetur ne insurgant habitu indigebit voluntas, quia talis directio et imperium debet esse efficax ita ut faciat appetitum sibi subjici et frænari a ratione, hoc autem valde difficile est.



370 XVI. — **Sed inquire\***: Cur isti habitus qui ponuntur<sup>n. 371 sq.</sup> in voluntate non erunt virtutes etiam prout ibi sunt, siquidem ponuntur in voluntate ad actum perfectum et consummatum in genere et linea voluntatis, siquidem ponitur ille habitus ad hoc ut voluntas eliciat electionem moraliter bonam, et imperet ac dirigat appetitum ut moderetur passiones, quod totum est opus non minus perfectum quam obedire rationi ex parte appetitus, et elicere passiones ipsas moderatas. Ergo sicut habitus qui ponitur in appetitu ad obediendum est virtus, cur ille qui ponitur in voluntate

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 155, a. 1.

ad imperandum non erit virtus? Cum etiam justitia legalis\*, \*n. 375  
quæ aliis virtutibus imperat easque dirigit ad debitum boni  
communis, et similiter prudentia in intellectu, sint virtutes.

371 XVII. — **Respondetur\*** hos habitus prout sunt in \*n. 370  
voluntate non habere rationem virtutis, quia intra volun-  
tatem non habent perfectum et consummatum actum, sed  
extra eam in appetitu sensitivo, in quo consummantur et  
perficiuntur, quatenus ibi eliciuntur passiones moderatæ,  
quod etiam pertinet ad electionem\* rectam participative \*n. 347, 402  
derivatam a voluntate, quæ eam imperat, et sic eliciendo  
moderatas passiones, voluntas libera et prompta relinquitur  
in sua electione et actu circa talia objecta.

372 Est enim considerandum quod cum voluntas sit prin-  
cipium movens et inclinans cæteras potentias, habet ele-  
ctiones duplicis generis.

373 Quædam quæ respiciunt bonum in ipsa voluntate, et  
ibi consummantur quantum ad intentum principale, quod  
est rectificatam reddere voluntatem in ordine ad tale bonum,  
licet consecutive possit redundare in alias potentias, quatenus  
per ipsas aliquid ad extra exequendum est, vel quatenus  
ipsæ etiam tali bono superiori subjici et subordinari  
possunt.

374 Aliæ vero electiones voluntatis directe respiciunt sub-  
jectionem et moderationem aliarum virium, et earum  
obedientiam ad se, et sic voluntas primo eligit\* ipsam mode-  
rationem et subjectionem inferiorum virium, earumque  
frangere resistantiam, deinde vero pacatis illis et sublatis

impedimentis eligit et operatur circa bonum proprium sine  
difficultate.

375 XVIII. — Dicimus ergo quod quando voluntas primo\* \*n. 373  
modo eligit et exercet operationes suas, habitus qui est  
necessarius ad talem electionem virtus est, etiam prout  
in voluntate, quia non solum ibi est difficultas vincenda,  
sed etiam ibi consummatur perfectio talis actus, scilicet in  
electione ipsa voluntatis in tali bono arduo et difficili, sicut  
in justitia legali\*, religione, pietate, et aliis virtutibus erga \*n. 370  
alteram. Quæ tamen etiam si imperent aliis, non est primo  
et per se ad vincendam earum resistantiam, aut moderandam  
et superandam, sed ad communicandum eis perfectionem  
suam et ordinem ad suum finem.

376 At vero quando difficultas alicujus habitus et principalis  
ejus scopus est ad superandam et vincendam resistantiam  
aliorum, et moderandos excessus, non est consummatus et  
perfectus actus nisi obtineatur victoria, ita quod inferiores  
illæ vires obedientes et moderatæ relinquuntur. Non  
redduntur autem obedientes per hoc solum quod passive  
reddantur subjectæ, sed per hoc quod actus suos moderatos  
eliciant et subjectos rationi. Unde ibi consummatur  
victoria superioris potentiæ, et ibi fit electio perfecta et  
ultima. Virtus autem est quæ perfectum et consummatum  
habet opus, et est ultimum<sup>1</sup> potentiæ.

377 Et sic in virtutibus moderantibus passionem, electio  
voluntatis, quia est imperativa tantum (eligit enim imperare  
moderationem passionum), licet difficultatem\* habeat, et sic \*n. 367

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 11).

requirat habitum qui sit inchoatio et principium virtutis, non tamen habitum, qui habeat ibi consummationem et perfectionem ultimam quousque eliciantur actus moderati in appetitu sensitivo, et hoc non potest fieri nisi per habitum existentem in ipso; ibi ergo subjectabitur habitus qui sit virtus moderativa passionum; habitus autem præcise imperativus non est virtus, sed principium ejus.



#### QUÆ VIRTUTES SINT IN APPETITU SENSITIVO?

378 XIX. — **PRIMO\***, est difficultas de fortitudine, propter <sup>n. 381</sup> sententiam Vazquez <sup>1</sup> qui negat\* in irascibili esse virtutem <sup>n. 335</sup> fortitudinis, hic, disp. LXXXVII, capite secundo, ea ratione ductus quia objectum appetitus sensitivi est delectabile\* <sup>n. 386, 389</sup> proprium, sed in aggrediendis periculis nullum delectabile invenit appetitus irascibilis, unde Philosophus dicit in III *Ethicorum* <sup>2</sup> quod fortis in suo actu « nihil delectabile videtur habere ».

379 Quod etiam affirmat S. Thomas <sup>3</sup>, 2-2, quæst. CXXIII, articulo VIII, quod si fortis in actu fortitudinis quærit gloriam aut lucrum, aut aliquid simile, hoc pertinet ad bonum intellectuale, non ad sensibile, inde non pertinebit ad habitum appetitus, sed voluntatis, et sufficit quod appetitus ei non resistat, non verò quod operetur.

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4, disp. 87, cap. 2.

<sup>2</sup> *Ethic.*, III, cap. 9 (1117 b 6).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 123, a. 8.



380 Quare licet Vazquez admittat generari aliquem habitum temperantiæ operativum in appetitu, qui non sit formaliter virtus, quia non tangit motivum virtutis, quod est ipsa honestas\*, sed solum circa materiale objectum virtutis, <sup>n. 390</sup> quatenus assuefactione homo fit promptior ad consequendum delectabilia sensus sub quadam mediocritate\*, et non effuse, <sup>n. 1324</sup> tamen pro fortitudine non admittit generari habitum in irascibili operativum etiam circa materiam virtutis, quin <sup>1</sup> non juvat appetitus voluntatem operando circa aggressionem periculorum, sed solum non resistendo\* voluntati, et ideo <sup>n. 385</sup> solum poterit generari in appetitu aliqua dispositio, qua minus resistat voluntati in aggrediendis periculis.

\* \*

381 XX. — **Nihilominus** opposita sententia est S. Thomæ in hac quæstione <sup>2</sup> LVI, articulo IV, et Aristotelis, III *Ethicorum* <sup>3</sup>, cap. X. Et iterum ibi <sup>4</sup> D. Thomas, lect. XIX, et communiter omnium theologorum.

382 Nec dici potest quod quando Aristoteles dicit temperantiam et fortitudinem esse partium irrationabilium, intelligendus est objective\* et ex parte materiæ circa quam, <sup>n. 348, 356-7</sup> non subjective et ex parte materiæ in qua, ut interpretatur Vazquez, quia Philosophus esset diminutus si subjectum non assignaret his virtutibus, cum tam multa egerit ibi de

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur: quia.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>3</sup> *Ethic.*, III, cap. 13 (1117 b 23).

<sup>4</sup> In III *Ethic.*, lect. 19, n. 595-597 (Pirotta).

materia circa quam tales virtutes versantur. Nullibi autem attigisse videtur subjectum istarum virtutum nisi prædicto\* \*n. 344 loco<sup>1</sup>, ubi dicit has duas virtutes esse partium irrationalium; ideoque sic intellectus videtur communiter ab omnibus interpretibus.



383 XXI. — *Et fundamentum est*, quia sicut pertinet ad temperantiam moderari passiones concupiscibilis, id est, delectationes et tristitias in voluptatibus maximis, quales sunt voluptates tactus, ita pertinet ad fortitudinem moderari passiones irascibilis, id est, timores et audacias in maximis periculis, qualia sunt pericula mortis.

384 Istæ autem passiones timoris et audaciæ non redduntur moderatæ nisi per regulam rationis, quæ eas ad medium reducit et ad finem honestum, quod utique est bonum morale; ergo elicientia istarum passionum sic moderatarum est elicientia actus boni moraliter, quia est actus moderatus et regulatus secundum rectam regulam rationis.

385 Constat autem quod elicientia harum operationum est operari; ergo principium inclinans ad talem elicientiam inclinatur ad operandum, et non solum ad non resistendum\* \*n. 380 voluntati; ergo habitus elicivus harum operationum est habitus operativus, non minus quam habitus temperantiæ, quia elicit passiones moderatas\* regula rationis, sicut illa. \*n. 438, 483 Ut autem sit virtus talis habitus, sufficit quod actus et operatio ejus sit virtuosa, id est, bona moraliter. Bona

<sup>1</sup> *Ethic.*, III, cap. 13 (1117 b 23).

autem et virtuosa est elicientia passionis moderatæ per rationem.

\* \*

386 XXII. — *Fundamentum\* Vazquez est nullius momenti.* \*n. 378 Nec enim objectum proprium utriusque appetitus, tam concupiscibilis quam irascibilis, est bonum delectabile, sed etiam bonum arduum, ut patet in audacia, et spe, et timore, quæ sunt passiones irascibilis, et tendunt ad victoriam mali imminentis seu difficultatum, et hæc victoria bonum quoddam est.



387 Unde tandem passiones irascibilis etiam respiciunt bonum delectabile, et hoc *dupliciter*.

388 *Primo*, specialiter in ipsa fortitudine, in quantum respicit bonum rationis, et victoriam difficultatum quas sperat vincere, et sic delectatur de ipso bono virtutis, ut dicit S. Thomas, citata\* quæstione<sup>1</sup> CXXIII, art. VIII, \*n. 379 licet ex parte eorum quæ sustinet habeat materiam doloris et tristitiæ. Unde fortis habet spem de victoria cum aggreditur, et spes delectationem habet de adeptione finis æstimata, juxta quod dicit Apostolus, *Romanorum*<sup>2</sup>, XII: *Spe gaudentes*.

389 XXIII. — *Secundo\**, generaliter, quia omnes passiones irascibilis ordinantur ad concupiscibilem, et in illo terminantur, quia ad quietem et fruitionem concupiscibilis

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, II<sup>a</sup>-II<sup>æ</sup>, q. 123, a. 8.

<sup>2</sup> *Rom.* 12, 12.

ordinantur passiones irascibilis, et in concupiscibili terminantur, ut dicit S. Thomas infra, quæst. <sup>1</sup> XXV, art. I. Et ita irascibilis mediate ordinatur ad delectabile\*, quatenus \*n. 378, 387 ordinatur ad bonum concupiscibilis.

390 Quod autem bonum honestum\* dicitur non posse \*n. 380 attingi ab appetitu sensitivo, quia intellectuale est et ad rationem spectat, dicemus\* statim respondendo ad argumenta, et ostendendo quod ratio honesti licet primordialiter ex ratione descendat, tamen participative etiam in bono sensibili potest reperiri, quatenus dirigibile est a ratione, et consequenter licet ab appetitu secundum se attingi non possit, tamen ab appetitu ut subjecto rationi et per eam regulabili attingi potest: sicut enim potest appetitus ut conjunctus rationi elicere passiones regulatas et moderatas regulis rationis, sic bonum honestum, quod non est aliud quam regulatum per rationem, potest attingere in materia sensibili:

\* \* \*

391 XXIV. — SECUNDO\*, inquires de liberalitate et \*n. 378 magnificentia, an ponantur in appetitu sensitivo, quia in his videtur D. Thomas contraria locutus, et mens ejus difficilis visa est ad indagandum.

392 Nam in I P. quæst <sup>2</sup> XXI, art. I ad primum, dicit quod liberalitas et magnificentia sunt subjective in voluntate, eo quod non versantur circa passiones, sed circa operationes, sicut justitia aut partes potentiales ejus.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 25, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 21, a. 1 ad 1.

393 At vero in hac *Prima Secundæ*, quæst. LX <sup>1</sup>, art. V, ponit liberalitatem in concupiscibili, et magnificentiam in irascibili. Et 2-2, quæst. <sup>2</sup> CXXXIV, art. IV ad primum, docet quod justitia respicit operationes secundum se, prout in eis consideratur ratio debiti; sed liberalitas et magnificentia considerant operationes sumptuum secundum quod comparantur ad passiones animæ.

394 Et ideo ponit liberalitatem in concupiscibili, quia refrænât cupiditatem avaritiæ; magnificentiam vero in irascibili, quia respicit arduitatem faciendi magnos sumptus.

\* \*

395 XXV. — Ad hæc varie respondent auctores.

396 Quidam solum in appetitu sensitivo collocant istas virtutes, ut Cajetanus <sup>3</sup> qui censet D. Thomam, loco citato\* \*n. 392 *Primæ Partis* <sup>4</sup> et primo *Contra Gentiles* <sup>5</sup>, cap. XCIII, secutum fuisse aliorum opinionem, ubi hæc ex proposito non tractabat; sed tamen locis citatis\* ex *Prima Secundæ* <sup>6</sup> et \*n. 393 *Secunda Secundæ* <sup>7</sup>, ubi ex professo de istis virtutibus agit, propriam tradidisse sententiam.

397 Alii existimant solum in voluntate esse ponendas has virtutes, quia non moderantur primo et per se passiones,

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 134, a. 4 ad 1.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5, n. 2 (Comment.).

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 21, a. 1 ad 1.

<sup>5</sup> *Cont. Gent.*, I, cap. 93.

<sup>6</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

<sup>7</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 134, a. 4 ad 1.

sed dirigunt operationes, et constituunt rationem debiti ad alterum, ideoque ponuntur partes potentiales iustitiæ, ut patet de liberalitate, quam S. Thomas<sup>1</sup> numerat inter partes potentiales iustitiæ : 2-2, quæst. CXVII, art. V, dicit quod liberalitas respicit debitum non rigorosum et legale, sicut iustitia proprie dicta, sed morale et secundum decentiam, ideoque est pars potentialis iustitiæ. Et expresse eam excludit a temperantia, quia non moderatur concupiscentias delectationum corporalium, sed concupiscentiam pecuniæ quæ est concupiscentia animalis\*, id est, \*n. 412 non partis vegetativæ, sed apprehensivæ.

- 398 XXVI. — Alii denique constituunt liberalitatem et magnificentiam tam in voluntate quam in appetitu sensitivo. Hanc sequitur Conradus<sup>2</sup>, 1-2, quæst. LX, art. V ; Medina<sup>3</sup> hic quæst. LVI, art. II ; Bagnez<sup>4</sup>, I P., quæstione XXI, citata\*, ubi etiam citat magistrum Cano. Quæ sententia fere non habet aliud fundamentum præter ista loca opposita\* \*n. 392-393 D. Thomæ. Et quia ad liberalem et magnificum pertinet tamquam actus proprius usus pecuniæ\*; usus autem est \*n. 401 actus voluntatis, ut dicitur supra, quæst. XVI<sup>5</sup>, ac denique, quia liberalitas est pars potentialis\*<sup>6</sup> iustitiæ, et sic debet \*n. 403 esse in eadem potentia in qua est, scilicet in voluntate.

o

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 117, a. 5 ad 1.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 4.

<sup>4</sup> In *Sum. Theol.*, Ia, q. 21, a. 1.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 16, a. 1.

<sup>6</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 117, a. 5.

- 399 XXVII. — Cæterum hæc fundamenta\* debilia sunt, si \*n. 398 intendat hæc sententia dicere quod istæ virtutes essentialiter sint in utraque potentia, aut in voluntate tantum.

- 400 *Primum\* enim fundamentum* non urget. \*n. 398

- 401 Tum quia, cum dicitur objectum liberalitatis esse usum pecuniæ, ly « usus » non sumitur pro illo speciali actu, qui in voluntate ponitur ad utendum reliquis potentiis applicando illas ad suas operationes, sed largo modo pro omni exercitio circa aliquam materiam, quatenus in nostrum usum aut commodum cedit, quo pacto rebus exterioribus uti solemus, et ea ratione appellatur usus pecuniæ.

- 402 Tum etiam, quia dato quod loqueretur de usu stricte dicto, dicimus quod licet principaliter ad voluntatem pertineat, tamen participative etiam in appetitu inveniri potest quatenus aliquid de libero et voluntario participat, et consequenter de applicativo : sicut etiam electio\* principaliter pertinet ad voluntatem, quia libera est, participative\* \*n. 459 tamen etiam in appetitu reperitur, quia in eo est virtus et ratio liberi seu voluntarii participative. \*n. 371, 427

- 403 XXVIII. — *Secundum\* etiam fundamentum* non subsistit, quia aliquando pars potentialis unius virtutis est in diversa potentia quam sua virtus principalis, cujus ipsa pars potentialis est : sicut temperantia est in appetitu, et aliquæ partes potentiales ejus sunt in voluntate, ut continentia et humilitas. Et ipsa magnificentia, quæ ab his auctoribus\* ponitur in voluntate, est pars potentialis forti- \*n. 398

tudinis, ut dicit S. Thomas<sup>1</sup>, 2-2, quæst. CXXXIV, art. IV, et tamen fortitudo est\* in irascibili.

\*n. 378-390

\* \*

404 XXIX. — **Quare dicendum est** non repugnare quod aliqua virtus sit per se et directe in appetitu sensitivo, et tamen participet aliquid a voluntate, vel ab aliqua virtute in ea existente, et sic *originative*\* sit a voluntate, *subjective* \*n. 428 autem in appetitu, dicaturque aliquando pertinere ad voluntatem ratione suæ originis\* et derivationis, aliquando \*n. 461 ad appetitum, quia subjectatur in illo.

405 Hoc autem præcipue contingit quando aliqua virtus directe quidem moderatur passiones, sed tamen induit etiam aliquem respectum et ordinem ad alterum per modum debiti aut subordinationis, ratione cuius debet a voluntate originari, et ex sua propria specie petit ab illa imperari et derivari, sicque in sua specie participat aliquid de altera virtute, id est, habet ordinem ad illam.

406 Et sic magnificentia et liberalitas essentialiter et entitative seu *subjective* sunt in appetitu, cuius passiones moderantur: liberalitas quidem concupiscentiam habendi, magnificentia spem et audaciam erga magnos sumptus. Sed quia hoc faciunt in ordine ad alterum, cui subministrant largitionem et sumptus, dicuntur *originari* a voluntate, seu ex sua natura et specie ordinem dicere ad voluntatem, quæ se habet ad alterum.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 134, a. 4.

407 XXX. — Quæ doctrina valde necessaria est ut intelligamus specificam differentiam aliquarum virtutum vel vitiorum, quæ in sua specifica ratione non videntur posse constitui nisi per ordinem ad alteram virtutem a qua aliquid participant, verbi gratia, in speciebus luxuriæ, adulterium est species luxuriæ ab aliis condistincta, quod directe est contra virtutem castitatis, et tamen habet determinatam speciem quatenus participat aliquid de injustitia, ut docet S. Thomas<sup>1</sup>, 2-2, quæst. CLIV, articulo primo ad secundum, non quia directe sit contra utrumque et ex justitia accipit<sup>2</sup> differentiam specificam in luxuria, sed quia directe est contra castitatem, tamen si aliquis ita est affectus delectationi sensibili ut propter illam non renuat facere injustitiam in personam alteri conjunctam, et sic ex ordine ad injustitiam sortitur specificam differentiam<sup>3</sup>, quatenus ei subordinatur et ordinem ad illam admittit.

408 Et similiter virginitas est excellentissima species castitatis, nec tamen distinguitur\* a castitate communiter dicta \*n. 1129 nisi in quantum firmatur voto, et subordinatur virtuti religionis, ut docet<sup>4</sup> S. Thomas 2-2, quæstione CLIV, art. III ad quartum, eo quod virginitas supra communem castitatem addit reddere sibi illicitam omnem experientiam veneris, etiam in matrimonio, quod non fit nisi voto<sup>5</sup> ad id obligetur.

409 Similiter virtus misericordiæ moderatur passionem tristitiæ, qua aliquis tristatur, non absolute, sed compa-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 154, a. 1 ad 2.

<sup>2</sup> Legendum videtur: accipiat.

<sup>3</sup> Vivès: indifferentiam.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 152, a. 3 ad 4.

<sup>5</sup> Vivès: vero.

tiendo de aliena miseria, et hoc ex amore erga proximum participat.

- 410 Et pœnitentia habet pro actu proprio contritionem, quatenus motivum ejus ordinatur a charitate, ut peccatum velit expiare propter Deum summe dilectum.
- 411 XXXI. — Hoc ergo modo liberalitas et magnificentia sunt subjective\* in appetitu†, cujus passiones moderantur. \*n. 404  
†n. 406
- 412 Liberalitas quidem, quia moderatur nimium amorem pecuniæ, qui licet non pertineat ad concupiscentias naturales, quas moderatur principalis\* temperantia, pertinet tamen ad concupiscentiam animalem\*, quæ etiam moderatione indiget a parte aliqua temperantiæ minus principali. Sed tamen istam concupiscentiam pecuniæ non<sup>1</sup> moderatur liberalitas in ordine ad alterum, ut scilicet alteri largiatur. Et in hoc participat aliquam rationem debiti et justi, non quidem rigorosi et legalis, sed moralis et secundum decentiam, qua se debet habere ad alterum, et sic participat aliquid de justitia, quæ est in voluntate, et ad eam pertinet originative\* et participative. \*n. 404
- 413 XXXII. — Magnificentia autem moderatur spem vel audaciam, quæ sunt passiones irascibilis, non tamen id facit absolute, sed in ordine ad alterum, expendendo magnos sumptus, sive erga aliquem privatum, et sic participat etiam aliquam rationem debiti sicut liberalitas\*; est enim magnificentia magna liberalitas. Et sic dicit, 2-2, D. \*n. 412

<sup>1</sup> Ita Vivès : sed omittendum est.

Thomas<sup>1</sup>, quæst. CXXXIV, art. IV ad primum, quod liberalitas et magnificentia considerant sumptus faciendos secundum quod comparantur ad passiones animæ, id est, ad moderationem cupiditatis in liberalitate, spei et audaciæ in magnificentia.



### SOLVUNTUR ARGUMENTA

- 414 XXXIII. — Pro sententia Scoti\*, **ARGUITUR PRIMO** ad probandum\* appetitum sensitivum non esse capacem virtutis proprie dictæ : Nam formale objectum virtutis est extra adæquatum objectum appetitus sensitivi, et modus etiam operandi virtutis est extra modum operandi appetitus sensitivi ; ergo in illo non potest poni virtus. \*n. 334  
\*n. 421
- 415 *Antecedens probatur*, nam objectum proprium et formale virtutis est bonum honestum, seu ipsamet honestas virtutis ; honestas autem non est bonum sensibile, sed intelligibile et rationis : unde etiam in Angelis reperitur. Per sensum autem solum attingitur id quod delectabile\* est et congruum naturæ sensitivæ. \*n. 422
- 416 Similiter etiam modus operandi virtutis moralis est habitus electivus<sup>2</sup>. Eligere autem non convenit appetitui sensitivo, sed rationali, quia in electione\* proceditur per comparisonem et collationem unius cum alio, et per

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 134, a. 4 ad 1.

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36).



arbitrium accipitur unum præ alio. Quam comparationem et collationem non potest facere appetitus sensitivus, sed rationalis.

417 XXXIV. — **Nec valet dicere\*** quod licet appetitus \*n. 418 sensitivus non possit hoc facere ex propriis meritis, bene tamen ex participatione\* voluntatis et rationis a qua \*n. 360 dirigitur, ut sæpius dicit sanctus Doctor.

418 XXXV. — **Nam contra\* est,** quia non potest una \*n. 417 potentia ex participatione alterius ferri extra suum adæquatum\* objectum, sicut non possunt alii sensus, ut visus \*n. 426 et auditus, ex participatione intellectus attingere res spirituales, aut unus sensus objecta alterius percipere, verbi gratia, visus sonum, aut e converso. Ergo nec etiam appetitus sensitivus poterit ferri in bonum spirituale et intelligibile, quale est bonum honestum, etiam ex participatione alterius potentia.

419 Et eadem ratione nequibit eligere\*, quia electio procedit \*n. 416 secundum comparationem unius ad aliud, seu præ alio. Et hoc excedit vim potentia sensitivæ, alias etiam dici posset quod potentia sensitiva poterit ferri in universale\* \*n. 427 in quantum universale ex participatione rationis, et quod justitia\* posset esse in appetitu sensitivo, quæ tamen solum \*n. 429 ponitur in voluntate, quia est ad alterum, hoc autem ex participatione voluntatis etiam poterit habere appetitus sensitivus. Similiter ly « ex participatione voluntatis » potest appetitus eligere, ideoque ut capax virtutis, quæ est habitus electivus<sup>1</sup> : cur non poterit ejusdem esse capax

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36).

voluntas, quæ essentialiter, et non solum participative, est capax eligendi.

420 Denique in anima separata\*, remanent virtutes morales, \*n. 430 ut temperantia, fortitudo, etc., licet cum alio statu et modo operandi, ut infra\* quæstione<sup>1</sup> LXVII dicitur ; ergo non \*n. 1809 sq. sunt subjective\* in appetitu sensitivo, quia hic non datur \*n. 404 in anima separata.

\* \*

421 XXXVI. — **Respondetur** ad principale argumentum\*, \*n. 414 quod bonum honestum non solum potest inveniri in materia pure spirituali, sed etiam in sensitiva secundum participationem, quatenus etiam passiones appetitus sensitivi possunt esse motæ et directæ a ratione, et ministerialiter etiam deserviunt appetitui<sup>2</sup>. Igitur eo modo quo appetitus potest subjici rationi, et potest dari aliquid sensibile rationi subjectum et ab eo regulatum, potest etiam dari honestum participatum et subjectum rationi. Unde dicimus quod licet honestum pure spirituale sit extra objectum formale appetitus, non tamen honestum participatum\* et ministerialiter deserviens rationi et spiritui. \*n. 426

422 XXXVII. — Et cum dicitur\* quod appetitus solum \*n. 415 fertur in delectabile sensitivum seu congruum naturæ sensitivæ, distingo : in delectabile sensitivum sistendo intra limites sensibilis delectationis, *nego* ; ministrando et deserviendo spiritui et rationi, *concedo*.

*Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67.

\* Ita Vivès. Legendum videtur : spiritui.

423 Sicut enim sensus, præsertim interni, in nobis deserviunt intellectivæ cognitioni, et ex hac conjunctione discurrit phantasia circa singularia, quod sine collatione aliqua fieri non potest, et ita licet sit ultra objectum ejus adæquatum cognoscere universale\*, quia hoc est sine conditionibus singularibus, sine quibus non potest aliquid sentiri et ad sensum pertinere, tamen non est ultra ejus objectum adæquatum ferri in singularia modo discursivo et collativo participative, quia ad hoc elevari potest, hoc ipso quod ministerialiter deservire potest operationi intellectivæ. \*n. 427

424 Eodem modo appetitus, quia ministrat rationi, et ab ipsa participat regulationem, non est extra ejus adæquatum objectum attingere honestatem virtutis prout participative se habet in passionibus, quia si non est extra ejus sphaeram quod deserviat et subordinetur rationi, ita non est extra adæquatum ejus objectum ratio honesti participati, quia hoc pertinet ad ipsam rationem subordinationis et ministrationis, quam habet appetitus ad rationem : rationi enim subordinari etiam in appetitu sensitivo honestum et rationabile est, licet participative.

o

425 XXXVIII. — Ex quo manent solutæ omnes instantiæ allatæ\*. \*n. 418 sq.

426 Fatemur enim quod non potest aliqua potentia exire extra limites objecti sui adæquati\*. Negamus tamen esse extra sphaeram appetitus sensitivi attingere bonum honestum participative\* et ministerialiter, quia non est extra \*n. 390, 421

sphaeram appetitus sensitivi, ut conjuncti rationi, ei ministrare et subordinari et subjici : quia *sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Genes. 1 IV.*

427 Nec tamen simili ratione poterit sensitiva\* potentia attingere universale\* sub intentione illa et abstractione universalitatis, quia hoc excedit omnem modum sensibilitatis, nec enim potest aliquid sentire nisi prout hic et nunc, quia corporali modo attingit. Universale autem abstrahit ab hic et nunc, et sic est extra adæquatam sphaeram potentiae sensitivæ. Electio tamen convenire potest participative\* appetitui, quia electio potest esse circa singularia, et ex participatione rationis potest uti collatione et comparatione. Sicut phantasia\* potest conferre et discurrere circa singularia, non tamen abstrahere universale a singularibus, et hoc habet ex conjunctione et participatione intellectus, cui ex sua propria natura habet ministrare et deservire, et sic ejus perfectionem et modum potest participare. \*n. 423 \*n. 419 \*n. 402 \*n. 423

428 XXXIX. — **Quod vero dicitur\*** hac ratione multo magis convenire posse virtutem ipsi voluntati, quia essentialiter electiva est, et non solum participative sicut appetitus, *respondetur* non ex hac parte repugnare virtutem voluntati, quia non sit electiva : constat enim multas virtutes poni in voluntate, ut religionem, poenitentiam, justitiam, etc., sed specialiter illæ virtutes quæ moderantur passiones non sunt in voluntate, sed in appetitu, quia electio illa talis esse debet quod sit electio eliciens ipsas passiones moderatas, et ista elicientia non potest esse in voluntate, sed in appetitu, quia est actus ab eo elicitus et in eo

<sup>1</sup> Gen. 4, 7.

immanens, et ita electio, quæ talis actus elicitive est, debet esse electio participata et ab appetitu elicita, non autem a voluntate, sed solum originata\* vel imperata ab aliquo habitu ibi existente, qui idcirco non\* est virtus, quia ibi non consummatur ejus actus, sed in appetitu. \*n. 404 \*n. 370-377

429 XL. — **Quod vero dicitur** de justitia\*, *dicimus* hanc non pertinere ad appetitum etiam participative, quia directe et per se non pertinet ad justitiam moderari passiones, et componere interius hominem, sed facere æqualitatem ad alterum in quacumque materia, sive corporali et temporali, sive spirituali, ut in honoribus, excellentiis, jurisdictionibus, etc., et ideo ex sua formali ratione quæ ita universalis est non restringitur ad potentiam sensibilem, nec in ea est moderativa passionum. \*n. 419

430 XLI. — **Ad id quod dicitur\*** de remanentia virtutum in anima separata, *respondetur* virtutes quæ moderantur passiones non manere formaliter in anima separata, sed radicaliter, ut docet D. Thomas, infra\* quæstione <sup>1</sup> LXVII, articulo primo ad tertium, quia in anima separata non sunt passiones quæ moderari debent, sed est radix illarum, scilicet ipsa anima quæ est radix appetitus, et est in voluntate inclinatio ad moderandum illas si essent, quæ est virtus inchoative\*. \*n. 1155, 1827 \*n. 441, 460

431 Post resurrectionem\* autem erunt virtutes morales quæ modo sunt in appetitu, licet sub alio statu et modo pertinente ad illam vitam. \*n. 1837

★ ★ ★

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1 ad 3.

432 XLII. — **SECUNDO\* ARGUITUR** : Quia in statu innocentiae non erant passiones moderandæ, quia omnes moderatæ erant, nec in Christo Domino, nec in beatis post resurrectionem, et tamen in omnibus istis dantur virtutes morales, quia hæc pertinent ad integram perfectionem hominis in genere moris ; ergo virtutes istæ non requiruntur per se primo ad moderandas passiones ; ergo potius in voluntate quam in appetitu sensitivo, siquidem tota ratio quare in appetitu sensitivo ponuntur est quia moderantur passiones ; hac ergo ratione remota potius debent poni in voluntate.

◊

433 XLIII. — **Confirmatur\***, quia virtus convenit homini in quantum homo, seu in quantum rationalis ; ergo in ea potentia principaliter debet poni virtus, quæ per se et essentialiter est rationalis, seu ad partem rationalem pertinet ; hæc autem est voluntas, nam appetitus pertinet ad partem sensitivam. \*n. 439

◊

434 **Confirmatur secundo\*** ex auctoritate Philosophi, I *Ethicorum*<sup>1</sup>, cap. IX, dicentis potentias sensitivas non esse capaces felicitatis ; felicitatem autem ponit ipse primo in operatione virtutis contemplativæ, secundo, in operatione virtutis moralis ; ergo hæc non est in appetitu sensitivo. \*n. 442

435 Similiter Augustinus\*, XII *De Trinitate*<sup>2</sup>, cap. XIV, inquit : « Quidquid juste, fortiter, temperate et prudenter agimus, pertinet ad illam partem animæ in qua est donum

<sup>1</sup> *Ethic.*, I, cap. 10 (1100 a 1).

<sup>2</sup> *De Trin.*, Lib. 12, cap. 14 (PL 42, 1010).

scientiæ », scilicet ad partem rationalem, quam ibi distinguit a sensitiva. Quod præsertim verificatur de temperantia et fortitudine infusa\*, quæ non videntur esse in appetitu sensitivo, cum respiciant finem supernaturalem, et tamen moderantur passiones. \*n. 444

\* \*

436 XLIV. — **Respondetur\*** ad principale argumentum ex supra\* dictis quod licet in Christo, in statu innocentiae, et beatis, non sint passiones moderandæ, sunt tamen passiones moderatæ, et eliciuntur actus appetitus sensitivi moderati et regulati\* secundum rationem, et ad hos dantur habitus virtutum. \*n. 432 \*n. 430 \*n. 363

437 Nec enim ponuntur virtutes in appetitu sensitivo ut pugnent contra passiones insurgentes et immoderatas, et quæ indigent refrænatione: imo contra tales passiones insurgentes non ponitur temperantia in appetitu, quæ non patitur illas insurgere, sed continentia in voluntate, ne deducatur\* ab istis passionibus, ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 1 CLV. \*n. 369

438 Quia ergo præcipui actus istarum virtutum sunt elicere actus appetitus sensitivi moderatos et regulatos a ratione, non\* est necesse supponere in subjecto immoderatas passiones insurgere, aut insurgere posse, ut minorentur et refrænentur, sed sufficit temperatas et moderatas elici, ut a virtute eliciantur; imo tanto virtus est fortior et perfectior, quanto minus relinquit de potestate ad immoderatas passiones \*n. 385, 483

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 155, a. 1.

excitandas, et solum moderatas elicit. Et sic potius in appetitu, et non in voluntate, illæ virtutes collocandæ sunt, quia semper moderatas et regulatas eliciunt passiones, quæ sunt actus appetitus sensitivi.

o

439 XLV. — **Ad primam\* confirmationem, respondetur** \*n. 433 quod virtus convenit homini in quantum homo est, non solum quoad partem principalem et essentialiter rationalem, sed etiam quoad inferiorem, et quæ participative tantum rationalis est, quia etiam illa indiget virtute ut obediat rationi, et eliciat actus regulatos ab illa. Unde virtus non solum debet poni in illa potentia quæ principaliter rationalis est, sed prout fuerit principalis et per se actus virtutis, sic ponetur.

440 Quando enim actus ejus talis est quod consummatur in voluntate, talis virtus in voluntate est, quia ibi elicit actum perfectum et consummatum, qui solum virtuosus actus est.

441 Quando autem actus quem elicit, consummatur in parte sensitiva prout a ratione regitur, et ibi debent elici actus seu passiones moderatæ, ibi subjectabitur virtus, eo quod ibi eliciuntur actus consummati ipsius, ut explicatum\* est, licet ex parte voluntatis detur habitus quasi inchoativus\* virtutis, quo assuefit ad imperandam\* elicentiam moderatarum passionum, non illas elicit. \*n. 358-363 \*n. 430, 460 \*n. 364-369

o

- 442 XLVI. — **Ad secundam\* confirmationem, respon-** \*n. 434  
*detur* felicitatem essentialiter esse in parte animæ rationali, in parte autem sensitiva participative et ministerialiter, quatenus obedit rationi. Virtutes autem morales non præstant felicitatem essentialiter, quia hæc pertinet ad contemplationem, sed dispositive et ministerialiter ex parte voluntatis et appetitus sensitivi, quatenus debet supponi serenatus et non turbulentus <sup>1</sup> pro contemplatione veritatis habenda : et ideo illæ virtutes sunt in appetitu.
- 443 Ad auctoritatem vero Augustini\*, *dicemus* ipsum ibi \*n. 435  
 non dicere quod quidquid temperantes agimus, etc., pertinet ad eam partem animæ in qua est scientia ; non sic Augustinus dicit, sed sic : « Quidquid prudenter, fortiter, temperanter et juste agimus, ad eam pertinet scientiam, sive disciplinam, quæ in evitandis malis, bonisque appetendis, actio nostra versatur ». Hoc autem quod dicit pertinere ad scientiam (scilicet practicam) intelligitur pertinere tamquam objectum\* \*n. 356, 382  
 ab ea scientia dirigendum, non quod illæ virtutes sint subjective in ea potentia in qua est scientia, alioquin essent in intellectu, quod est absurdum, neque id vult Augustinus.
- 444 Quod vero attinet ad virtutes morales infusas\*, non est \*n. 435  
 necesse quod illæ sint in alio subjecto quam acquisitæ, sed in eodem, licet ibi versentur circa suas materias sub altiori regula et dictamine, scilicet in ordine ad finem supernaturalem, ut docet D. Thomas quæstione LXIII <sup>2</sup>, articulo III et IV, participare tamen potest illa regulatio etiam in

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In VII *Phys.*, lect. 6, n. 7 (Comment.).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 3 et 4.

appetitu sensitivo, quatenus obedit rationi sic supernaturaliter illustratæ.

★ ★ ★

- 445 XLVII. — **ULTIMO\* ARGUITUR : Vel†** voluntas \*n. 452  
 ad dirigendum et imperandum appetitui nullo indiget †n. 446  
 habitu, **vel\*** indiget habitu, non tamen ille est virtus. \*n. 447  
 Neutrum potest dici ; ergo voluntas est subjectum istarum virtutum, quas nos ponimus in appetitu.
- ◊
- 446 **Primam partem majoris** nos concedimus, scilicet \*n. 364-369  
 indigere\* habitu voluntatem ad istas operationes.
- ◊
- 447 **Quoad secundum partem** (nempe hos habitus debere  
 esse virtutes) probatur.
- 448 *Tum\* quia*, sicut in appetitu sunt passionες, id est, \*n. 454  
 actus ipsius moderandi, ita et in voluntate, in qua est  
 gaudium, tristitia, timor, spes, etc. Ergo sicut moderatio  
 istorum in appetitu indiget virtute, ita in voluntate.
- 449 *Tum\**, quia major et perfectior virtus est in potentia \*n. 457  
 imperativa, et quæ se habet ut princeps, quam in potentia  
 inferiori, quæ se habet ut serva, et solum debet obedire,  
 illa vero imperare ; voluntas autem est potentia superior  
 et imperativa, est etiam magis libera et indifferens quam  
 appetitus ; ergo majori\* indiget determinativo, et sic ille \*n. 458  
 habitus determinans voluntatem magis erit virtus.

450 *Tum etiam\**, quia virtus essentialiter est habitus electivus<sup>1</sup>, electio autem principaliter est actus voluntatis; ergo habitus electivus temperantiæ, fortitudinis, etc., principaliter\* et essentialiter est in voluntate. \*n. 459  
\*n. 460

451 Ad voluntatem quoque principaliter pertinet laus\* et meritum; virtus autem est principium actus laudabilis et meritorii; ergo principaliter est in voluntate. \*n. 461

\* \*

452 XLVIII. — **Respondetur\*** ex dictis voluntatem ad imperandam moderationem passionum indigere\* habitu, illumque eadem assuefactione acquirere qua et ipsa virtus in appetitu. \*n. 445  
\*n. 364-369

453 Negamus\* tamen illum habitum esse virtutem perfectam et simpliciter prout in voluntate, sed prout consummatur in appetitu, ibique residet. \*n. 370-377

o

454 XLIX. — **Ad primam\* probationem, dicitur** illos actus voluntatis non esse passiones ex sua natura habentes difficultatem ut subjiciantur rationi, sicut passiones appetitus sensitivi, quæ ex sua formali ratione, quatenus sensibiles, sunt subjectæ rationi, sed indigent aliquo principio acquisito et adventitio subjici, et ita petunt habitum virtuosum et perfectum, quo tales passiones moderatæ sint. \*n. 448

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36).

455 At vero actus voluntatis ex sua formali ratione rationales et spirituales sunt, et ex sua formali ratione habent necessitari quoad specificationem, si erga proprium bonum ferantur (ut diximus articulo præcedenti\*), si erga alterum, vel circa aliquam materiam habentem specialem difficultatem, ponimus\* circa tales actus virtutes proprie dictas, ut justitiam erga alterum, humilitatem, continentiam, etc. \*n. 281-294  
\*n. 250

456 Si vero circa passiones appetitus moderandas versentur, jam diximus\* poni habitus in voluntate, sed non virtutes, quia non consummantur in voluntate, sed in appetitu, et ideo actus voluntatis tunc non indigent moderatione consummata et perfecta, sed in appetitu consummanda, et a se solum dirigenda et imperanda. \*n. 343, 364-377

o

457 L. — **Ad secundam\* probationem, dicitur** majorem virtutem poni in potentia imperante et principe, quando est imperans erga alios, et in bono quod est ad alterum\*; quando vero est imperans sibi, non est tanta difficultas in imperando, sed in obediendo et subjiciendo potentiam rationi, quia ibi est resistentia, et illa indiget moderatione, et passiones moderatæ ibi elici debent, et ideo ibi est virtus. \*n. 449  
\*n. 250, 455

458 Quod vero voluntas sit magis libera quam appetitus, non arguit quod indigeat habitu magis\* virtuoso, quando versatur circa bonum proprium et moderationem passionum, quia non consummatur ibi operatio virtutis intenta, sed in elicentia passionis moderatæ ex participatione rationis. \*n. 449

o

459 LI. — **Ad tertiam\* probationem**, dicitur virtutem esse habitum electivum : *tum* electione participata\*, quæ est in appetitu, quando ibi elicienda et consummanda est electio ; *tum* electione voluntatis, quando est erga bonum ad alterum, vel difficultas vincenda est in ipso actu voluntatis. Si vero eligit\* voluntas dirigendo et imperando moderationem passionum, ibi erit electio virtutis, ubi consummatur talis moderatio scilicet in ipsa elicentia passionis moderatæ. \*n. 450, 371, 402, 427, 374

460 Et sic negavimus tunc esse electionem principaliter\* in voluntate quantum ad consummationem, sed solum principaliter quantum ad directionem et inchoationem\* eligendi. \*n. 450, 430, 441

o

461 LII. — **Ad ultimam\***, dicitur quod laus et meritum sunt principaliter in voluntate *originative*, non tamen semper *consummative*, quia licet appetitus non sit laudabilis nisi ut motus a voluntate et subjectus rationi, ideoque tota ratio laudis a voluntate originetur, et quando est in appetitu, est in quantum participat a voluntate ; tamen quia aliquando operatio ista consummatur in appetitu, ut subjecto voluntati, ideo laus consummata aliquando etiam est in appetitu, licet originata\* a voluntate, ideoque ibi residere debet virtus, quia ibi est operatio consummata et perfecta, et elicentia actus seu passionis moderatæ. \*n. 451, 404

## QUÆSTIO LVII

### DE DISTINCTIONE VIRTUTUM INTELLECTUALIUM

#### SUMMA LITTERÆ

462 Ab hac quæstione usque ad LXIII, agit sanctus Doctor de divisionibus virtutum per tria genera, scilicet de intellectualibus, moralibus, et theologis. Intellectuales perficiunt partem intellectivam ; morales appetitivam, sive voluntatem, sive appetitum ; theologicae utramque partem perficiunt in ordine supernaturali.

463 Et de virtutibus intellectualibus agit solum in hac quæstione<sup>1</sup>, quæ sunt quinque : *tres* quæ perficiunt partem speculativam, scilicet intellectus principiorum, sapientia, et scientia ; *duæ* quæ perficiunt partem practicam, scilicet prudentia quoad agibilia, ars quoad factibilia seu artefacta.

464 Igitur **in articulo primo**, supponit habitus intellectuales posse esse virtutes, non quidem virtutes applicantes ad bene utendum, sed dantes facultatem ad bonum actum ; pertinet autem ad rationem virtutis non solum bona applicatio, sed etiam bona et perfecta facultas operandi.

465 **In articulo secundo**, ostendit recte dividi intellectualem virtutem penes scientiam, et sapientiam, et habitum principiorum in genere speculativo, quia omne verum, *vel* est notum per se et ex terminis, *vel* per aliud et per consequentias.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57.

466 Quod est per se notum, attingitur habitu principiorum ; quod est per aliud notum, *vel* resolvitur in primas causas simpliciter, *vel* in proximas, licet in aliquo genere sint ultimæ : et quod primo modo procedit est sapientia, quod secundo, scientia.

467 **In articulo tertio**, inquit an ars sit virtus intellectualis, et respondet esse, quia est recta ratio aliquorum operum sciendorum<sup>1</sup>, non quod ad artem pertineat recte applicare appetitum ad bonum usum, sed dare facultatem faciendi bonum opus, scilicet artefactum, ad quod præbet certas et determinatas regulas.

468 **In articulo quarto**, ostendit prudentiam esse virtutem distinctam ab arte, quia ars versatur circa opera factibilia, quæ sunt opera per actus externos facienda, si sint artes *mechanicæ*, vel secundum mentem ordinanda et disponenda, si sint artes *liberales*. Prudentia autem versatur circa agibilia, id est, circa actus et mores humanos componendos. Et ideo supponit rectificationem appetitus circa finem, ordinat autem de mediis congrue ordinandis. Non pertinet autem ad artem appetitum rectificare, nec in fine, nec in mediis, sed solum artefactum in se bene disponere quocumque appetitu id fiat, bono vel malo.

469 **In articulo quinto**, ostendit prudentiam esse necessariam homini, quia non potest recte et debite eligere quæ agenda sunt, nisi ratio recte de hoc arbitretur et disponat. Non potest autem ratio in rebus ita contingentibus et arbitrariis, sicut sunt actus et mores humani, recte et debite

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : faciendorum.

ordinare et judicare, nisi aliquo habitu ad id perficiatur, et illum vocamus prudentiam, quæ dirigit agibilia.

470 **In articulo sexto**, ostendit recte prudentiæ adjungi alias tres virtutes tamquam partes et comites illius, scilicet eubulia, synesis, et gnome. Et hoc ideo, quia practica ratio tres actus requirit, scilicet consiliari, judicare, et præcipere, quorum præcipuus et magis practicus est præcipere, quia est magis operativus. Et ideo prudentiæ, quia principalior\* est, correspondet hic actus, qui est præcipere ; \*n. 497 duo autem alii actus virtutibus adjunctis, scilicet, eubulia pro consilio, synesis pro iudicio in rebus ordinariis, in rebus vero difficilioribus et raris, quæ magis carent exemplo, gnome.

#### A QUÆSTIONE LVIII USQUE AD QUÆSTIONEM LXI

471 In istis quatuor quæstionibus, agit D. Thomas de virtutibus moralibus et earum distinctione in genere, ubi quatuor veniunt consideranda, quæ istis quatuor quæstionibus correspondent.

472 **PRIMUM\***, est distinctio virtutum moralium ab intellectualibus. \*n. 476-480

473 **SECUNDO\***, distinctio earum a passionibus, quæ ab aliquibus virtutibus veniunt moderandæ, et se habent ut earum materia, sicut in fortitudine et temperantia. \*n. 481-485

474 **TERTIO\***, consideratur distinctio virtutum moralium inter se. \*n. 486-495



- 475 **QUARTO\***, specialiter considerantur virtutes cardinales, quæ principales sunt inter morales, et ad illas aliæ reducuntur. \*n. 496-502

\* \* \*

### SUMMA HARUM QUÆSTIONUM

- 476 **CIRCA PRIMUM\***, determinat S. Thomas quæstione LVIII<sup>1</sup> non omnem virtutem dici moralem, sed tantum posse virtutem moralem esse in vi appetitiva, vel in ordine ad illam, quia virtus moralis dicitur a more; et mos consuetudinem quamdam et inclinationem dicit juxta regulam rationis. Sic autem inclinari et sic assuescere non ad omnem virtutem pertinet, sed ad illam quæ rectam inclinationem facit. \*n. 472

\* \*

- 477 Unde **sequitur primo** quod moralis virtus debet distinguere ab intellectuali, quia hæc perficit intellectum datque facultatem bene cognoscendi, non applicationem et consuetudinem recte inclinandi.

- 478 **Sequitur secundo** quod virtus adæquate dividitur in intellectualem et moralem, loquendo de virtutibus acquisitis, quia quicquid acquiri potest nostris actibus, comprehenditur duplici illa potentia intellectus et voluntatis atque appetitus. Et primæ designatur virtus intellectualis, secundæ et tertiæ, moralis.

- 479 **Sequitur tertio** quod virtus moralis potest esse sine virtute intellectuali speculativa, verbi gratia, sine sapientia

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 58.

et scientia, non tamen sine practica, quæ est prudentia, quia hæc directiva et regulativa est agibilium seu moralium, applicando illis regulas rationis.

- 480 **Sequitur quarto** neque prudentiam posse esse sine virtutibus moralibus, quia rectum iudicium in practicis dependet ex recta intentione finis, quæ in materiis virtutum sine rectitudine appetitus stare non potest, pertinetque ad ipsas virtutes. Potest tamen sine virtutibus moralibus dari virtus speculativa, ut scientia in peccatore.

\* \* \*

- 481 **CIRCA SECUNDUM\***, pro distinctione virtutum\* \*n. 473 moralium a passione, de quo agit quæstione LIX<sup>1</sup>, supponit D. Thomas quod passio, quæ est actus appetitus sensitivi, dupliciter sumitur. *Uno modo*, pro affectu inordinato et excessivo, qui est morbus seu ægritudo animæ; *alio modo*, pro moderato et refrænato affectu, sicut in corpore possunt esse humores temperati, vel inordinati, et primi inducunt sanitatem, secundi morbum.

- 482 Qua distinctione supposita, multæ difficultates, quæ olim apud veteres philosophos fuerunt circa virtutes et passiones, dissolvuntur.

\* \*

- 483 Nam **in primis sequitur** quod ipsa virtus non est passio, sed est habitus inclinans ad passionem moderatam\*, \*n. 385, 438 id est, regulatam regulis rationis.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 59.

484 **Sequitur secundo** quod virtus potest esse cum tristitia et cum passione, non quidem immoderata et excedente, sed moderata et ordinata sub ratione.

485 **Sequitur tertio** quod *aliquæ* virtutes versantur circa passiones, scilicet illæ quæ habent pro materia moderari illas, et eliciunt tales actus moderatos. *Aliæ* versantur circa operationes ad alterum, sicut quæ respiciunt justum et debitum, ut justitia et virtutes illi adjunctæ, quæ non respiciunt pro materia moderari passiones, sed ordinare operationes ad alterum.

★ ★ ★

486 **CIRCA TERTIUM\***, scilicet distinctionem virtutum moralium inter se, quæstione LX<sup>1</sup>, supponit \* in primis D. Thomas quod virtus moralis non est una tantum, licet prudentia earum directiva una\* sit.

\*n. 474

\*n. 489

\*n. 891 sqq.

487 Cujus diversitatis ratio est, quia objectum virtutum moralium est bonum ut regulatum ratione. Contingit autem diversum bonum diversimode regulari, et diverso modo participare ipsam regulationem rationis : aliter enim regulantur seu moderantur a ratione delectationes, scilicet frænando animum ne laxetur in illas ; aliter timores, scilicet impellendo et firmando animum ut a se mediatur, et non succumbat.

488 At vero prudentia non habet pro objecto bonum regulatum et regulationem participatam, sed ipsam regulam participandam in diversis bonis, et hæc est una, ex eo quod

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 60.

ordinatur ad unum finem vitæ humanæ, id est, ad ejus veram et propriam felicitatem qua recte vivitur. Et ideo habet se prudentia respectu virtutum sicut causa æquivoca et mensura complectens omnes virtutes, ex cujus diversa participatione resultant diversæ regulationes in diversis materiis virtutum et bonis circa quæ versantur, sicut ex sole resultant in his inferioribus diversæ species rerum et diversæ generationes.

\* \*

489 Quo supposito\* virtutes morales triplici divisione dividuntur. \*n. 486

o

490 **Primo** enim generaliter dividuntur penes passiones et operationes. Virtutes quæ versantur circa passiones habent pro materia moderari passiones appetitus sensitivi, ut secundum regulam rationis componantur ; virtutes circa operationes versantur in ordine ad alterum in ratione debiti et justii, constituendo mensurationem et æquitatem in his quæ alteri debentur. Circa passiones versantur fortitudo et temperantia, et virtutes eis adjunctæ ; circa operationes, justitia et virtutes ei adjunctæ, aut potentiales ejus partes.

o

491 **Secundo\*** dividitur virtus quæ versatur circa operationes ad alterum, et servat rationem debiti et justii, *triplici modo*. \*n. 489

492 Nam *quædam* servant debitum rigorosum seu legale, et solvunt ad æqualitatem, ut justitia commutativa<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Vivès : communicativa.

493 *Quædam* solvunt ad æqualitatem, sed non servant debitum rigorosum, sed morale et secundum decentiam, ut amicitia, liberalitas, etc.

494 *Quædam* e contra servant debitum rigorosum, sed non ad æqualitatem possunt solvere, sicut religio erga Deum, pietas erga parentes, etc.



495 **Tertio\***, dividitur virtus circa passiones juxta diversitatem passionum non quamcumque, sed secundum diversum modum regulandi illas per rationem, et similiter secundum diversa objecta passionum non absolute, sed secundum quod diverso modo sunt regulabilia a ratione, sicut sub temperantia, alia virtus est abstinentiæ, alia castitatis; in fortitudine, alia est magnificentia, alia magnanimitas, etc. \*n. 489



496 **CIRCA QUARTUM\***, agit specialiter D. Thomas, quæstione LXI<sup>1</sup>, de distinctione virtutum cardinalium. Dicuntur enim cardinales virtutes quæ in genere morali præcipuæ sunt, quia circa principalem seu difficiliorem materiam versantur in illo genere, vel quia principali modo tendunt in sua objecta, id est, secundum modos magis præcipuos et generales, qui inveniuntur in virtutibus, sicut prudentia dirigendo, temperantia moderando seu refrænando concupiscentias, fortitudo aggrediendo et sustinendo, justitia adæquando debita. \*n. 475

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61.



497 Et in materia dirigendi, prudentia respicit difficiliorem\* actum, qui est præcipere usque ad debitam executionem, non consiliari, aut judicare tantum. \*n. 470, 823

498 Temperantia respicit difficiliorem moderationem, quæ est circa delectationes tactus, quæ sunt valde naturales\*. \*n. 412

499 Fortitudo difficiliora pericula ad aggrediendum vel sustinendum, quæ sunt pericula mortis.

500 Justitia difficilius debitum, quod est legale ad æqualitatem solvendum.

501 Et istæ sunt quatuor virtutes cardinales.

502 Ratione autem diversi status et perfectionis quam obtinent virtutes, dividuntur in politicas, purgatorias, purgati animi, et exemplares, de quibus postea\* dicemus. \*n. 1106-1169

## QUÆSTIO LXII

### DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

#### SUMMA LITTERÆ

503 Virtutis munus est rectificare hominem, et disponere ad felicitatem, quæ obtinetur secundum intellectum et voluntatem.

504 Est autem duplex felicitas, scilicet *naturalis*, quæ consistit in recta intelligentia et debita operatione voluntatis circa res naturales, licet ex illis ut ex effectibus etiam Deum attingat ; alia est felicitas *supernaturalis*, quæ consistit in recta intelligentia et operatione voluntatis circa Deum in se.

505 *Ad primam* ergo felicitatem ordinantur virtutes ordinis naturalis, sive intellectuales, sive morales.

506 *Ad secundam*, ordinantur virtutes supernaturales, inter quas primum locum obtinent quæ versantur circa Deum tamquam circa proprium objectum, ut finis est supernaturalis, ideoque vocantur theologicæ, id est, circa Deum se habentes tamquam circa objectum proprium.

\* \*

507 Sic ergo **in primo articulo**<sup>1</sup>, docet dari has virtutes theologicas, quia ad beatitudinem supernaturalem non sufficiunt principia naturalia, quæ hominem ordinent ad illam, debent ergo divinitus aliqua principia infundi, quæ ad illam ordinent, et hæc vocantur virtutes theologicæ, quia circa Deum immediate versantur, et a solo Deo infunduntur, et sola divina revelatione cognoscuntur.

o

508 **In articulo secundo**, ostendit has virtutes distingui specie ab intellectualibus et moralibus, quia objectum formale et specificativum istarum est Deus, ut excedit nostræ rationis cognitionem. Objectum autem virtutum intellectualium et moralium est aliquid humana ratione comprehensum. Distinguuntur ergo specificè.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 62, a. 1.

o

509 **In articulo tertio**, ostendit convenienter poni tres virtutes theologicas, fidem, spem, charitatem, quia homo ordinari debet ad beatitudinem supernaturalem, tam per illustrationem intellectus quam per rectitudinem voluntatis, et sic istis duabus potentiis debuerunt aliqua principia divinitus dari, quæ illas elevarent ad talem ordinem.

510 Et quoad intellectum, datur fides, quæ capit ea quæ divinitus revelantur.

511 Quoad voluntatem, oportet duo adhiberi principia : *unum* quo<sup>1</sup> intendat assequi illam beatitudinem per supernaturalia media, et hoc est spes ; *aliud* quod uniat hominem ipsi fini, et quasi transformet in illum finem ut ei connaturaliter jungatur, et hoc est charitas.

o

512 **In articulo quarto**, docet ordinem quem servant inter se istæ virtutes, ut scilicet *ordine generationis* prior sit fides quam spes et charitas, quia intellectus præcedit affectum. In voluntate autem præcedit spes charitatem, quia prius debet reputari aliquid ut assequibile et ut proprium suum quam quod perfecte amet illud, et prius est concupiscere ut proprium quam amare ut amicum.

513 *Ordine autem perfectionis* præcedit charitas, quæ major<sup>2</sup> horum est, et cæteras perficit et format.

<sup>1</sup> Vivès : quod.

<sup>2</sup> Cf. *I Cor.* 13, 13.

# DISPUTATIO XVI

## DE DISTINCTIONE VIRTUTUM

---

### ARTICULUS PRIMUS

#### QUOMODO VIRTUTES INTELLECTUALES DISTINGUANTUR, ET PRIMO DE HABITU PRINCIPIORUM

514 Quod in intellectu dentur habitus perficientes ipsum ad suam operationem, *supponendum est*, quia experientia constat per multiplicationem actuum in intellectu facilitatem acquiri ad intelligendum, discurrendum, arguendum, operandum et loquendum, ut patet in artibus et scientiis.

515 Ut autem singulos istos habitus, qui ad intellectualem virtutem pertinent, in speciali dignoscamus, et quæ difficultatem in illis faciunt expediamus, **notanda aliqua sunt.**



## DUO NOTABILIA

- 516 I. — **PRIMO\* ERGO SUPPONENDUM EST** quod <sup>\*n. 533</sup> tam in intellectu quam in voluntate virtutes, quæ in illis sunt, conveniunt in hoc quod debent perficere illas potentias non quomodocumque, sed in ordine ad operationem perfectam et consummatam, quia de sua essentiali ratione virtus est perfecta qualitas <sup>1</sup> mentis, et est ultimum <sup>2</sup> potentiæ.
- 517 Unde non dicitur aliquis virtuose agere penes opera imperfecta et defectuosa, sed penes perfecta et bona, in eo genere in quo operatur.
- 518 Sed tamen differt modus perficiendi in utraque virtute intellectus et voluntatis, quod virtus intellectus, cum versetur circa verum cognoscendum, perfectio ejus consistit in certitudine\*, quia tunc perfecte cognoscit et iudicat <sup>\*n. 777</sup> intellectus cum cognoscit firmiter et certe, ita quod illa cognitio deficere non potest : tunc enim perfecte excludit suum oppositum et contrarium quod est falsum, in quo consistit defectus intellectus.
- 519 At vero voluntas, cum versetur circa bonum, perfectio virtutis erit in rectitudine voluntatis circa bonum proprium rationalis creaturæ, quod est bonum regulatum regulis rationis, eo quod propria hominis perfectio in quantum homo, est vivere secundum rationem <sup>3</sup>. Et per istam rectificationem excluditur malum quod est defectus talis

<sup>1</sup> Cf. S. Aug., *De Lib. Arb.*, Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1267).

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 11-12).

<sup>3</sup> Cf. Ps. Dionys., *De Div. Nom.*, IV, §32 (PG 3, 733) — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 71, a. 2.

voluntatis operantis, et attingitur proprium ejus objectum et perfectio, quod est bonum rationale.

\* \*

- 520 II. — Ex quibus manent exclusi a ratione virtutis intellectualis omnes illi habitus quibus potest subesse error aut falsitas, eo quod non procedunt certo et infallibiliter, sicut, verbi gratia, opinio, fides humana, suspicio, et similia, quæ non sunt virtutes, quia non cum certitudine attingunt verum, sed possunt ad falsum et ad errorem degenerare.

o

- 521 III. — Ex his autem habitibus, qui possunt certitudine attingere verum et non degenerare in errorem neque in falsitatem, *quidam* perficiunt intellectum practicum, *quidam* speculativum.
- 522 Et distinguitur <sup>1</sup> verum speculativum a vero practico, quia *verum speculativum* tantum regulatur per id quod est vel non est in re, *verum autem practicum* non\* regulatur <sup>\*n. 701</sup> per esse vel non esse rei, sed per id quod deberet esse juxta debitum et modum humanum.
- 523 Qui enim facit id quod potest, et intentionem habet non errandi nec faciendi quod pravum est, licet in re et speculative non sit bonum, practice tamen bonum est, quia est quod debet et quod potest. Sicut qui in possessione est,

<sup>1</sup> Cf. D. Thom., *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 57, a. 5 ad 3.

et dubitat de legitimo titulo, si facit sufficientem diligentiam, et non tollitur dubitatio inveniendū quid in re sit, manet tamen practice securus, quia licet non sit certus de eo quod est in re, manet certus quod fecit quod debet et quod potest, et huic veritati conformatur moralis et practica directio.

524 IV. — Igitur habitus qui perficiunt **partem speculativam**\* cum certitudine†, *vel* attingunt ea quæ sunt per se nota et ex ipsis terminis, et non ex vi discursus et illationis, *vel* attingunt ea quæ sunt nota per aliud et ex vi consequentiæ. \*n. 529  
†n. 520

525 Quod se habet *primo modo*, pertinet ad habitum primorum principiorum, qui dicitur intellectus\*, quia simplici modo et sine discursu attingit. \*n. 584

526 Quod *secundo modo*, dupliciter se potest habere. Nam *quædam*\* attinguntur per discursum et probationem reducendo in causas primas et supremas, *quædam*\* vero reducendo in causas proximas et inferiores. \*n. 527  
\*n. 528

527 *Primo*\* modo, habitus sic attingens dicitur sapientia, quæ supremas causas attingit, ut Metaphysica, et Theologia, ideoque reflectere possunt super sua principia defendendo illa. \*n. 526

528 *Secundo*\* modo, dicitur habitus ille scientia, quia non reducit veritates in causas simpliciter ultimas, sed solum in suo genere. Et ideo habitus scientiæ per diversa genera objectorum scibilium dividitur\* in varias scientias. \*n. 690

529 V. — At vero in **intellectu practico**\*, perficitur \*n. 524 intellectus, non solum in attingentia veri in se, sed in directione seu regulatione operis faciendi.

530 Quæ directio est duplex : *alia* quæ respicit rectitudinem et debitam commensurationem ipsius effectus in se, sicut sunt omnia artefacta : et hæc directio fit ab arte, quæ est recta ratio operum faciendorum ; *alia* respicit rectitudinem et debitam commensurationem ipsius actionis, ut scilicet recte et debite quis agat et operetur, sicut sunt omnes actiones liberæ, et istæ diriguntur a prudentia, et vocantur agibilia, sicut quæ diriguntur ab arte, factibilia, quia prudentia dirigit actiones, ars effectus.

531 Unde non\* pertinet ad laudem artificis qua voluntate faciat opus suum et qua intentione, sed quod effectus ipse sit factus juxta ideam artis et ad finem suum recte dispositus, ut navis ad navigationem, domus ad habitationem, etc. \*n. 812-3, 829

532 Ad prudentem vero pertinet quod ex recta voluntate et intentione procedat ad electionem convenientium mediorum. Unde in ratione prudentiæ minus<sup>1</sup> laudatur, quia ex depravata voluntate procedit et errat circa electionem mediorum.

★ ★ ★

533 VI. — **SECUNDO**\* **NOTANDUM EST** virtutes perfectiores partem speculativam non\* esse solum species intelligibiles, superadditas intellectui, quæ solum repræsen- \*n. 516  
\*n. 113,  
321 sq.

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, VI, cap. 5 (1140 b 22) — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 21, a. 2 ad 2.

tativæ sunt et vicariæ objectorum, quorum vice potentiam informant. Habitus autem intellectivi non sunt qualitates repræsentantes ac loco objecti substitutæ, sed sunt qualitates dantes intellectui habilitatem seu facultatem utendi illis speciebus ordinate\* ad cognoscendam et manifestandam veritatem. \*n. 537

534 Unde vocantur lumen\* intellectus, non quidem lumen quo objectum ipsum reddatur illuminatum et proportionatum cognosci, sed quo potentia ipsa actuatur et perficitur ad determinatum objectum cognoscendum, sicut in oculo lumen intra oculum existens est ipsa virtus visiva, quæ active quis utitur ad eliciendam visionem, quæ etiam confortari potest magis vel minus, et perspicacior esse aut minus perspicax, et illud quo interius confortatur potentia visiva lumen activum est. \*n. 539, 555



535 VII. — Quod ergo habitus intellectus non sit solum aliqua species, neque sola multitudo specierum collecta pro aliqua scientia, sed alia qualitas superaddita\*, qua habiletur potentia ad utendum speciebus, *facile constat*, quia in nobis unica species non sufficit pro una scientia, cum tam diversa objecta soleant in aliqua scientia tractari, ut in Philosophia, et Mathematica videmus. \*n. 539

536 Similiter collectio specierum non sufficit, quia constat de eisdem objectis materialiter repræsentatis agere diversas<sup>1</sup> scientias, ut de quantitate Mathematicam, Physicam et

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 1, a. 1 ad 2.

Metaphysicam, de cœlo Philosophiam et Astrologiam, sicut diversæ potentiæ de eisdem objectis tractant, ut sensus interni et externi; ergo eisdem speciebus possunt uti diversæ scientiæ sub alia et alia scibilitate ordinatis, et sub diversa abstractione<sup>1</sup> et modo ad attingendum objecta in tali scientia requisito.

537 Ergo non sola collectio specierum prout hauritur ab objectis, sed ipsæ, ut diversimode dispositæ et ordinatæ\*, pertinent ad hanc scientiam potius quam ad illam: de se enim indifferentes\* sunt ut ad diversas scientias deserviant, imo communiter pluribus scientiis possunt deservire. Ergo alio principio indigent illæ species, præter ipsam earum collectionem, quo determinentur ad hanc potius quam ad illam scientiam, siquidem de se et prout exeunt ab objectis possunt eadem species pluribus scientiis deservire. \*n. 533, \*n. 539

538 VIII. — Et præsertim quia<sup>2</sup> prout veniunt ab objectis, cum multa confusione veniunt, et repræsentando plura, scilicet substantiam et accidentia, et respectus ad alia, quæ omnia oportet distinguere in qualibet scientia. Sola ergo collectio specierum prout ab objectis provenit, et prout est mera specierum aggregatio et collectio, non sufficit, nisi sic illustrentur et determinentur sub tali lumine, quod manifestent scientifice hoc prout pertinent ad scientiam Mathematicam, vel ad Physicam, etc.

539 Tale autem principium sic ordinans et illustrans species sub tali vel tali abstractione non est

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 85, a. 1 ad 2.

<sup>2</sup> Vivès: qui.



potentia ipsa intellectiva, quia hæc indifferens est ad omnes scientias, imo indifferentior\* ipsis speciebus ; ergo debet esse aliquid superadditum\* potentiæ, et acquisitum operationibus et consuetudine nostra, non innatum, quia scientiæ non innascuntur nobiscum sicut potentiæ ; ergo debet esse aliquis habitus superadditus speciebus per modum luminis\* et determinationis ordinantis illas sub tali abstractione, vel immaterialitate, vel illustratione.

\* \*

540 IX. — **Dices\*** : Ergo ubi fuerit species determinata ad aliquod lumen vel scientiam, ut per illam et non aliter cognoscatur et attingatur ejus objectum repræsentatum, non indiget alio lumine præter ipsam speciem superaddito intellectui. Et consequenter in visione beata non indigebit intellectus lumine gloriæ superaddito, sed sufficit species quæ est ipsa essentia divina, vel si esset possibilis species creata repræsentans Deum in se, ipsa sine lumine gloriæ sufficeret ad visionem, quia determinate repræsentat Deum, et non potest deservire nisi tantum visioni beatæ.

o

541 X. — **Respondetur\*** negando sequelam, sed dicimus adhuc in visione beata præter speciem repræsentantem Deum in se, sive sit species creata, sive increata, adhuc indigere intellectum lumine gloriæ distincto a specie ex duplici capite.

542 *Primo*, ut intellectus proportionetur tali speciei, possitque uti illa, nam secundum se, si<sup>1</sup> est potentia ordinis natu-

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur omittendum ly *si*.

ralis, multumque improportionata et visioni et speciei illi. Unde nisi elevetur et supernaturalizetur, non poterit uti illa specie et cum illa elicere visionem, quia utrumque principium, tam species quam potentia debent proportionari ut actus eliciatur.

543 *Secundo*, indiget lumine superaddito, ut determinetur modus intelligendi et cognoscendi essentiam divinam, eo quod hæc infinitis et diversis modis attingi potest plus vel minus. Oportet ergo dari in ipso intellectu aliquod principium determinans quid et quantum in essentia divina videri possit, etiamsi species repræsentans illam sit creata, quia per illam speciem unus alio melius poterit intelligere et beatior esse altero, et hoc non potest determinari ab intellectu, qui est potentia naturalis improportionata, et sic indifferens<sup>1</sup> ad omnes visiones ; ergo a lumine gloriæ superaddito.

● ● ●

#### HABITUS PRIMORUM PRINCIPIORUM EST ACQUISITUS

544 XI. — Circa habitum primorum principiorum solet **PRIMO\* CONTROVERTI** ab auctoribus, *an* talis habitus sit qualitas distincta ab ipsa potentia intellectus ; *an* illi naturaliter congenita, vel aliquo modo sit per nostros actus acquisita\*.

\* \* \*

545 In quo est duplex opinio.

<sup>1</sup> Vivès : indifferentes.

\* \*

546 **Quidam**\* dicunt hunc habitum realiter et intrinsece \*n. 555 non esse qualitatem distinctam a potentia intellectiva, sed solum connotare aliquid extrinsecum superadditum ipsi potentiae, scilicet species repraesentantes terminos ex quibus illa veritas per se nota componitur. Quibus positus intellectus sine alio habitu per modum luminis superaddito per se ipsum inclinatur in assensum talis veritatis, solum enim repraesentato et manifestato per species quid sit totum et quid sit pars, intellectus sine ulla difficultate cognoscit quod totum est majus parte, et cognitio quid sit esse et non esse, statim videt quod idem simul impossibile est esse et non esse. Ergo non indiget habitu superaddito, quia habitus solum superadditur potentiae ad vincendam difficultatem circa aliquem assensum.

547 Et de ipsa syndæresi, quæ est habitus practicus primorum principiorum, dicitur *Psal. IV*<sup>1</sup>: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; et ad *Roman. II*<sup>2</sup>: quod est lex scripta *in cordibus nostris*, et quod gentes *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*.

548 XII. — Constat autem quod lumen nobis inditum et signatum a Deo, et lex scripta in cordibus non est aliquis habitus superadditus a Deo et infusus ipsi potentiae, quia intellectus noster a principio est tamquam tabula rasa<sup>3</sup>

<sup>1</sup> *Ps. 4, 7.*

<sup>2</sup> *Rom. 2, 15 et 14.*

<sup>3</sup> Cf. *Aristot., De Anim., III, cap. 4 (430 a 1)* — D. Thomas, *Sum. Theol., Ia, q. 79, a. 2.*

sine aliquo sibi superaddito, nec a Deo habet infusas aliquas species, sed omnes quotquot accipit, ministerio sensus ipsi superadduntur, sine speciebus autem non datur habitus superadditus, quia determinatum lumen habitus sumitur ex ipsis speciebus et circa earum determinata objecta.

549 Quare, cum in assensu talium veritatum non sit alia difficultas quam ipsa explicatio terminorum, his enim explicatis, statim ipsa veritas est per se nota sine alia probatione, et hæc explicatio sufficienter fiat per repraesentationem specierum, consequenter non indiget habitu superaddito, quia isti habitus (ut diximus\*) dantur ad vincendas difficultates. Quod si aliqua difficultas est, solum est in explicandis terminis, quibus explicatis, sine difficultate fit assensus. Explicatio autem terminorum antecedit ad assensum. \*n. 535 sq.

550 Hanc sententiam tenet Durandus in II<sup>1</sup>, dist. XXIV, quæst. I, numero IV, et in III<sup>2</sup>, dist. XXIII, quæst. I; Almainus, I *Moral.*, c. XVIII, eamque tribuit Scoto. Sequitur Richardus<sup>3</sup>, in III, dist. XXIII, articulo I, q. II; Soto<sup>4</sup>, libro primo *De Justitia*, quæst. IV, articulo I, post secundam conclusionem; Valentia<sup>5</sup> hic, disp. IV, q. III, puncto primo; Gregorius Martinez<sup>6</sup>, 1-2, q. LI, articulo I, dub. I.

<sup>1</sup> In II *Sent.*, dist. 24, q. 1, num. 4.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 23, q. 1.

<sup>3</sup> In III *Sent.*, dist. 23, a. 1, q. 2.

<sup>4</sup> *De Justitia et Jure*, Lib. I, q. 4, a. 1.

<sup>5</sup> In Ia-IIæ, q. 51, a. 1, disp. 4, q. 3.

<sup>6</sup> In Ia-II, q. 51, a. 1, dub. 1.

- 551 XIII. — At vero pater Vazquez<sup>1</sup> hic, disp. LXXIX, art. III, distinguit\* de principiis Mathematicæ et aliis valde communibus, et de principiis Naturalis scientiæ et aliis quæ aliquam difficultatem habent. \*n. 623, 660
- 552 Et pro istis secundis, dicit requiri habitum superadditum, qui inductione singularium acquiritur.
- 553 Pro primis\* vero, dicit non requiri habitum superadditum intellectui, sed sufficere ipsam potentiam, explicatis terminis, quia nulla in his est difficultas. Imo, addit quod si assensus est cognitio distincta a compositione qua convenientia prædicati ad subjectum cognoscitur, nullus habitus ad talem assensum requiritur, quia nulla est difficultas in assensu, supposita convenientia extremorum. \*n. 551
- 554 De hoc dicemus\* dubio quarto, ubi hæc sententia Vazquez tractabitur. \*n. 659 sq.
- o
- 555 XIV. — **Secunda\* sententia** docet habitum principiorum esse qualitatem distinctam ab ipsa potentia, non solum ratione specierum, quæ sunt aliquid præsuppositum ad notitiam et assensum, sed etiam ratione sui, in quantum est lumen\* quoddam habituale superadditum potentiaæ actuatæ speciebus ad inclinandum ipsam erga talem assensum, et hoc probant. \*n. 546  
\*n. 534
- 556 *Tum quia*, explicatis et cognitis terminis, adhuc est aliqua difficultas, licet parva, vincenda tamen per habitum\*, \*n. 683

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1, disp. 79, a. 3.

- quatenus indiget potentia determinari erga talem assensum. Videmus enim quod homines valde rudes etiam in hoc difficultatem aliquam patiuntur, præsertim si argumentis et paralogismis in contrarium urgeantur. Oportet ergo ad bene et firmiter determinandum intellectum aliquem habitum superaddere.
- 557 *Tum quia* ex repetitione actuum circa ista principia redditur quis facilius ad assensum; ergo signum est dari habitum ad illum: ex facilitate enim superante difficultatem colligimus dari habitus in aliis operibus intellectus et voluntatis; ergo etiam in isto.
- 558 Licet enim explicatis terminis necessitetur ad assentiendum veritatibus illis per se notis, tamen, si facilius potest assentiri multiplicatis actibus, ponendus est habitus. Sicut facta demonstratione necessitatur intellectus ad assentiendum conclusioni, et tamen ponitur habitus scientiæ ad talem assensum eliciendum saltem facilius et congruentius, et quia potentia de se est indifferens ad talem assensum. Idem ergo dicetur de habitu principiorum.
- 559 XV. — Hanc sententiam sequuntur communiter discipuli D. Thomæ, licet in modo quo ista qualitas distincta advenit intellectui et in eo generatur, et an sit innata a natura vel nostris actibus acquisita, et qui sint illi actus, varient theologi.
- 560 Tamen in hoc quod sit qualitas distincta et superaddita communiter conveniunt.

561 Videatur Cajetanus <sup>1</sup>, Conradus <sup>2</sup>, Medina <sup>3</sup>, super quæstionem LI, art. I; Ferrariensis <sup>4</sup>, II *Contra Gentiles*, c. LXXVIII; Bannez, I P., q. I, a. VI, notab. III, et q. LXXIX, a. XII, dub. I; Montesinos <sup>5</sup> hic, disp. XXXII, q. VI; Suarez <sup>6</sup>, tom. I, *Met.*, disp. I, sect. XV; Vazquez <sup>7</sup> hic, disp. LXXIV, et alii communiter.

562 Est etiam expressa D. Thomæ sententia ubicumque agit de habitu primorum principiorum, ut supra <sup>8</sup> quæst. LI, art. I, ubi docet istum habitum subjectari in intellectu, et quod partim est a natura, partim ab exteriori. — Et in hac quæstione LVII <sup>9</sup>, ipsum numerat inter virtutes intellectuales, quas constat a potentia ipsa distingui. Dicitque quod habitus perficiens intellectum ad veritatem per se notam percipiendam, dicitur intellectus, qui est habitus principiorum. Non ergo est ipsa potentia. — Item quæst. XVI *De Veritate* <sup>10</sup>, art. I, in fine corporis concludit sic: « Quod autem ipsa potentia rationis, prout naturaliter cognoscit, syndæresis dicatur, absque omni habitu esse non potest; quia naturalis cognitio rationi convenit secundum aliquem habitum naturalem, sicut de intellectu principiorum patet ». — Et solutione ad quartum <sup>11</sup>: « Syndæresis, inquit, non significat potentiam et habitum quasi eadem res sit

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1, n. 2 (Comment.).

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>4</sup> In *Cont. Gent.*, Lib. II, cap. 78.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1, disp. 32, q. 6.

<sup>6</sup> *Metaph.*, disp. I, sect. 4, n. 16-17, *Opera Omnia*, XXV (Vivès), p. 30.

<sup>7</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1, disp. 79.

<sup>8</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>9</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 2.

<sup>10</sup> *De Ver.*, q. 16, a. 1 Corp.

<sup>11</sup> *De Ver.*, q. 16, a. 1 ad 4.

potentia et habitus; sed quia uno nomine significatur ipsa potentia cum habitu cui substernitur ». — Videatur etiam D. Thomas, I P., q. LXXIX, art. XII <sup>1</sup>, et VI *Ethicorum* <sup>2</sup>, lect. III et V.

563 XVI. — Et *fundamentum* hujus sumitur ex dictis, et simul explicatur differentia \* inter intellectum quoad veritatem \*n. 320-325 per se notam, et voluntatem quoad bonum proprium, quod intellectus de se nullam\* habet determinatam inclinationem \*n. 320-322 ad hanc veritatem potius quam ad illam, etiamsi sit veritas per se nota, voluntas autem ad bonum proprium\* formaliter \*n. 281-294 sumptum dicit per se determinatam inclinationem.

564 Cujus differentię radix inde nascitur, quia inclinatio appetitus et voluntatis fit per convenientiam appetitus seu appetentis cum re volita et appetita; natura autem in qua est talis appetitus de se et sine aliquo superaddito habet convenientiam cum bono proprio quatenus proprium est, sic enim est aliquid sui, et ad habendam convenientiam cum aliquo sui non est necesse quidquam superaddere, sed de se id habet forma seu natura, et inclinatio quæ sequitur formam.

565 At vero cognitio et attingentia veritatis non fit per convenientiam, qua inclinatur forma vel natura in propriam perfectionem et bonum, sed per illuminationem et manifestationem veritatis, quæ dependet *primo* ex repræsentatione objecti, quæ fit per species fœcundantes intellectum et unientes illi objectum, et istas non habet intellectus a

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia, a. 79, a. 12.

<sup>2</sup> In VI *Ethic.*, lect. 5.

se, sed superadduntur ipsi. Et *secundo* indiget collatione et compositione\* terminorum seu objectorum ut veritatem\* \*n. 631 eliciat, siquidem veritas in compositione et assensu consistit ad esse vel non esse.

566 Unde si intellectus non sit comprehensivus et species ejus virtuti proportionatæ, ut in Angelis, indiget collatione specierum et compositione ad veritatem eliciendam et repræsentandam, quod totum non\* est ex naturali impetu \*n. 683 potentiæ et determinatione, sed ex acquisitione superaddita, quia ea quæ sic cognoscit potentia unum alteri conferendo, et non ex vi penetrationis luminis intellectualis, indiget labore proprio et acquisitione propria, non ex sola naturali inclinatione id facit.

567 XVII. — Quare lumen comprehensivum veritatum, ut in Angelis, licet indigeat specie superaddita, non\* tamen \*n. 320, 707 habitu, quia, posita specie, per simplicem comprehensionem et penetrationem sine ulla difficultate, sed ipso naturali impetu, totum attingit.

568 Lumen autem collativum et compositivum, sicut in nobis est intellectus, non solum specie repræsentante superaddita, sed etiam\* habitu facilitante et determinante \*n. 321 sq. potentiam indiget, etiam ad veritates per se notas, quia non potest illas attingere nisi compositionem et collationem aliquam faciat terminorum ut illam veritatem eliciat et attingat, licet non indigeat discursu et probatione et compositione ad id attingendum. Ubi autem collatione et compositione est opus, id non fit naturali determinatione, sed industria et acquisitione potentiæ; ergo locum habet

ibi habitus facilitans, et non sola natura potentiæ de se determinata, licet primum\* actum potentia sine habitu \*n. 576 faciat, sicut in aliis habitibus, alias non acquireret illos.

569 Denique, non potest ipsa potentia nominari habitus (sicut nominat D. Thomas<sup>1</sup> habitum principiorum) nisi sit determinata virtus erga illam veritatem. At intellectus de se est potentia omnino indifferens, et tamquam tabula rasa\*; \*n. 548 ergo non est habitus principiorum.

\* \*

570 XVIII. — **Ad fundamentum oppositæ sententiæ** supra\* allatum, quod stat in hoc quod nulla difficultas est \*n. 546 sq. in eliciendo assensu talis veritatis per se notæ, posita explicatione terminorum, quæ explicatio sufficienter fit per repræsentationem specierum, **respondetur** non esse aliquam difficultatem quæ debeat vinci discursu et probatione, *concedo*; quæ debeat vinci aliqua collatione et compositione per quam eliciatur veritas, et illi assensum præbeat per judicium fundatum in aliqua collatione et compositione terminorum, *nego*.

571 Et hoc sufficit ut requiratur aliquis habitus facilitans, id est, determinans ad talem assensum, qui ex tali collatione dependet, licet comparatione ad eos habitus qui ex probatione et discursu acquiruntur, facillimæ acquisitionis sit.

572 Nec\* sufficit sola et pura repræsentatio specierum, quia \*n. 533 sq. non sufficit ad veritatis assensum apprehensio simplex ter-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 57, a. 2.

minorum, sed requiritur collativa et compositiva apprehensio, quia iudicium super talem compositionem cadit.

◊

- 573 Quod vero posita illa terminorum compositione et connexionem, necessario\* intellectus assentiatur, non tollit requiri habitum, sicut posita demonstratione, necessario intellectus assentitur conclusioni, et tamen indiget habitu ad assensum illum conclusionis, quia de se naturaliter non determinatur intellectus per comprehensionem veritatis et objecti, sed per probationem et discursum. Sic similiter, quia in veritatibus per se notis assentitur intellectus, non naturaliter et per comprehensionem objecti, sed per collationem et compositionem terminorum per quam elicit veritatem cui assentiatur, indiget talis assensus determinatione superaddita habitus.

◊

- 574 XIX. — **Quod vero dicitur\*** hoc lumen esse inditum a Deo et signatum super nos, **dicimus** esse signatum radicaliter et quoad sui principium et inchoationem, non quoad sui perfectionem et consummationem, sicut dicit D. Thomas supra <sup>1</sup> quæst. LI, art. I, quod habitus primorum principiorum est habitus naturalis\* secundum inchoationem, quia ex ipsa natura animæ intellectualis convenit homini quod statim cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte.

- 575 Non tamen dicitur iste habitus totaliter a natura, quasi sit inditus a Deo, vel congenitus cum ipsa natura, quia

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

potentia, quæ nullas habet species a principio, neque aliquos habitus qui juxta species ab objectis provenientes determinati habitus sunt et in potentia resultant, eo quod habitus determinant et faciunt intellectum circa determinata objecta, non circa totam indifferentiam potentiæ, sic enim habitus relinquerent potentiam æque indifferentem ac esset de se. Non potest autem habitus erga determinata objecta restringere et determinare indifferentiam potentiæ, nisi supponendo species quæ determinata objecta intellectui conjungunt et repræsentant, et sic circa illa habitus inclinant et determinant intellectum. Ante species ergo non dantur habitus, et sic potentia quæ ab omnibus speciebus nuda producitur, etiam ab omni habitu aliena creatur. Non ergo habitus ipse est ingenitus et impressus a Deo immediate, sed ipsa vis et lumen potentiæ, quæ de se potens est ut accedente repræsentatione et collatione terminorum assentiri possit illi veritati, et sic habitum generare.

- 576 Ad primum\* autem assensum in se habet sufficientem vim posita determinatione specierum, etiam ante habitum, capax tamen est habitum acquirendi et generandi ex tali actu, qui magis facilius, id est, determinet ad illum assensum.

◊

- 577 XX. — **Posset etiam objici** pro hac sententia\* paritas\* inter voluntatem et intellectum, quia voluntas de se absque habitu est sufficiens tendere in bonum proprium; ergo et intellectus in propriam et per se notam veritatem. Sed disparitatem inter utrumque jam posuimus\* tradendo fundamentum nostrum, et disputatione præcedenti\* agendo

de hac difficultate, quomodo voluntas ad proprium bonum non indigeat habitu.

★ ★ ★

578 XXI. — SECUNDO\*, inquires circa habitum primorum principiorum, an supposito\* quod est distincta qualitas ab intellectu, *an* naturaliter effluat ab illo vel ab auctore naturæ imprimatur; *an vero* acquiratur nostris actibus, et quibus. \*n. 544 \*n. 545-577

\* \*

579 In hoc puncto aliqui ex Thomistis, qui sentiunt habitum principiorum esse distinctam qualitatem ab intellectu, existimant tamen esse lumen quoddam ipsi intellectui a natura inditum, aut ab ipsa natura effluens. Quod attribuitur Conrado, Medinæ et Bagez supra\* citatis. Sed tamen Bagez<sup>1</sup> super quæstionem LXXIX, I P., art. XII, dub. II, tenet habitum primorum principiorum esse partim\* a natura, partim ab exteriori. Esse quidam a natura quantum ad ipsum lumen, et sic non esse acquisitum; esse autem ab exteriori, quantum ad species intelligibiles, et sic esse acquisitum. \*n. 561 \*n. 602

580 Alii Cajetano tribuunt quod dixerit esse habitum acquisitum, sed unico actu, et quia sic citissime acquiritur, quasi naturalis et ingenitus videtur: et quod id fit per solam apprehensionem terminorum. Sed tamen Cajetanus\*, 2-2<sup>2</sup>, q. LI, art. I & *Ad primam*, non sic dicit, sed quod « notitia

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia, q. 79, a. 12, dub. 2.

<sup>2</sup> Revera, In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1, n. 2 (Comment.).

principiorum habitualis naturaliter inest animæ, advenientibus ab extra terminis. Ita quod ad intelligibilem præsentiam eorum, inditum est quod ab anima in intellectu possibili, sub lumine agentis, fluat qualitas illa quæ est habitus principiorum; sicut motus gravium et levium a natura gravium et levium». Hæc sunt verba Cajetani, ubi manifeste videtur ponere istum habitum per modum proprietatis dimanare ab anima in intellectu, licet non absolute dimanet, sed posita terminorum notitia, sicut nec motus gravium absolute dimanat a natura gravium, sed supposito quod ponuntur extra centrum et sine impedimentis.

581 Cæteri auctores frequentius tenent esse habitum genitum nostris actibus, sicut alii habitus, licet etiam varient inter se, *an* omnibus habitibus primorum principiorum id æque retribuendum sit, *an* diverso modo. De quo postea\*. \*n. 623 sq.

\* \*

582 XXII. — Cæterum juxta sensum et mentem S. Thomæ<sup>1</sup>, **dicendum est** nullo modo talem habitum seu qualitatem ab intellectu distinctam effluere per modum propriæ passionis ab anima, sicut effluunt potentiæ, sed produci et acquiri ab ipso intellectu per actum suum, licet facillime illum acquirat comparative ad alios habitus.

583 Dicitur autem esse naturalis\* iste habitus, quia produ- \*n. 574  
citur ab intellectu, non quatenus ratio, sed quatenus intellectus, id est, non quatenus ratiocinativus et discursivus est, quia iste habitus non acquiritur per discursum et probationes, sed quatenus modo intellectuali et sine discursu

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

procedit solo iudicio compositivo ex notitia terminorum : conferendo tamen illos et componendo.

- 584 Ita sumitur ex locis D. Thomæ supra\* citatis, præsertim quæst. XVI *De Veritate*<sup>1</sup>, artic. I, et super quæstionem LI<sup>2</sup>, art. I. — Videri etiam potest sanctus Doctor, VI *Ethicorum*<sup>3</sup>, lect. V, ubi inquit, loquens de intellectu principiorum : « Accipitur autem hic intellectus non pro ipsa intellectiva potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia. Et satis congruit nomen. Huiusmodi enim principia statim cognoscuntur cognitio terminis. Cognito enim quid est totum et quid est pars, statim scitur quod omne totum est majus sua parte. Dicitur autem intellectus ex eo quod intus legit intuendo essentiam rei... Et sic convenienter cognitio principiorum quæ statim innotescunt cognito quod quid est, intellectus nominatur ». — Cui consentit id quod tradit D. Thomas in hac quæstione LI<sup>4</sup>, articulo primo *in corpore*, quod habitus principiorum dicitur esse naturalis\*, quia « ex ipsa natura animæ intellectualis convenit homini quod statim, cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte ».

o

- 585 XXIII. — Ex qua doctrina formatur sic argumentum : Habitus ille non potest convenire intellectui, illique inesse et profluere, nisi supponat cognitionem potentiæ ; sed illa

<sup>1</sup> *De Ver.*, q. 16, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

<sup>3</sup> In VI *Ethic.*, lect. 5, n. 1179 (Pirota).

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

cognitio non profluit naturaliter et ad modum propriæ passionis ab intellectu neque ab anima, est enim actus elicited ab ipso vitaliter sicut alii actus eliciuntur, non\* autem a generante<sup>1</sup> illi convenit, quia non est primus actus potentiæ, potest enim prius occurrere aliud objectum vel alia veritas quam in confuso cognoscat et sine evidentia, sicut quod primo cognoscit est ens in confuso ; ergo talis actus non est propria passio ipsius animæ, sed actio ab ipso intellectu elicited, estque assensus circa illam veritatem per se notam, et apprehensio atque collatio terminorum ex quibus constat. Ergo habitus qui talem cognitionem supponit non per emanationem profluit naturaliter ab anima sicut propria passio, sed vere et proprie acquiritur.

- 586 *Patet consequentia*, quia propria passio emanat a natura seu ab anima in vi actionis generantis et per emanationem, non vi actionis elicited ab ipsa re genita : generans enim sua actione facit formam et consequentia\* ad formam, quæ idcirco dicuntur naturaliter emanare ab aliqua natura seu essentia, quia inter ipsam proprietatem et essentiam est connexio, ratione cujus actio attingens naturam ex consequenti attingit proprietatem ipsi annexam. Quod autem per actionem propriam rei genitæ ab ipsa procedit, jam non est proprietas emanata, sed effectus acquisitus, qui utique non\* tribuitur generanti, sed ipsi proximo efficienti : sicut calefactio procedens ab igne non tribuitur generanti, sed ipsi igni calefacienti.

- 587 Si ergo habitus principiorum procedit ex cognitione sciente quid est totum et quid est pars, et cognoscente

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 17, a. 9 ad 2.



quod totum est majus sua parte, talisque cognitio non est emanatio, sed actio vitalis procedens ab intellectu postquam generans functus est officio suo ; non ergo ille habitus dimanat ut passio, sed acquiritur.

588 XXIV. — **Dices** : Cognitio terminorum non se habet ut actio producens habitum, sed ut conditio\*, qua posita \*n. 591 effluit ab anima ille habitus.

589 **Sed contra**, quia habitus ille primorum principiorum inclinatur ad eosdem seu similes actus qui præcedunt ejus productionem ; ergo si tales actus requiruntur ut conditio<sup>1</sup>, sed ut ratio seu actio producens\*. \*n. 591

590 *Antecedens est certum*, quia habitus principiorum inclinatur ad assensum circa veritatem per se notam et ex terminis, iste autem est actus qui præcedit ejus habitus productionem, cognoscitur enim prius quid est totum et quid est pars, et sic cognoscitur quod omne totum est majus sua parte : habitus autem ille ad hoc ipsum inclinatur ut aliquis, cognito quid est totum et quid est pars, assentiat quod omne totum est majus parte.

591 *Consequentia vero probatur*, quia id quod se habet ut conditio nunquam est id ad quod formaliter respicit principium efficiens, sed aliquid diversum : sicut calidum formaliter respicit calefactionem, et sic calefactio non est conditio requisita ad calidum productivum caloris, sed applicatio est conditio ut producat calor in passo ; et finis habet pro conditione esse apprehensum ut moveat, non ipsam

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : . . . requiruntur, non ut conditio, . . .

motionem allicientem. Ergo similiter habitus principiorum non potest habere pro conditione\* ipsum assensum erga \*n. 588 veritatem per se notam ex cognitione terminorum, quia iste est proprius et per se effectus illius ; ergo si præcedit ejus productionem, non ut conditio, sed ut productio\* præcedit, quia simile agit per se in simile<sup>1</sup>, et non ut conditio. \*n. 589

592 XXV. — Denique\*, quia propria passio debetur ipsi \*n. 586 naturæ ex vi suæ generationis nisi sit impedimentum aliquod, ut patet in omnibus propriis passionibus. Et ideo remoto impedimento extrinseco, in ipso primo instanti quo natura aliqua producitur, omnes ejus passionibus dimanant, quia ex vi generationis producuntur : quod vero supponit rem jam productam et operantem actione sibi propria, non ex naturali dimanatione profluit, sed acquisitum est tamquam adventitium, eo quod idem est aliquid naturaliter dimanare ut propria passio ab essentia, et a generante provenire, quia \*n. 585 propriæ passionibus a generante\* producuntur, sicut et ipsa natura cui annexæ sunt : eadem quippe actione fit forma, et quod consequens\* est ad formam. Generans autem \*n. 586 solum attingit sua actione id quod in primo instanti debetur naturæ a se productæ, nisi sit impedita. Quod vero convenit naturæ postquam ipsa operatur suas proprias actiones, jam non pertinet ad generantem et ad id quod naturæ per se connexum est, sed quod adventitium.

593 Et sic se habet habitus principiorum, qui non ex connexionem intrinsecam cum natura, neque ex actione generantis, sed ex cognitione superveniente tamquam aliquid acquisitum convenit. Unde intellectus principiorum sim-

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Cont. Gent.*, III, cap. 69.

pliciter connumeratur ab Aristotele, VI *Ethicorum*<sup>1</sup>, et a theologis inter virtutes intellectuales. Virtutes autem non sunt connaturales potentiæ per naturalem emanationem, sed per acquisitionem supervenientem.

\* \*

594 XXVI. — **Fundamentum oppositæ\* sententiæ** parum habet roboris. Sumitur enim ex eo quod habitus primorum principiorum, et inter eos syndæresis, dicuntur naturaliter convenire, et quod in natura sunt naturaliter insita quædam semina<sup>2</sup> virtutum et quædam principia scientiarum, quod nequaquam salvari potest, si actibus nostris talia principia et talia semina acquiruntur. \*n. 579

595 **Quod urgetur\* sic** : Nam *vel* potentia de se est omnino indifferens ad ista principia et semina, *vel non* : sed habet de se aliquam determinationem ad assensum istarum veritatum præ aliis. \*n. 608

596 Si est in pura indifferentia ; ergo non magis naturaliter istæ veritates cognoscuntur a nostro intellectu quam aliæ, quæ pertinent ad scientias vel ad alios habitus.

597 Si autem est ex sua natura magis determinata ad istas veritates per se notas ; ergo illa determinatio non est acquisita ab intellectu, sed ei innata ; non est autem aliud habitus quam determinatio potentiæ ad actum modo permanenti, nec est necesse præter istam determinationem

<sup>1</sup> *Ethic.*, VI, cap. 6 (1140 b 31).

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 1.

aliud habitum ponere, quia nihil amplius potest facere iste habitus quam illa determinatio ; ergo non oportet ponere habitum acquisitum, sed naturaliter insitum.

598 XXVII. — **Confirmatur\* ex D. Thoma**, qui hoc ipsum docet multis in locis. \*n. 611 sq.

599 Nam 2-2<sup>1</sup>, quæstione\* V, articulo IV ad tertium, docet quod « intellectus principiorum consequitur naturam ». \*n. 612

600 Et in hac *Prima Secundæ*<sup>2</sup>, quæstione LXIII\*, articulo primo, dicit quod « in ratione sunt quædam principia naturaliter cognita tam speculabilium quam agendorum ». \*n. 614 sq.

601 Et in hac quæstione\* LI<sup>3</sup>, articulo primo, inquit quod « ex ipsa natura animæ est quod cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus<sup>4</sup> sua parte ». Si est ex natura animæ, non ergo ex acquisitione actionis. \*n. 615

602 XXVIII. — Item dicit<sup>5</sup> quod iste habitus partim est a natura quantum ad ipsum lumen, partim ab extra quantum ad acquisitionem specierum ; et sic ratione prioris est inchoative a natura, ratione posterioris, est consummative\* ab extrinseco. Non autem ponit aliam qualitatem præter species, quæ sit consummatio habitus acquisiti. \*n. 616

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-II<sup>æ</sup>, q. 5, a. 4 ad 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 1.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

<sup>4</sup> Vivès habet : minus.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

- 603 Denique\* in eodem articulo<sup>1</sup>, ponit D. Thomas differentiam inter potentiam appetitivam et intellectivam, quod in intellectu est habitus naturalis secundum inchoationem\*, quia ex ipsa natura animæ intellectualis habet cognoscere quod omne totum est majus sua parte, licet quantum ad consummationem sit ab extra propter species intelligibiles quas accipit a phantasmatibus. At vero in potentiis appetitivis dicit quod non est aliquis habitus naturalis secundum inchoationem quantum ad ipsam substantiam habitus, sed solum quantum ad quædam principia communia, quæ sunt sicut seminalia virtutum, quia inclinatio ad objectiva<sup>2</sup> propria non\* est ab habitu, sed a potentia. Ergo si ponit habitum quantum ad inchoationem in intellectu esse naturalem, in voluntate autem nec etiam quoad inchoationem inveniri habitum naturalem, sentit illud quod inchoative dicitur esse in intellectu verum habitum et quoad substantiam; sed quod inchoative est a natura in intellectu non est acquisitum, sed innatum; ergo habitus aliquis est innatus\* in intellectu.

\*n. 617

\*n. 574

\*n. 281-294,  
319-330

\*n. 618

- 604 XXIX. — Respondetur\* quod habitus principiorum speculativorum et syndæresis dicitur naturaliter convenire, non sumendo naturaliter pro eo quod est per dimanationem propriæ passionis, aut prout opponitur acquisito, sed sumendo naturaliter prout opponitur ei quod est per discursum et consequentiam deductum.

\*n. 594

- 605 Ea enim quæ attingimus discursu et consequentia, non ex ipso naturali impetu, sed ex quodam circuitu et nostro

<sup>1</sup> Sum. Theol., Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>2</sup> Ita Vivès: forsan legendum: *objecta*.

- labore deducta attingimus. Quæ vero sine tali discursu et labore comparantur, videntur quasi naturaliter haberi.
- 606 Unde D. Thomas quæst. XVI *De Veritate*<sup>1</sup>, articulo primo, docet hanc cognitionem primorum principiorum esse naturalem, in quantum est sine inquisitione et discursu, in quo anima humana modum angelicæ cognitionis attingit, licet non plene adæquet; et similiter dicitur naturalis\* cognitio in quantum est principium\* et quasi seminarium quoddam totius cognitionis sequentis.
- 607 Quod autem dicatur naturalis ista cognitio, et habitus ejus productio quasi naturali dimanatione ab anima aut ab intellectu profluat, D. Thomas nusquam dixit, sed quia naturali modo, id est, absque discursu et inquisitione et labore nostro acquiratur, sed simplici inspectione et judicio terminorum.
- 608 XXX. — Et ad instantiam\* quæ contra hoc fit in argumento, respondetur quod potentia intellectiva de se indifferens est ad omnes istas veritates, sicut ad omnes species et objecta, non minus quam materia de se ad omnes formas.
- 609 Sed tamen, sicut materia prima ad aliquas formas facilius et simplicius disponitur quam ad alias, quia pauciores dispositiones requiruntur: verbi gratia, ad formam elementalem quam ad formam mixti, vel ad formam animalis aut hominis, et ratione hujus facilitatis potest dici materia magis de se determinata seu proportionata ad formam simplicem

\*n. 584

\*n. 612

\*n. 595

<sup>1</sup> De Ver., q. 16, a. 1.

quam ad formam mixti, sic intellectus dicitur magis determinatus ad simplicem veritatem et per se notam quam ad veritatem demonstratam vel per consequentiam deductam.

610 Non tamen illa determinatio tollit quin requiratur habitus superadditus et acquisitus, quia illa determinatio solum est major proportio aut capacitas, non major determinatio per modum luminis aut virtutis inclinantis intellectum ad assensum et manifestationem illius veritatis: hæc enim vis et lumen\* determinate habilitans et inclinans superadditur intellectui, et acquiritur per cognitionem et assensum circa talem veritatem, ut mox\* dicemus, et ex D. Thoma constat in hac *Prima Secundæ*<sup>1</sup>, quæstione LI, articulo primo. \*n. 534

611 XXXI. — Ad confirmationem\*, respondetur D. Thomam non docere quod iste habitus consequitur naturam, aut naturaliter convenit consecutione dimanationis, sed consecutione simplicis iudicii sine discursu et inquisitione. \*n. 598 sq.

612 Unde in illo loco\* ex *Secunda Secundæ*<sup>2</sup>, solum D. Thomas contraponit habitum principiorum habitui fidei, quod ille habitus consequitur naturam, quæ est æqualis in omnibus: fides autem consequitur donum gratiæ, quod non est æqualiter in omnibus. Ubi ly « consequitur » non est necesse quod intelligatur de consecutione dimanativa per modum proprietatis, sed sufficit intelligi de consecutione acquisitiva et per cognitionem et actum proprium intellectus factam, sed modo quodam naturali, id est, sine inquisitione

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIe, q. 5, a. 4 ad 3.

et discursu, sed modo simplici et tamquam principium\* et origo totius alterius cognitionis. Et similiter dicitur naturalis illa acquisitio habitus et assensus illius veritatis, quia necessario sequitur posita notitia terminorum, nec potest hoc impediri, sicque naturaliter consequitur ad naturam prout ly « naturaliter » opponitur libero et contingenti, non\* prout dicit emanationem proprietatis a natura. \*n. 606

613 Similiter\* in quæstione LXIII<sup>1</sup>, articulo primo, dum dicit naturaliter esse quædam semina\* virtutum in nobis et principia naturaliter cognita, sumit ly « naturaliter » modo dicto\*, non naturaliter emanative seu per emanationem a natura, sed naturaliter acquisitive, quatenus acquiritur necessario et modo quodam naturali et determinato, scilicet sine inquisitione et discursu, et tamquam origo\* cæterarum cognitionum et actionum. \*n. 604, 613

614 XXXII. — Ad locum\* ex hac quæstione LI<sup>2</sup>, per ordinem respondetur. \*n. 606

615 In primis\*, dicit S. Thomas ex ipsa natura animæ esse quod cognito quid est totum et quid est pars cognoscat quod omne totum est majus sua parte. Non ergo id habet per emanationem, sed per cognitionem et actum proprium a se elicatum, et hunc actum elicere et habitum per illum acquirere ex natura est animæ intellectivæ, quæ sic disposita est ex se et talem vim habet ut explicatis illis terminis sine alia inquisitione et discursu possit illam veritatem cognoscere et habitum acquirere, sed non sine actu iudicii et assensus. \*n. 594

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

- 616 Cum vero dicit\* inchoative esse hunc habitum a natura et consummative ab extra, quia species sunt ab extra, et lumen habitus a natura, non dicit D. Thomas ipsum lumen seu qualitas qui<sup>1</sup> est habitus esse a natura dimanative, vel esse idem cum natura intellectus, sed dicit ex natura intellectivæ animæ esse quod cognito quid est pars et quid est totum cognoscatur quod omne totum est majus sua parte, sed hoc cognoscere non potest nisi per species a phantasmatibus acceptas. Unde sicut ista cognitio non oritur a natura animæ per naturalem emanationem, sed per vitalem actionem ortam ab intellectu informato speciebus acquisitis, ita et habitus inde proveniens est acquisitus, non innatus, licet non inquisitione et discursu, et ideo naturaliter dicitur acquiri eo modo quo dictum\* est. Et sic qualitas illa, quæ est habitus, est aliquid præter\* species, quia est aliquid acquisitum per cognitionem, quæ cognitio species supponit et ex illis procedit. \*n. 602  
\*n. 611 sq.  
\*n. 533-544
- 617 XXXIII. — Ad id denique quod ponderatur\* ex differentia allata a D. Thoma<sup>2</sup> inter habitum naturalem in intellectu et in potentia appetitiva, *admittimus* illam differentiam, quia ita ponitur a D. Thoma, sed ex ea potius inferimus quod D. Thomas pro certo habet in intellectu esse habitum naturalem, qui in substantia seu entitate sua habitus sit, et consequenter distinctus\* a potentia, cum tamen in voluntate erga bonum proprium talem habitum non\* agnoscat quantum ad inclinationem erga formalem rationem boni, cum tamen determinatus habitus ponatur in intellectu, etiam\* quoad formalem rationem veritatis per se notæ. \*n. 603  
\*n. 545-577  
\*n. 249 sq., 577  
\*n. 563 sq.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : qualitatem quæ.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

- 618 Cæterum, cum infertur\* quod iste habitus in intellectu debet esse innatus et non acquisitus, quia est inchoative a natura, *dicimus* potius ex hoc inferri quod est acquisitus, quia esse inchoative a natura non est quod pars seu aliquid illius sit a natura, et pars per acquisitionem, cum sit indivisibilis, ut bene Cajetanus<sup>1</sup> advertit quæstione illa LI, articulo primo : sed intelligitur quod est inchoative a natura, quia non est ex aliquo priori habitu certiori, ut scientia, sed ex intellectu ut movetur a sensibus, a quibus accipit species intellectus, et hæc est natura producens habitum principiorum, non ex alio habitu, sed ex sensu\*, ut docet S. Thomas<sup>2</sup>, II *Posteriorum*, lect. XX. \*n. 603  
\*n. 626
- 619 Non ergo procedit per naturalem emanationem, cum potius per cognitionem acquiratur. Et quia radicaliter habet natura ex se postulare talem modum naturalem acquisitionis illius habitus, dicitur inchoative esse a natura, id est, *radicaliter proxime* nullo habitu priori adjuvante, sed solum ex sensu : alii autem habitus, qui acquiruntur discursu, sunt solum *radicaliter remote* in natura ; possunt enim ex alio habitu acquiri, non ex sola natura intellectus et sensus\*. \*n. 618

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1, n. 2 (Comment.).

<sup>2</sup> In II *Post.*, lect. 20, n. 11-15.

## ARTICULUS II

DE MODO QUO ACQUIRITUR HABITUS  
PRINCIPIORUM

620 I. — **Difficultas est**, an simplici cognitione terminorum acquiratur iste habitus, vel cognitione iudicativa et secundum compositionem et divisionem.

\* \*

621 Aliqui Cajetano attribuunt quod dixerit acquiri simplici cognitione terminorum, apprehenso enim quid sit totum et quid sit pars, statim\* cognoscitur quod omne totum est majus sua parte, sicut D. Thomas<sup>1</sup> inquit in quæstione LI; articulo primo. Pars autem et totum simplici apprehensione cognoscuntur quid sint; ergo simplex illa cognitio sufficit generare habitum. \*n. 658

622 Cæterum Cajetanus<sup>2</sup> (ut supra\* vidimus) ponit generationem hujus habitus per effluxum ab anima, supposita cognitione terminorum per species ab extra venientes. Qualis autem cognitio ista sit et repræsentatio terminorum, non explicat. \*n. 580

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1, n. 2 (Comment.).

623 Alia sententia per aliud extremum est patris Vazquez<sup>1</sup> supra\* citati, disp. LXXIX, cap. III et IV, quod habitus principiorum scientiæ Naturalis generetur in nobis per inductionem et enumerationem singularium. Pro principiiis autem Mathematicæ et aliis communibus non requirit habitum ab intellectu distinctum (de quo sequenti\* dubio). Unde cum inductio sit consequentia et discursu<sup>2</sup>, videtur consequenter admittere quod generetur per discursum, inductio enim species argumentationis est, et est consequentia ex enumeratione singularium deducta, non ex connexionem extremorum cum medio. \*n. 551 \*n. 659 sqq.

624 II. — Et fundatur\* hæc sententia: *tum* in diversis locis Aristotelis, *tum* in ratione\*. \*n. 646 sq. \*n. 627

625 Aristoteles\* enim V *Ethicorum*<sup>3</sup>, cap. III, docet omnem doctrinam fieri ex antea notis per ratiocinationem aut inductionem\*. Et subdit: « Inductio autem principium<sup>4</sup> est ». Et capite octavo<sup>5</sup>, inquit juvenes esse aptos ad Mathematicas, non ad Philosophiam Naturalem, quia non habent experientiam quæ necessaria est ad principia Philosophiæ, non Mathematicæ. \*n. 624 \*n. 637

626 Et II *Posteriorum*<sup>6</sup>, capite ultimo, docet hunc habitum principiorum generari ex cognitione sensitiva\*, non una, sed multis\*, quia ex multis fit memoria, et ex memoria experientia, \*n. 618 \*n. 638

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 51, a. 1, disp. 79, cap. 3 et 4.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Videtur legendum: *discursus* (n. 635).

<sup>3</sup> Revera: *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 28).

<sup>4</sup> Vivès: principii.

<sup>5</sup> *Ethic.*, VI, cap. 9 (1142 a 18),

<sup>6</sup> *Post. An.*, II, cap. 15 (100 a 5).

denique experientia generatur habitus principiorum. Unde deficiente aliquo sensu deficit scientia, ut docet Aristoteles, I *Metaph.* <sup>1</sup>, cap. I, et I *Posteriorum* <sup>2</sup>, cap. IV, sicut cæcus non potest habere scientiam de coloribus, quia desunt ei principia circa illos.

- 627 III. — Et suffragatur ratio\*, quia principia sunt maxime circa universalia et communia, videmus enim quod principia plures conclusiones particulares sub se comprehendunt quæ ex illis deducuntur, et sic semper traduntur in communi, et quanto universaliora sunt, magis nota sunt, ut illud principium: quodlibet est vel non est: omne totum est majus sua parte, quæ modo universali traduntur, et ita videmus quod principia in demonstrationibus et syllogismis ponuntur pro majori et quasi in communi, quia ipsa universalia et communia sunt. Sed in nobis non potest formari iudicium universale seu propositio universalis, nisi ex enumeratione singularium, quia debet notitia nostri intellectus oriri ex sensu; non potest autem sensus ministrare universale iudicium nisi ex pluribus singularibus ortum; ergo cognitio principiorum requirit et præsupponit inductionem ex enumeratione singularium.

★ ★ ★

- 628 IV. — Nihilominus media via incedendum nobis est, et dicendum quod ad generationem habitus principiorum per se concurrat assensus circa veritatem per se notam. Qui assensus est iudicium, et supponit non\* solam

<sup>1</sup> *Metaph.*, I, cap. 1 (981 a 1).

<sup>2</sup> *Post. An.*, I, cap. 18 (80 a 38). — Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 84, a. 3; In I *Post.*, lect. 30, n. 6.

simplicem apprehensionem terminorum, sed etiam compositionem et divisionem, seu propositionem super quam cadat iudicium.

- 629 Iudicium autem et enumeratio plurium singularium non\* requiritur ad assensum illum et ad generationem habitus principiorum tamquam formalis\* ratio, etiam in principiis scientiæ Physicæ\*, sed inductio potest requiri ut quid prærequisitum\* ad sufficientem notitiam terminorum, et ad concipiendum modo universali propositiones illas principiorum.

\* \*

- 630 V. — Hæc conclusio quantum ad primam\* partem, quod non sufficit simplex apprehensio terminorum sine iudicio, sumitur ex D. Thoma <sup>1</sup>, qui, in quæstione LI, articulo primo, dicit quod « ex natura animæ intellectivæ, convenit homini quod cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte ». Illa autem cognitio partis et cognitio totius est simplex apprehensio, sed\* illa cognitio: omne totum est majus sua parte, est compositio\* et iudicium, ut de se patet.

- 631 Item hoc inde sumitur, quia principia continent veritates per se notas, quæ sunt demonstrationum principia, ut late tradit Philosophus, II *Posteriorum* <sup>2</sup>, capite ultimo: et ibi <sup>3</sup> S. Thomas, lect. XX, et I etiam *Posteriorum* <sup>4</sup>, lect. II, et in VI *Ethicorum* <sup>5</sup>, lect. III, et est de se satis

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

<sup>2</sup> *Post. An.*, II, cap. 15 (99 b 20).

<sup>3</sup> In II *Post.*, lect. 20.

<sup>4</sup> In I *Post.*, lect. 2.

<sup>5</sup> Revera: In VI *Ethic.*, lect. 5, n. 1175-1179 (Pirota).

notum ; sed veritates ex quibus demonstrationes fiunt sunt propositiones per iudicium cognitæ et assertæ, quia in istis solum veritas invenitur, ut tradit D. Thomas, I P., quæst. XVI<sup>1</sup>, articulo II, et quæst. I *De Veritate*<sup>2</sup>, articulo tertio, et alibi<sup>3</sup> sæpe ; ergo prima principia non in sola terminorum apprehensione consistunt, sed iudicio et assensu et compositione\*.

\*n. 565

632 VI. — Rursus habitus principiorum non acquiruntur nisi mediante isto assensu, quia mediante eo actu acquiritur ad quem postea inclinatur ; ergo cum inclinatur ad assensum talium veritatum, per eundem acquiruntur.

633 Nec est possibile per solam simplicem inspectionem terminorum ante cognitam illam veritatem, quæ est principium, generari habitum ad talem veritatem inclinantem : quomodo enim determinari potest intellectus ad talem veritatem nondum cognita illa veritate. Sine determinatione autem intellectus, quomodo potest determinata inclinatio et habitus in eo generari erga eandem veritatem et objectum determinatum. Veritas autem non\* datur nisi in assensu et iudicio intellectus ; ergo actus requisitus ad hujus habitus generationem debet esse actus iudicii seu assensus circa veritatem illam per se notam.

\*n. 631

634 Et sic debet supponere compositionem intellectus, quia iudicium non cadit nisi supra enumerationem, quæ est aliquid compositum.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, I<sup>a</sup>, q. 16, a. 2.

<sup>2</sup> *De Ver.*, q. 1, a. 3.

<sup>3</sup> Cf. *Cont. Gent.*, I, cap. 59 ; In III *De Anim.*, lect. 11 ; In VI *Metaph.*, lect. 4 ; In I *Periherm.*, lect. 3.

\* \*

635 VII. — Quoad **secundam**\* **partem** conclusionis, quod **acquisitio habitus principiorum et assensus ejus, etiam in Physicis, in quibus solum agnoscit Vazquez\*** requiri habitum principiorum superadditum intellectui, non innitatur inductioni tamquam rationi formali, *constat*, quia inductio est consequentia et discursus non necessarius neque efficax, sed fallibilis (ut ostendimus in *Summulis*<sup>1</sup>, quæst. VIII, articulo secundo).

\*n. 629

\*n. 551-2, 623

636 Et est manifestum, quia inductio parat viam ad cognoscendum universale\* ut universale est, siquidem ex enumeratione singularium colligit illud. Non\* potest autem numerare omnia singularia ; ergo non potest ex illa enumeratione sufficienter et plene colligere universale. At vero veritas primorum principiorum est per se nota, et assentitur illi intellectus majori certitudine et evidentia quam conclusioni demonstratæ, et assentitur illi tamquam propositioni universali, ut cum dicit : omne totum est majus sua parte ; quodlibet est vel non est ; ergo oportet quod in assensu talis propositionis universalis sit certior intellectus quam ex inductione præcise certificari possit.

\*n. 637

\*n. 650

637 Quare cum Aristoteles\* prima principia ex inductione generari dicit<sup>2</sup>, non sumit inductionem pro ratione formali\* assensus principiorum, neque per modum consequentiæ et argumenti quo illa principia certificentur nobis, cum primum

\*n. 625

\*n. 629

<sup>1</sup> *Curs. Phil.*, Log., I P., q. 8, a. 2, I (Reiser), p. 198-200.

<sup>2</sup> *Post. An.*, I, cap. 18 (81 b 2).



principium definiatur ab Aristotele, I *Posteriorum*<sup>1</sup>, XX : quod sit propositio medio vacans\*, id est, medio probativo ; \*n. 681 nec enim accipit suam certitudinem per probationem, sed ex terminis ipsis redditur nota. Inductio ergo dicitur ab Aristotele<sup>2</sup> esse id ex quo generatur notitia principiorum quantum ad aliquem modum seu conditionem requisitam, scilicet ut accipiantur modo universali\*, quia in nostro \*n. 636 intellectu universale accipitur ex singularibus prius cognitis per sensum. Unde pro ea parte qua notitia principiorum supponit species acceptas ex sensibus, etiam ut universaliter id sumat, præsупponit plurium\* singularium notitiam in \*n. 645 sensibus acceptam, et ex talibus singularibus posse intellectum formare conceptum et notitiam rei universalis.

638 Hoc totum præsупpositive\* se habet, et antecederet \*n. 645 ad notitiam et assensum principiorum, eo quod veritates principiorum formantur per propositiones universales, et intellectus non potest abstrahere universale ab uno tantum singulari, sed a pluribus\*. Ut ergo universalem propositionem formet, debet præsупponi\* plurium singularium cognitio, \*n. 626, 644 et hoc vocatur inductio seu experimentum plurium ab \*n. 629 Aristotele, I *Posteriorum*<sup>3</sup>, ultimo cap. ; lect. XX<sup>4</sup>, apud D. Thomam, et VI *Ethicorum*<sup>5</sup> supra\* citato, lectione III. \*n. 631 Attamen certitudo ipsius veritatis per se notæ, idest, connexio\* \*n. 639 inter prædicatum et subjectum ita est immediata ut non innitatur inductioni tamquam rationi formali\*, sed per \*n. 629, 637 ipsam terminorum notitiam immediate cognoscitur\*. \*n. 648

<sup>1</sup> Revera, cf. *Post. An.*, I, cap. 2 (72 a 8) ; *Post. An.*, II, cap. 15 (100 b 3).

<sup>2</sup> *Post. An.*, I, cap. 18 (81 b 2).

<sup>3</sup> *Post. An.*, II, cap. 15 (100 b 4).

<sup>4</sup> In II *Post.*, lect. 20, n. 11-15.

<sup>5</sup> *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 28) ; In VI *Ethic.*, lect. 3, n. 1148 (Pirotta).

639 VIII. — Itaque in propositionibus per se notis, *et est modus* quo traduntur propositiones, scilicet universalitas (pertinet universalitas ad quantitatem propositionis), *et est formalis ratio*, scilicet connexio\* inter prædicatum et subjectum. \*n. 638

640 Ipsum quidem *modum\* universalitatis* accipere potest \*n. 649 intellectus ex pluribus singularibus, in quibus videt verificatum illud principium, et sic præcedit\* inductio. \*n. 636, 655

641 Ipsa autem *formalis\* ratio veritatis*, id est, connexio \*n. 649 prædicati et subjecti secundum quam formatur assensus et iudicium, non fundatur in inductione, neque probatur per illam consequentiam, sed per immediatam habitudinem terminorum inter se, licet ad sensum etiam idem demonstretur quasi modo sensibili, et experientia ostendendo, id est, quod ex ipsa habitudine terminorum innotescit.

642 IX. — Sed tamen advertendum est quod ista inductio et enumeratio singularium, in quibus ad sensum videri potest id quod ex terminis notum est, non fit æqualiter in omnibus principiis, sed quædam ita communissima\* sunt \*n. 657 ut eorum singularia passim omnibus occurrant, nec quemquam latere possint, sicut quodlibet est vel non est, omne totum est majus sua parte, et similia, quia ens et non ens, totum et pars, omnibus ita generaliter nota sunt ut a nemine negari possint, passimque plura singularia etiam unico actu occurrant : et hæc principia ita universalissima vocantur *dignitates\**. \*n. 664, 691

643 Alia\* sunt principia in se quidem nota ex connexione \*n. 657 terminorum, sed tamen ipsi termini non ita passim omnibus

sunt noti ut non indigeant aliquo experimento, et talia principia sunt quidem in se nota, sed non quoad nos communiter, sed quoad sapientes, quia termini illi ut innotescant, indigent sapientia et experientia majori, ut quod spiritualia non sint contenta in loco, et definitiones\* multarum rerum, quæ non statim omnibus innotescunt, sed majori indigent experimento, non pro ratione formali sui, sed pro manifestatione terminorum. Et talia principia vocantur **propositiones** seu **suppositiones**\*. De quo videatur D. Thomas, I *Posteriorum*<sup>1</sup>, lect. V.

\*n. 757

\*n. 664, 691

644 X. — **Quomodo autem verificetur** quod unico actu ista principia generentur, cum multorum\* singularium inductio requiratur, *respondetur* quod unico actu generantur ex parte assensus. Posito enim unico assensu circa tales veritates, plene convincitur et determinatur intellectus erga illas, et sic generatur habitus, multo magis quam per unicum actum demonstrationis habitus scientiæ, et tamen ad hanc sufficit unica demonstratio ut generetur habitus, quia plene convincit intellectum; multo ergo magis unus assensus veritatis per se notæ.

\*n. 626, 638

645 Ex parte autem acquisitionis specierum, vel manifestationis terminorum, possunt præcedere plures actus et enumeratio singularium, ut dictum\* est. Sed hoc non pertinet ad formalem rationem principiorum, sed ad præ-requisita et antecedenter, ut dictum\* est.

\*n. 637

\*n. 638

\* \* \*

<sup>1</sup> In I *Post.*, lect. 5, n. 6-7.

646 XI. — Ex his responsum manet ad fundamentum\* contrariæ sententiæ deductum ex auctoritate\*.

\*n. 624

\*n. 625-6

o

647 Ad fundamentum ex ratione\*, *respondetur* verum esse quod principia traduntur in universali et sunt propositiones universales, et universalia in nobis formantur ex plurium singularium enumeratione.

\*n. 627

648 Cæterum hæc enumeratio singularium et inductio non est ratio formalis assentiendi illis principiis (ut ostendimus\*), sed ipsa habitudo et connexio\* prædicati cum subjecto, ita immediata est et per se, ut visis ipsis terminis sine alia probatione ipsa veritas videatur et ipsa convenientia prædicati ad subjectum.

\*n. 629, 635 sq.

\*n. 635 sq.

\*n. 638

649 Unde licet quoad *modum*\* *cognoscendi* et formandi conceptum universalem prærequiratur\* aliquorum singularium notitia aut numeratio, quia universale abstrahitur a multis et est unum in multis, tamen *ratio formalis*\* cognoscendi hanc veritatem est necessaria illa et immediata connexio terminorum, quæ hoc ipso quod apparet et constat esse necessariam, etiam manifestatur esse universalem, quia quod necessarium est, omnibus convenit et semper.

\*n. 640

\*n. 629, 638

\*n. 641

650 Quare quod inductio facere non potest, scilicet omnia singularia percurrere\* et ex illis inferre per necessariam consequentiam universalem, supplet ipsa notitia terminorum, quæ necessariam connexionem invenit inter eos: talis enim necessaria connexio universalitatem firmat.

\*n. 636

651 XII. — **Dices** : Ergo non est inductio necessaria etiam ad ipsam universalitatem propositionis per se notæ, siquidem in uno\* singulari tantum possunt videri illi termini, verbi gratia, quod sit totum et quod sit pars, et necessaria illa habitudo seu connexio quod totum sit majus parte. Qua connexione cognita tamquam necessaria, etiam universalitas propositionis cognoscitur, quia ubi est necessaria connexio, ibi est universalitas ; ergo sine inductione illa cognosci potest, et sic frustra reducit\* Aristoteles<sup>1</sup> istorum principiorum notitiam ad inductionem et numerationem singularium. \*n. 656 \*n. 637

652 XIII. — **Respondetur** quod cognita et perspecta plene et perfecte habitudine et connexione necessaria inter aliquos terminos, non est dubium cognosci universalitatem, quia omne quod convenit necessario, convenit universaliter.

653 Cæterum antequam perveniatur ad hanc cognitionem plenam terminorum et habitudinis quam habent inter se, requiritur\* inductio et enumeratio singularium ad illam universalitatem concipiendam et formandam duplici de causa. \*n. 629, 638, 640

654 *Primo*, ne fallatur sensus, sed firmetur, et species ex illo deductæ melius possint ipsam habitudinem et connexionem repræsentare.

655 *Secundo*, ut ipsa universalitas repræsentetur expressius et formalius quantum ad suam abstractionem a pluribus et excursionem ad ipsa. Hic enim modus universalitatis licet bene fundetur et firmetur per cognitionem connexionis

<sup>1</sup> *Post. An.*, I, cap. 18 (81 b 2).

et habitudinis necessariæ, tamen cum sit relatio et ordo ad plura, non repræsentatur expresse et formaliter nisi visis et expertis aliquibus pluribus, quæ utique singularia sunt. Itaque ad hanc formalem et expressam universalitatis repræsentationem conducit inductio\* et singularium enumerationem. \*n. 640

656 Et similiter ad primum, quia non possunt sufficienter ipsi termini cognosci, et earum habitudo uno\* solo singulari viso. Licet enim in uno singulari appareat totum et pars, esse et non esse, tamen non potest ex uno singulari perfecte confirmari intellectus in ipsa cognitione et collatione totius et partis. Visis autem pluribus singularibus, et quod in omnibus eodem modo concurrunt totum et pars, esse et non esse, format firmam et certam cognitionem de his terminis, eorumque habitudine inter se. \*n. 651

657 Quod quidem in rebus ita communissimis\*, sicut totum et pars, esse et non esse, unico actu quo plura singularia videntur, sufficiens notitia et collatio accipi potest. In aliis\* autem veritatibus per se notis, quæ non constant terminis ita communissimis, major experientia<sup>1</sup> requiritur ut notitia terminorum habeatur. \*n. 642 \*n. 643

\* \*

658 XIV. — Unde etiam patet ad id quod proponebat prima\* sententia, quod viso quid est totum et quid est pars, statim cognoscitur omne totum esse majus parte : viso inquam et cognito, non\* sistendo in cognitione et

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In I *Metaph.*, lect. 1, n. 15 et 22 (Cathala).

apprehensione simplici, sed ordinando et componendo\* illos terminos ad formandum illas propositiones et illud iudicium quod omne totum est majus parte, quod utique sine aliqua collatione\* et comparatione non fit. \*n. 687  
\*n. 706



### DE PLURALITATE HABITUUM PRIMORUM PRINCIPIORUM

659 XV. — **Sed inquire**, an sint plures habitus primorum principiorum, vel sit tantum unus habitus pro omnibus primis principiis.

★ ★ ★

660 Pater Vazquez\* ubi supra† disput. LXXIX<sup>1</sup>, articulo III et IV, distinguit de principiis communissimis, qualia sunt quæ statim atque audiuntur intelliguntur, aut etiam principia Mathematica; et de aliis principiis, quæ cum aliqua difficultate intelliguntur, ut sunt principia scientiæ Naturalis. \*n. 706 sq.  
†n. 551, 623

661 Et dicit quod ad illa principia quæ sunt communissima, vel quæ sunt principia Mathematicæ, non datur habitus, sed sufficit ipsa potentia cum speciebus, eo quod nulla\* datur difficultas ad talem assensum: habitus autem ponuntur\* ad vincendam difficultatem aliquam specialem. \*n. 706  
\*n. 367

662 Imo addit quod si assensus et iudicium in nobis est aliquis actus præter\* compositionem illam et convenientiam \*n. 687, 709

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, disp. 79, a. 3 et 4.

prædicati cum subjecto, nullus requiritur habitus ad talem actum, eo quod posita convenientia prædicati ad subjectum, non potest intellectus retinere assensum, sive demonstrativum, sive probabilem, prout illa convenientia fuerit, neque ad hunc actum datur aliqua difficultas supra illam compositionem et convenientiam prædicati ad subjectum. Tamen in illis principiis communissimis, sicut: omne totum est majus sua parte, quodlibet est vel non est, non solum in iudicio seu assensu ferendo, sed etiam in ipsa compositione facienda, et convenientia prædicati ad subjectum, nulla difficultas est, sed visis illis terminis communissimis, statim apparet convenientia prædicati ad subjectum sine aliqua difficultate, ergo et sine aliquo habitu.

663 At vero in principiis scientiæ Naturalis cognoscendis, datur habitus, quia est aliqua difficultas in illis componendis et formandis et iudicandis. Unde indiget intellectus inductione ad generandum habitum talium principiorum, ut Philosophus docet II *Posteriorum*<sup>1</sup>, capite ultimo, et VI *Ethicorum*<sup>2</sup>, cap. III, et locis supra\* citatis; ergo id vincendum est per aliquem habitum acquisitum superadditum potentiæ. \*n. 635 sq.

\* \*

664 XVI. — Alii\* distinguunt habitum principiorum etiam speculativorum in habitum pro principiis communissimis, quæ vocantur dignitates\*, et habitum principiorum minus communium, et serviunt particularibus\* scientiis, sicut definitiones\*, quæ in qualibet scientia serviunt pro principiis. \*n. 710 sq.  
\*n. 642  
\*n. 696, 706  
\*n. 681

<sup>1</sup> *Post. An.*, II, cap. 15 (100 b 4).

<sup>2</sup> *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 29).

Et vocantur talia principia positiones\*, quia supponuntur, \*n. 643 non probantur scientiis.

665 Et habet fundamentum hoc in Aristotele <sup>1</sup> I *Posteriorum*, lectione V apud D. Thomam <sup>2</sup>, distinguente hoc duplex genus principiorum, scilicet dignitates et positiones.

666 Et cum utrumque horum principiorum petat habitum (ut contra Vazquez probatur), videtur distinguendum esse diversum habitum pro istis principiis : sicut etiam distinguitur scientia valde communis et universalis sicut *Metaphysica* a scientiis magis particularibus. Videtur autem proportionaliter loquendum esse de distinctione habituum principiorum et scientiarum.

\* \*

667 XVII. — Unde etiam potest esse **tertia\* opinio**, tot posse distingui habitus principiorum sicut\* et scientiarum, quia habitus isti ex diversa abstractione et intelligibilitate objectorum distinguendi sunt. \*n. 710 sq. \*n. 690, 696 sq.

668 Nam objecta intellectus secundum diversam\* intelligibilitatem distinguenda sunt in ratione formali objecti. Intelligibilitas autem sumitur ex immaterialitate et diversa segregatione a materia. Ergo etiam in principiis ipsis diversa intelligibilitas et consequenter diversa immaterialitas faciet diversa objecta in esse intelligibili, seu in esse objectivo. \*n. 694

\* \*

<sup>1</sup> *Post. An.*, I cap. 2 (72 a 15).

<sup>2</sup> In I *Post.*, lect. 5, n. 6-7.

669 XVIII. — **Quarta\* opinio** est solum esse unum habitum primorum principiorum, tam pro speculativis principiis quam practicis, et sic non\* dividi habitum primorum principiorum in duas species, quarum una sit <sup>1</sup> intellectus speculabilium principiorum, alia syndæresis, seu principiorum practicorum, sed unus et idem habitus sit pro utrisque. \*n. 711 \*n. 703

670 Ita Gregorius Martinez hic <sup>2</sup> quæstione LVII, articulo secundo, dubio primo, circa secundum argumentum. Et idem sentit magister Bagnez <sup>3</sup>, II tom., in *Prima Parte*, quæst. LXXIX, articulo XII, dubio primo et secundo. Conimbrincenses <sup>4</sup> autem in libro *Ethnicorum*, disp. VII, quæst. VI, articulo primo, ponunt syndæresim, quæ est habitus circa principia practica, quasi virtutem condistinctam ab intellectu principiorum, sapientia et scientia. Illam enim numerant inter virtutes intellectuales practicas, ponuntque sex virtutes intellectuales, cum Philosophus, VI *Ethnicorum* <sup>5</sup>, quinque tantum posuerit.

\* \*

XIX. — Alii denique dividunt intellectum principiorum in duos habitus specie <sup>6</sup> diversos, alterum <sup>7</sup> circa principia speculativa, alterum circa practica, qui dicitur syndæresis : de qua sententia statim\* dicemus quod fundamentum habeat.

\*n. 699-702, 711

\* \* \*

<sup>1</sup> Vivès : sic.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 2.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia, q. 79, a. 12, dub. 1 et 2.

<sup>4</sup> *Ethic.*, disp. 7, q. 6, a. 1. — Cf. Catholic Encyclopedia, a. *Conimbrincenses*, IV, 253.

<sup>5</sup> *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 18).

<sup>6</sup> Vivès : species.

<sup>7</sup> Vivès : alteram.

672 XX. — **DICO PRIMO** : Non solum est ponendus habitus principiorum pro principiis Naturalis scientiæ, sed etiam pro principiis Metaphysicæ et Mathematicæ, aliisque communissimis.

673 Hæc communior est inter theologos, denique videri potest Montesinos<sup>1</sup> hic disput. XXXII, quæst. VI, num. CIV. Et pauci fortassis eam disputant, quia omnes eam supponunt.

674 Sumitur autem *tum* ex Aristotele<sup>2</sup>, *tum* ex D. Thoma<sup>3</sup>, qui perpetuo, ubi tractant de habitu principiorum, illum \*n. 661 ponunt etiam pro communissimis\* principiis.

675 Nam in quæstione LI<sup>4</sup>, articulo primo, ubi agit D. Thomas de generatione habitus principiorum, quomodo non sit totaliter a natura, ponit exemplum in illo principio communissimo : omne totum est majus sua parte. Dicit enim ex natura animæ intellectivæ esse quod cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte.

676 Sed in illo articulo, agit D. Thomas de habitu principiorum, qui distinguitur a potentia intellectiva, quia agit de illo habitu qui inchoative est a natura, et consummative

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1, disp. 32, q. 6, num. 104.

<sup>2</sup> *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 28) ; *Post. An.*, II, cap. 15 (100 b 3).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1 ; In VI *Ethic.*, lect. 5, n. 1179 (Pirota).

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 1.

per acquisitionem ; potentia autem intellectiva non est inchoative a natura, sed totaliter et consummative, cum habeatur per emanationem a natura, sicut propria passio ; ergo secundum D. Thomam, ille habitus quo cognoscitur communissimum principium, scilicet omne totum est majus sua parte, est habitus superadditus potentiæ.

677 XXI. — Et expressius in VI *Ethicorum*<sup>1</sup>, lectione quinta, loquens de intellectu principiorum, dicit : « Accipitur autem hic intellectus non pro ipsa intellectiva potentia, sed pro habitu quodam quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia. Et satis congruit nomen. Hujusmodi enim principia statim cognoscuntur cognitio terminis. Cognito enim quid est totum et quid est pars, statim scitur quod omne totum est majus sua parte ».

678 Ecce illum intellectum quo cognoscitur hoc principium dicit D. Thomas esse habitum, et non ipsam potentiam intellectivam. Ergo contra D. Thomam loquuntur qui\* \*n. 660 sq. dicunt ad cognoscenda ista prima principia non requiri habitum, sed solam potentiam intellectivam.

679 XXII. — **Et fundamentum** hujus\* est : *tum* ex paritate\* cum aliis principiis, *tum* ex ipsa ratione† propria talium principiorum. \*n. 672 \*n. 680 †n. 683

680 *Ex paritate* quidem, quia æqua ratio currit ponendi habitum pro aliis principiis atque pro istis ita com-

<sup>1</sup> In VI *Ethic.*, lect. 5, n. 1179 (Pirota).

munibus, aut si negatur pro istis, etiam pro illis est negandum.

681 Nam neque in principiis communissimis, neque in magis particularibus, fit assensus ex aliquo medio probativo per syllogismum, ut expresse dicit Philosophus, VI *Ethicorum*<sup>1</sup>, capite tertio, lect. III apud D. Thomam<sup>2</sup>; et II *Posteriorum*<sup>3</sup>, capite ultimo, eo quod ista principia vacant\* medio<sup>4</sup>: \*n. 637 si enim medium haberent, daretur aliquid prius et anterius per quod demonstrarentur. Cum autem principia istarum scientiarum sint definitiones\*, quibus manifestatur natura \*n. 750 seu essentia rei, et ex hac manifestatione probatur ei convenire passiones: si talia principia demonstrarentur alio medio, daretur in essentiis rerum aliquid prius ipsa essentia, ratione cujus ei competeret definitio, cum tamen ipsa essentia sit primum quod in qualibet re considerari potest. Definitiones\* ergo non demonstrantur, sed vere omnia prin- \*n. 664 cipia indemonstrabilia sunt, quia medio seu principio alio priori vacant.

682 Restat ergo quod si ista principia manifestantur id fiat inductione\*. Hoc autem etiam in principiis communissimis \*n. 655 fit, quia ista principia modo universali traduntur, et per propositiones universales, ut: omne totum est majus sua parte, quodlibet est vel non est. Omnis autem universalitas per inductionem habetur, quia<sup>5</sup> sicut in quolibet universali

<sup>1</sup> *Ethic.*, VI, cap. 3 (1139 b 28),

<sup>2</sup> In VI *Ethic.*, lect. 3, n. 1148 (Pirotta).

<sup>3</sup> *Post. An.*, II, cap. 15 (100 b 3).

<sup>4</sup> Cf. Aristot., *Post. An.*, I, cap. 2 (72 a 8).

<sup>5</sup> Vivès: quid.

distributo potest descendi, ita et potest ascendi, et universale ex pluribus singularibus accipi. Sed quia in his principiis singularia communissime occurrunt, quia omnibus de se patent, ut quid sit totum et quid sit pars, ideo facillime fit inductio, quod difficilius\* fit in aliis principiis, quæ non \*n. 642-3 constant terminis ita communibus.

683 XXIII. — *Ex propria autem ratione\** id deducitur \*n. 679 (sicut supra\* primo dubio ostendimus), quia principia quan- \*n. 555 sq. tumcumque constant terminis communissimis, requiritur tamen aliquid ex parte intellectus, quo potentia determinetur: *tum* ex parte repræsentationis, scilicet species; *tum* ex parte virtutis et determinationis intellectus, quia veritas illa non\* \*n. 565 sq. elicitur ex illis speciebus per simplicem comprehensionem, sicut Angeli, sed per collationem et comparisonem terminorum. Determinatio autem potentia ex se totaliter in- \*n. 686 differentis\*, quantum est ex vi suæ naturæ, non fit per naturalem resultantiam ex visceribus ipsius naturæ, quia potius de se indifferens est, et determinatio non nascitur ex indifferentia, sed illa determinatio acquiritur cum quadam collatione et comparatione terminorum. Nec\* sufficit sola \*n. 535 sq. et nuda repræsentatio specierum aut earum impressio in potentia, quia determinatio illa potentia indifferentis debet esse ad veritatem determinatam et determinato modo cognoscendam, scilicet ex terminis ipsis inter se collatis\*, et \*n. 568, 706 non per discursum deductis aut sola simplici apprehensione repræsentatis, sed in enuntiatione seu propositione compositis, ut possit assensus super illos cadere\* tamquam circa \*n. 687 veritatem. Ergo oportet quod hæc indifferentia potentia ad talem veritatem enuntiandam, cognoscendam et iudicandam aliquo habitu determinetur et vincatur.

684 *Patet consequentia*, quia ubicumque potentia de se est pure indifferens, sicut est intellectus noster, qui tamquam tabula rasa<sup>1</sup> sine ullis speciebus producitur, oportet quod determinetur per aliquam formam supervenientem: sicut materia, quia est in pura potentia, determinatur per formam. Et sic oportet quod sit vincenda, non quidem difficultas quæ oritur ex aliquo contrario resistente (nec enim est idem difficultas quod resistentia ac repugnantia), sed sufficit quod sit indifferentia carens ex se principio determinante: hoc enim ipso oportet ab alio supervenienti principio determinari. Et sic non est facilis ipsa potentia determinari ex se, quia caret determinativo, licet eo superveniente non resistat.

o

685 XXIV. — **Dices**: Sufficit potentiam determinari objective et repræsentative per species: non tamen probatur debere determinari per habitum, qui se habeat per modum virtutis et luminis\* ultra repræsentationem.

\*n. 534, 555

686 **Contra**, quia non solum potentia est indifferens\* et carens repræsentatione objecti, sed etiam est talis naturæ quod non potest simplici intuitu penetrare in speciebus, et comprehendere totum quod in illis repræsentatur, sicut Angeli\*, sed indiget compositione et collatione specierum et terminorum, ut inde resultet veritas, et possit illi assentiri. Hoc autem fit cum labore et examine et collatione, atque adeo cum aliqua difficultate, licet non tanta quanta ad discursum requiritur. Ergo maxime adjuvabitur et facilitabitur ab habitu.

\*n. 683

\*n. 566

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *De Anima*, III, cap. 4 (430 a 1) — D. Thomas, In III *De Anima*, lect. 9, n. 722 sq. (Pirota); *Sum. Theol.*, I<sup>a</sup>, q. 79, a. 2.

687 XXV. — **Rursus**: Ipse assensus distinctus\* actus est a discursu quo acquiritur, et compositione seu propositione super quam cadit\*, ut diximus in *Summulis*<sup>1</sup>, quæstione V; et in Secundo Tomo<sup>2</sup>, *Prima Parte*, disputatione secunda. Cæterum non indigent isti actus duplici habitu, ita quod ad actum assensus seorsum detur distinctus habitus, sed eodem habitu format quis iudicium et discursum quo infertur seu colligitur, sicut, verbi gratia, demonstratio pertinet ad habitum scientiæ, tam quoad iudicium de conclusione demonstrata, quam quoad discursum per quem acquiritur. Et similiter eodem habitu quo formatur iudicium sine discursu, formatur\* compositio propositionis super quam cadit iudicium. Quare non tollitur quin detur habitus ad actum assensus, etiam si distinguatur ab actu formante propositionem, licet non pro isto solum actu fiat habitus, sed etiam pro ipsa compositione et discursu quo acquiritur.

\*n. 662, 709

\*n. 683

\*n. 630, 658, 708

\* \*

688 XXVI. — **DICO SECUNDO**: Probabilius et conformius menti D. Thomæ videtur non esse multiplicandos habitus primorum principiorum pro veritatibus speculativis, sed unum habitum sufficere pro omnibus illis. Ad veritates autem practicas per se notas probabilius videtur dari distinctum\* habitum a veritatibus speculativis, qui vocatur syndæresis.

\*n. 699 sq.

o

<sup>1</sup> *Curs. Phil.*, Log., I P., q. 5, a. 1, I (Reiser), p. 144-150.

<sup>2</sup> *Curs. Theol.*, In Iam, q. 16-18, disp. 22, a. 3, n. 25-36, II (Solesm.), p. 627-632.



- 689 **Prima pars conclusionis** sumitur ex D. Thoma<sup>1</sup>, I *Part.*, quæstione LXXIX, articulo XII, ubi inquit quod « prima principia speculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui dicitur intellectus principiorum, ut patet in sexto *Ethicorum*<sup>2</sup> ». Idem affirmat quæstione XVI *De Veritate*<sup>3</sup>, articulo primo.
- 690 Certe Aristoteles et D. Thomas agendo de scientiis sæpe illas dividunt\* penes diversas species ex diversis objectis scibilibus desumptas, ut videri potest libro primo *Posteriorum*<sup>4</sup>, lect. XLIV apud D. Thomam<sup>5</sup>. Nusquam vero plures species habituum primorum principiorum assignant, licet diversa principia agnoscant, vel dignitates et positiones\*, excepta syndæresi, quam pro principiis practicis ponunt; ergo signum est non\* dividi habitum primorum principiorum per diversas species in speculativis. \*n. 528 \*n. 664-6 \*n. 667
- 691 Nec assignantur tales species, nec specialibus nominibus appellantur, sicut diversæ scientiæ aut virtutes, quod est signum a nemine agnosci istas differentias specificas. Licet enim quædam principia appellentur dignitates\*, quia communissima et omnibus notissima sunt, quædam positiones\*, quæ pro diversis scientiis ponuntur, tamen habitus erga ista principia nullus diversis nominibus aut differentiis specificis appellat; ergo tales habitus specie non differunt. \*n. 642, 664 \*n. 643, 664

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, I<sup>a</sup>, q. 79, a. 12.

<sup>2</sup> Cf. *Aristot., Ethic.*, VI, cap. 6 (1141 a 7).

<sup>3</sup> *De Ver.*, q. 16, a. 1.

<sup>4</sup> *Post. An.*, I, cap. 28 (87 a 40).

<sup>5</sup> In I *Post.*, lect. 41, n. 10-13.

- 692 **XXVII. — Fundamentum** hujus ex eo sumitur, quia omnia principia sive communia et notissima, sive particularia pro diversis scientiis, conveniunt\* in una ratione formali cognoscendi\*; ergo non possunt diversos specie habitus constituere. \*n. 710 \*n. 694
- 693 *Consequentia est certa*, cum specificatio non sumatur ex objectis materialiter consideratis, sed secundum rationes formales diversas, ut ex Philosophia et Logica suppono.
- 694 *Antecedens probatur*, quia omnia principia vacant<sup>1</sup> medio probativo\*, et sunt propositiones per se notæ. Ratio autem formalis cognoscendi sumitur ex medio seu motivo. Ubi ergo omnes propositiones vacant medio, vacant diverso motivo, et solum conveniunt\* in unica ratione, nempe ut per se ipsa et ex terminis dicantur nota. Et licet tradantur ista principia circa diversa objecta, quæ diversam\* habent immaterialitatem et intelligibilitatem, tamen hoc ipso quod ex terminis et sine alio medio sunt nota, eamdem difficultatem vincendam habent, nec unum alio diversam evidentiam specie distinctam facit, quia per se et ex terminis sunt evidentia et nota, et solum erit differentia materialiter et præsupposite, eo quod termini facilius\* aut difficilius, magis vel minus communiter explicantur. Constat autem quod habitus distinguuntur specie penes diversas rationes formales ordinatas ad vincendas diversas difficultates: sic enim indigent diverso lumine et habitu. \*n. 637 \*n. 692 \*n. 668 \*n. 642-3
- 695 **XXVIII. — Confirmatur hoc amplius**, deducta similitudine ab Angelis, in quibus non distinguitur habitus sive

<sup>1</sup> Cf. *Aristot., Post. An.*, I, cap. 2 (72 a 8).

cognitio qua cognoscunt principia et conclusiones, eo quod utrumque cognoscunt ipsa evidentia terminorum, et comprehensione\* causarum sine discursu, sed simplici lumine; ergo si eodem lumine attinguntur objecta tam diversa sicut conclusiones et principia, quia in comprehensione principiorum attinguntur, similiter eodem lumine plura et diversa principia attinguntur, quia eodem modo omnia manifestantur, scilicet simplici lumine et ex terminorum evidentia. Ubi autem est idem modus illuminandi et manifestandi, idem habitus et lumen est, eademque formalis ratio, quia ipsa formalis ratio in istis habitibus est modus ipse illuminandi et manifestandi.

696 XXIX. — **Nec obstat** quod principia ipsa videntur esse diversæ\* immaterialitatis et intelligibilitas pro<sup>1</sup> diversis scientiis, atque adeo et diversæ rationis formalis, quæ ab immaterialitate et intelligibilitate desumitur. Diversæ autem immaterialitatis<sup>2</sup> et abstractionis sunt principia *Metaphysicæ*, ut quodlibet est vel non est, et definitiones *Physicæ*, ut motus, vel loci, aut vacui, quæ sunt principia\* in *Philosophia*.

697 **Sed respondetur** quod principia ista habent diversam immaterialitatem ad manifestandum conclusiones, non ad manifestandum se, manifestant enim conclusiones mediante connexionem extremorum cum passionibus, quæ diversa est, diverso modo eas illuminat juxta ipsum diversum modum definiendi et intelligendi ipsam essentiam seu quidditatem cum qua connectuntur passionibus.

<sup>1</sup> Vivès : per.

<sup>2</sup> Vivès : materialitatis.

698 At vero ut ipsæ definitiones ipsaque principia manifestentur in se et illuminentur, non indigent alio modo intelligendi vel connectendi extrema quam ipsa simplici notitia terminorum, qua posita etiam cognoscitur connexio ipsa propositionis seu prædicati et subjecti. Unde illa diversa<sup>1</sup> immaterialitas principiorum non præbet diversum modum illuminandi ipsa principia in se, quasi aliter innotescant principia majoris immaterialitatis, aliter minoris, sed omnia explicatis terminis per se ipsa innotescunt. Diversa ergo immaterialitas non facit ibi diversum manifestativum, quod pertinet ad rationem formalem, sed ex parte rei manifestabilis materialiter se tenet.

o

699 XXX. — **Secunda\* vero pars conclusionis**, de distinctione syndæresis seu habitus principiorum practicum a principiis speculationis, sumitur in primis ex D. Thoma, quæst. XVI *De Veritate*<sup>2</sup>, articulo primo, ubi syndæresim vocat habitum naturalem similem habitui principiorum. Si ergo est similis, non ergo est idem, sed diversus est.

700 *Et ratio est*, quia in veritate practica, etiam\* per se nota, est distincta difficultas vincenda in intellectu quam in veritate speculativa per se nota.

701 Practicum\* enim non regulat suam veritatem penes id quod est vel non est in re, sicut speculativum\*, sed penes convenientiam ad finem naturæ rationalis, quia practicum

<sup>1</sup> Vivès : adversa.

<sup>2</sup> *De Ver.*, q. 16, a. 1.

dicit ordinem et directionem ad operandum et regulandum aliam potentiam extra intellectum, scilicet voluntatem, et actus liberos qui ex voluntate derivantur aut participantur etiam in aliis\* potentiis. Unde talis veritas, cum sit directiva et regulativa operationum, distinctam difficultatem habet in intellectu quam veritas speculativa, quæ solum respicit id quod est vel non est, non quod conveniens vel disconveniens est fini. \*n. 339-377

702 Et sic principia practica non sistunt in ipso cognoscere, sicut speculativa, sed respiciunt ipsum operari recte operatione alterius potentiae, præsertim in moralibus, quæ solum habent pro materia dirigibili et mensurabili actiones liberas. Unde se extendunt ista principia practica ad aliam potentiam quam intellectus : intellectus enim speculativus extensione<sup>1</sup> fit practicus. Aliam\* ergo difficultatem vincendam dicunt. \*n. 700

o

703 XXXI. — Qui autem voluerit defendere hunc habitum syndæresis esse eundem et indistinctum\* ab habitu principiorum speculativorum, id declarare poterit ex similitudine ipsius potentiae. \*n. 669

704 Sicut enim potentia est speculativa et practica, ita inclinatio ad utrasque veritates, quando sunt per se notæ\*, eadem est, nec major difficultas est in vincenda una quam alia, eo quod potentia intellectiva de se determinata est ad istas veritates, in tantum quod multi\* putant non indigere intellectum habitu superaddito ad omnes veritates : \*n. 700

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 79, a. 11 ; In III *De Anima*, lect. 15, n. 820-825 (Pirota).

ergo si ponitur habitus ad ista principia per se nota cognoscenda, non est necesse quod multiplicentur isti habitus, sed unus et idem adæquetur potentiae, sitque simul practicus et speculativus, sicut ipsa potentia, quia non sunt distinctæ difficultates, ubi omnia per se et ex terminis sunt nota.

\* \* \*

705 XXXII. — **Fundamenta aliarum sententiarum** ex dictis manet convulsa.

\* \*

706 Nam ad fundamentum patris Vazquez\*, constat non solum in principiis particularium\* scientiarum, sed etiam in principiis communissimis requiri aliquem habitum, quia licet non sit aliqua difficultas ex discursu et probatione orta, est tamen aliqua difficultas penes compositionem et collationem\* terminorum, per quam debet intellectus determinari ad assensum, ad quem se solo aut ex sola repræsentatione specierum simplici non est determinatus, sed indiget repræsentatione collativa et comparativa ut exinde eruatur veritas, et determinetur ad assensum. \*n. 660 sq. \*n. 664, 696 \*n. 658, 683

707 Solum ergo in Angelis, qui veritates cognoscunt simplici comprehensione, et non collatione terminorum facta, non oportet ponere habitum superadditum, sed ipsa potentia sua vi et lumine cum speciebus ita comprehensivis sufficit ad attingendam veritatem, nec indiget alia determinatione per habitum faciendam aut difficultate vincendam. \*n. 567

708 In nobis autem omnis veritas eruitur cum aliquo labore et difficultate ex collatione terminorum, et indiget intellectus

determinari a speciebus non simplici modo repræsentantibus, quia hoc solum non sufficit, nec comprehensione simplici omnem veritatem attingentibus, quia hoc non datur in nobis : sed quadam compositione\* et collatione determinantibus, quod ad specialem habitum seu principium determinativum spectat, quod est habitus. \*n. 687

709 Quare in veritatibus cognoscendis non\* debet separari assensus judicium<sup>1</sup> compositione\* et collatione terminorum, sed verumque pertinet ad veritatem sic cognoscendam quod aliquo principio indigeat determinante et difficultatem vincente, eo quod remota compositione et collatione datur in Angelis cognitio et assensus veritatis, tam pro principiis quam pro conclusionibus sine\* habitu. \*n. 662  
\*n. 687  
\*n. 320, 567

\* \*

710 XXXIII. — Ad fundamentum **secundæ\* et tertiæ† sententiæ**, patet ex dictis\* non debere distingui diversos habitus principiorum, neque ex diversa immaterialitate objectorum, neque ex eo quod veritates constent terminis magis vel minus communibus, quia omnes istæ differentiæ non inducunt diversam rationem formalem manifestandi et innotescendi ipsam veritatem, sed omnes conspirant in eundem modum cognoscendi et manifestandi, scilicet ex ipsa terminorum evidentia et collatione inter se, ut dictum\* est. \*n. 664-6  
†n. 667-8  
\*n. 689-698  
\*n. 692 sq.

\* \*

711 XXXIV. — Ad id quod in **quarta\* opinione** adducitur de distinctione syndæresis ab intellectu principiorum, \*n. 669

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : *judicii a.*

*respondetur* nos\* non distinguere syndæresim a toto genere habitus principiorum, sed sub ipso illam ponere, ita quod intellectus seu habitus principiorum sit quasi species subalterna, quæ dividitur in duas species, scilicet intellectum principiorum speculabilem, et syndæresim, quæ est practicum, sicut scientia est species subalterna, quæ in varias scientiæ species dividitur\*. \*n. 699-704  
\*n. 528, 690

## ARTICULUS III

## QUID DE HABITU SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ?

712 Non sunt nobis modo tractandæ difficultates de divisione et distinctione scientiarum, quomodo et ex quibus principiis earum unitas aut distinctio sumatur, quia de his egimus suo loco, id est, circa libros *Posteriorum* Aristotelis, quæst. XXVII<sup>1</sup>, Logicæ, et in primo tomo, *Prima Parte*, disp. II<sup>2</sup>.

713 Solum oportet ea quæ de sapientia et distinctione ejus a scientia D. Thomas tradit breviter explicare per aliquas quæstiunculas et dubiola.

o

714 Est autem præcipua difficultas in duobus.

715 *Primo\**, quomodo sapientia sit virtus intellectualis condistincta a scientia et aliis virtutibus intellectualibus. \*n. 717 sq.

716 *Secundo\**, cur dicatur sapientia versari circa conclusiones et principia; scientia vero solum circa conclusiones, ut S. Thomas dicit in hac quæstione LVII<sup>3</sup>, art. II ad primum. \*n. 740 sq.

<sup>1</sup> *Curs. Phil.*, Log., II P., q. 27, a. 1, I (Reiser), p. 818 sq.

<sup>2</sup> *Curs. Theol.*, In Iam, q. 1, disp. 2, a. 7, I (Solesm.), p. 374 sq.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 2 ad 1.

QUÆRITUR PRIMO DE IPSA SAPIENTIA QUID SIT,  
ET AN SIT SPECIES CONDISTINCTA A  
SCIENTIA VEL SUB ILLA CONTENTA

717 I. — **RESPONDETUR** sapientiam multipliciter accipi posse.

718 Nam **primo** accipitur pro dono Spiritus Sancti, quod vocatur sapientia, de quo in præsentia non agimus, sed agit D. Thomas, 2-2, quæst. XLV<sup>1</sup>, quia hic solum agimus de sapientia quæ est virtus intellectualis, quam Philosophus agnovit sexto *Ethicorum*<sup>2</sup>: non autem ipse agnovit sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti.

719 **Secundo**, accipitur sapientia pro scientia vel arte perfectissima in suo genere, sicut Apostolus I ad *Corinth.*<sup>3</sup> III se appellat sapientem architectum, dicens: *Ut sapiens architectus fundamentum posui*, quasi in genere illius artis peritissimus. Et sic qui in aliquo genere, sive artis, sive scientiæ, peritissimus habetur, sapiens nuncupatur, quasi summe aut maxime sciens.

720 **Tertio** denique, accipitur sapientia pro summa et prima inter reliquas scientias, seu in omni cognitione humana, et talis est quæ judicat de rebus secundum primas et altissimas causas, ut dicitur I *Metaphysic.*<sup>4</sup>, cap. I, et in VI *Ethicorum*<sup>5</sup>, c. III et VI et VII, ubi Philosophus agit de

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 45.

<sup>2</sup> *Ethic.*, VI, cap. 7 (1141 a 20 sq.).

<sup>3</sup> *I Cor.* 3, 10.

<sup>4</sup> *Metaph.*, I, cap. 2 (982 a 5 sq.).

<sup>5</sup> *Ethic.*, VI, cap. 7 (1141 a 10 sq.).

virtutibus intellectualibus, quarum una est sapientia. Et sic sola Metaphysica inter scientias naturales, et Theologia, quæ agit de Deo ex revelatis per fidem, dicuntur sapientiæ, quia solæ tractant de prima causa, quæ est Deus, et de primis entibus.

o

- 721 II. — **In præsentī** ergo agimus de sapientia in hac **tertia**\* acceptione, scilicet pro illa quæ est simpliciter \*n. 720 **prima** et perfectissima inter omnes scientias et in omni cognitione humana, non quæ\* solum in aliquo genere scibilium \*n. 719 perfectissima aut exactissima cognitio est.
- 722 Ubi obiter est advertendum dici sapientiam perfectissimam inter scientias, præcipue propter perfectionem objecti quod attingit, licet in aliquibus conditionibus possint aliquæ inferiores scientiæ aut cognitiones excedere, sed non simpliciter : sicut aliquæ scientiæ cognoscunt de suo objecto aliqua a priori per causam, quæ realiter et in rigore causa est. In Deo autem non\* ostenditur aliquid a priori per causam, quæ in rigore causa sit, nec passiones entis realiter et in rigore causantur ab ente, quia identificantur cum illo. Similiter aliquæ scientiæ, ut Mathematicæ\*, innituntur \*n. 623, 625 principiis certioribus aut evidentioribus quoad nos, quia magis ad sensum\* reducuntur, Metaphysica autem innititur \*n. 618, 626 principiis universalioribus et certioribus quoad se.
- 723 Sed istæ conditiones\* non excellunt simpliciter, sed \*n. 722 secundum quid, quia ipsa perfectio objecti altior est in Metaphysica, et ipsa ratio formalis abstractior, et certitudo secundum se major. Nec ipsa sapientia dirigitur aut instruitur ab alia in genere veri, cum potius ipsa iudicet

de omnibus, licet usus et exercitium speculationis ejus, quatenus libere et voluntarie fit, regulabilis\* et imperabilis \*n. 829 sit a prudentia. Sed hoc est commune omnibus actibus liberis.

\* \*

- 724 III. — **Quare restat explicare**, an sapientia contineatur sub scientia tamquam species sub genere, an vero sit genus virtutis intellectualis seorsum a scientia.
- 725 Nam si sub scientia continetur tamquam species quædam illius, licet perfectissima, sufficiebat Aristoteli numerare quatuor virtutes intellectuales, duas speculativas, intellectum principiorum et scientiam ; duas practicas, artem et prudentiam : non vero oportebat addi quintam virtutem, scilicet sapientiam, cum hæc sub scientia contineatur, sicut nec aliæ species scientiarum, quæ sub scientia continentur\*, \*n. 528, 690 specialiter hic numerantur.
- 726 Si vero sapientia non continetur sub scientia tamquam species sub genere, neque participabit naturam et definitionem scientiæ, cum tamen ei manifeste conveniat, nam etiam sapientia est habitus demonstrativus procedens ex prioribus, notioribus causisque conclusionum, et ipsi competit « cognoscere causam <sup>1</sup>, ob quam res est, illius causam esse » ; ergo convenit ei definitio scientiæ, atque adeo est species quædam scientiæ.
- 727 IV. — Hanc difficultatem proposuit S. Thomas in hac quæstione LVII <sup>2</sup>, articulo secundo, in primo argumento.

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Post. An.*, I, cap. 2 (71 b 10-12).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 2, obj. 1a.

Et respondet quod in sapientia considerantur duo. *Primum*\* \*n. 729 est, ex principiis deducere\* conclusiones et demonstrative \*n. 773 procedere. *Secundum*\* est, universalitas ejus qua se extendit \*n. 730 ad judicandum de omnibus, etiam de ipsis principiis, quatenus ea defendit et explicat, quatenus talia principia etiam ad altissimas causas reducibilia\* sunt atque ab eis dependent. \*n. 730 Sapientia autem procedit ex primis seu altissimis causis, et sic de omnibus judicat.

728 Unde et Aristoteles, I *Metaphys*<sup>1</sup>, capite secundo, dicit pertinere ad sapientem considerare causam altissimam, per quam certissime de aliis judicet, et secundum quam omnia ordinari oportet. Et D. Thomas, 2-2, quæst. XLV<sup>2</sup>, articulo primo, inquit quod « qui cognoscit causam altissimam, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum potest per regulas divinas omnia judicare et ordinare. Quod iudicium consequitur homo per Spiritum Sanctum, secundum illud I ad *Corinth.* II<sup>3</sup>: *Spiritualis judicat omnia* ».

o

729 V. — Quare si consideretur sapientia *primo*\* modo, sic \*n. 727 est species quædam scientiæ generaliter sumptæ, et convenit illi definitio scientiæ posita a Philosopho, cum sapientia sit habitus demonstrativus ex principiis probans conclusiones.

730 Cæterum *secundo modo* excedit vim et rationem scientiæ, non solum quia perfectissima species illius est, sed propter influentiam quam habet in reliquis scientiis et in

<sup>1</sup> *Metaph.*, I, cap. 2 (982 a 5 sq.).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 45, a. 1.

<sup>3</sup> *I Cor.* 2, 15.

earum principia, judicando et ordinando de omnibus, atque reducendo\* ad altissimas causas. Unde fuit necesse<sup>1</sup> numerare hunc habitum inter cæteros, et condistinguere a scientia et aliis, quia licet sapientia quædam scientia sit et habitus demonstrativus, tamen in ratione virtutis intellectualis perficientis intellectum in ratione veri, specialem habet eminentiam et excellentiam, quatenus habet ordinare et judicare de omnibus, etiam de ipsis principiis, defendendo et explicando ea. Et sic est quasi regula et mensura perficiens reliquas scientias. \*n. 727

731 Et quia hic tractatus est de virtutibus, oportuit seorsum explicare et distinguere hanc virtutem intellectualem, quia specialiter habet perficere intellectum in ratione virtutis intellectualis tamquam regula et mensura cæterarum, utpote judicans et ordinans de illis earumque principiis. Unde non debet considerari ut simplex quædam species scientiæ seu habitus demonstrativi, sicut reliquæ species scientiarum, sed ut specialis virtus perficiens reliquas scientias, et quasi regula earum et iudicativa atque ordinativa earum.

\* \*

732 VI. — Neque ex hoc sequitur\* debere sapientiam \*n. 735 sq. addisci ante alias scientias, quia si judicat de principiis aliarum scientiarum, oportet ut principia sint recte ordinata et firmata quod sint explicata et defensa ab ipsa sapientia. Unde sicut principia antecedunt scientias, quarum principia sunt, ita et defensio atque iudicium de talibus principiis,

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In III *Sent.*, dist. 35, q. 2, a. 3, q. 1.

quod facit sapientia, debet ante tradi, ut remaneant principia sufficienter firmata.

733 Sicut prius debet tradi scientia subalternans quam subalternata\*, quia ista habet evidentiam suorum principiorum ab illa, et ita si perfecte traditur subalternata, debet supponere subalternantem. \*n. 738

734 Et eodem modo Logica\* traditur ante omnes scientias, quia omnibus instrumenta præbet, quibus recte suos forment discursus; ergo a fortiori sapientia debet præcedere, ut recte sua firment principia. \*n. 739

o

735 VII. — **Sed respondetur\*** quod sapientia non iudicat de principiis aliarum scientiarum ostendendo earum veritatem et dando illis evidentiam, cum eam habeant per se et ex terminis, sed earum veritatem defendendo et explicando secundum convenientiam et ordinationem ad primas causas et suprema principia. \*n. 732

736 Quæ continuatio et ordo cum illis exigit perfectissimam cognitionem, utpote rerum altissimarum, et ideo non oportet prius tradi sapientiam quam principia reliquarum scientiarum, sed post reliquas scientias, quia defensio et explicatio talium principiorum cum ordine et continuatione ad suprema principia et primas causas entium non exigitur ad habendam simpliciter evidentiam talium principiorum, sed ad comparandam et conferendam eorum veritatem cum veritate aliorum principiorum quæ superiora sunt, ut ex

tali collatione magis\* constet de veritate illorum principiorum *quoad nos\**, et ut magis possint defendi et explicari. \*n. 748  
\*n. 741, 765

737 Hoc autem valde perfectam exigit cognitionem, cum ipsa suprema principia et primæ causæ debeant exacte ad hoc cognosci, ut inter ipsa et alia principia talis comparatio fieri possit. Non requiritur autem ad alias scientias comparandas ista firmitas in principiis, quæ ex sapientia provenit defendendo et explicando ipsa, quia firmitas ista est *extrinseca\**, pertinens ad defensionem talium principiorum et ad comparisonem eorum cum supremis causis et principiis. Sufficit autem ad acquisitionem aliarum scientiarum evidentia et firmitas principiorum *intrinseca\**, quæ scilicet habetur ex ipsis terminis. \*n. 751  
\*n. 750

738 VIII. — Ad id quod dicitur\* de principiis scientiæ subalternatæ, *respondetur* ista principia habere evidentiam et probationem ex scientia subalternante, quia sunt sicut conclusiones ejus, non autem sunt principia simpliciter, id est, ex terminis nota. Unde simpliciter non habet scientia subalternata statum scientiæ nisi continuetur cum subalternante, eamque supponat. \*n. 733

739 Quod vero dicitur de Logica\*, est longe diversa ratio, quia Logica non tradit aliis scientiis principia, aut ea probat, sed solum tradit instrumenta sciendi, id est, dispositionem convenientem præmissarum et propositionum ad inferendam conclusionem et scientificè procedendum sine errore. Unde necesse est quod præcedat<sup>1</sup> Logica alias scientias, quia

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Quodl.*, IV, q. 12, a. 2 ad 12; Op. LXX *De Trin.*, q. 5, a. 1 ad 3 et 10; In VI *Ethic.*, lect. 7, n. 1211 (Pirota).



oportet quod præcedat notitia instrumentorum et dispositionum sciendi priusquam scientia ipsa tradatur, quia per talem modum et formam debet disponi, ut scientifice possit procedere et sine errore.

★ ★ ★

QUÆRITUR SECUNDO QUOMODO SAPIENTIA  
DICATUR ATTINGERE PRINCIPIA  
ALIARUM SCIENTIARUM

740 I. — Et est difficultas in duobus.

○

741 **Primum\***, *an* sapientia attingat ista principia reddendo <sup>\*n. 764 sq.</sup> illa magis firmata et certa, et magis evidentia in se ; *an vero* solum quoad nos\* : et quid sit reddere evidentia quoad nos. <sup>\*n. 736</sup>

742 Nam si ipsa principia sunt ex terminis nota, quid amplius evidentia redduntur, sive in se, sive quoad nos, ex tali probatione et defensione sapientiæ, cum omnis manifestatio probativa sit inferior\* et minor quam manifestatio ex terminis. Quod si est reductio et comparatio istorum principiorum cum primis causis primisque principiis, totum hoc fit probatione et consequentia, atque adeo minori firmitate\* et evidentia quam ex notitia terminorum habeatur. <sup>\*n. 765</sup> <sup>\*n. 737</sup>

○

743 II. — **Secundum\* est**, quia hoc modo sapientia non <sup>\*n. 767 sq.</sup> solum attinget principia aliarum scientiarum, sed etiam

propria\* reflectendo super illa, eadem enim ratione qua <sup>\*n. 749, 755 sq.</sup> defendit et explicat principia aliarum scientiarum, defendet et propria.

744 Tunc ergo est *difficultas\**, ex quibus principiis procedit <sup>\*n. 770</sup> sapientia ad probanda vel defendenda et explicanda sua principia.

745 Non ex eisdem, sic enim probaret idem per idem, et explicaret idem per idem. Nec possunt eadem veritates esse principia et conclusiones. Illæ ergo veritates quæ sunt principia nunquam attinguntur a sapientia ut conclusiones\*, <sup>\*n. 771</sup> vel si attinguntur, illa non sunt principia.

746 Ex aliis vero principiis non potest sapientia procedere, quia non dantur alia principia altiora quam ea ex quibus sapientia procedit ; nec potest intra suos limites aliqua scientia uti principiis extraneis.

747 Ad quæ ergo principia reducere potest sapientia probationem vel defensionem suorum principiorum.

\* \*

748 III. — **Respondetur\*** ad sapientiam non pertinere <sup>\*n. 740 sq.</sup> probare directe\* veritatem primorum principiorum, sed <sup>\*n. 750</sup> quoniam *quoad nos\** quædam principia sunt notiora aut <sup>\*n. 736</sup> communiora aliis, et constant terminis notioribus et communioribus, pertinet ad sapientiam, si negentur aliqua principia, ita eorum terminos declarare quod reducantur ad terminos magis communes qui a nemine\* negantur, neque <sup>\*n. 752</sup>

ignorantur. Quare bene potest sapientia contra negantes aliqua principia procedere deducendo per consequentiam et probationem ad principia ita communia quod a nemine negentur, sicut ad duas contradictorias.

749 Et in hoc modo probativo et ostensivo etiam de propriis\* principiis judicare potest, et unum reducere ad aliud : \*n. 743 sicut etiam theologia aliquid quod alias est de fide\*, et \*n. 759 consequenter principium ejus, potest ostendere per aliud, non simpliciter per evidentiam probativam, sed theologico \*n. 759 modo, qui fidei non repugnat, eo quod bene potest aliquid esse immediate de fide, aut objectum primum de fide, et tamen discursu *theologico* comprobari : sicut est de fide nos omnes resurrecturos, et tamen id probavit Paulus <sup>2</sup> ex resurrectione Christi ; et de fide immediate est Deum esse intelligentem <sup>3</sup>, aut habere providentiam <sup>4</sup> de omnibus, et tamen id etiam discursu theologico probatur ex summa Dei immaterialitate <sup>5</sup>, et perfecto regimine <sup>6</sup> creaturarum.

750 IV. — Quod ergo ad sapientiam non\* pertineat per se \*n. 748 et directe probare veritates principiorum, manifestum est, quia principia carent <sup>7</sup> medio probativo\* sui *intrinsic*† et \*n. 694 proprio, cum sint definitiones, quæ non habent aliud principium antea ex quo probentur\*, aut veritates per se et \*n. 681 ex terminis notæ ; quæ si probarentur ex aliis principiis,

<sup>1</sup> Cf. Joan. a S. Thomæ, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 1, a. 10, *De Auctoritate Summi Pontificis*, disp. 1, a. 1, n. 25, VII (Vivès), p. 151.

<sup>2</sup> Cf. *I Cor.* 15, 12 sq.

<sup>3</sup> Cf. *Conc. Vatic.*, sess. III, cap. 1 (Denz. 1782).

<sup>4</sup> Cf. *Conc. Vatic.*, sess. III, cap. 1 (Denz. 1784).

<sup>5</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 14, a. 1.

<sup>6</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 22, a. 1.

<sup>7</sup> Cf. Aristot., *Post. An.*, I, cap. 2 (72 a 8).

ipsæ non essent principia simpliciter, sed conclusiones ex aliis principiis deducibiles.

751 Cum autem in conclusionibus deducendis non sit processus in infinitum, oportet devenire ad aliquas veritates quæ ex aliis prioribus non probentur, sed in se et per se sint evidentes et notæ : si enim etiam per alias probarentur, etiam de illis quærerem quomodo probentur per alias, et sic de aliis, quousque sistamus in veritatibus quæ ex aliis non probantur, sed per se sunt notæ. De istis igitur sapientia non potest tradere probationem directe et se. Solum ergo possunt defendi aut explicari per aliquod medium *extrinsecum*\*.

\*n. 737, 764,  
771

752 V. — Et quidem si negentur, *vel* restant alia principia communiora et universaliora, quæ sunt magis communia et a nemine\* negantur, *vel* non restant alia principia altiora, \*n. 748 sed negantur omnia.

753 *Si hoc secundum*, non\* potest sapientia procedere, quia \*n. 768 contra negantes principia non\* <sup>1</sup> est disputandum, videlicet \*n. 758 si negentur omnia, etiam illa quæ valde communia sunt.

754 *Si primum*\*, potest ostendere quod non possunt negari \*n. 752 illa principia minus communia nisi hæc etiam communissima negentur\*, ut si ostendatur sequi ex negatione eorum dari \*n. 764 duo contradictoria simul vera, contra illud principium : Quodlibet est vel non est. Quod utique facit sapientia per disputationem et discursum, non directe\* ostendendo \*n. 748, 750

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In IV *Metaph.*, lect. 6, n. 608 ; lect. 9, n. 653 ; In XI *Metaph.*, lect. 5, n. 2223 (Cathala).

veritatem illorum principiorum, sed ostendendo sequi inconueniens\*, quod quia est notissimum quoad nos, dicuntur ea principia explicari magis et defendi *quoad nos*\*.

\*n. 757

\*n. 736, 765

◊

755 VI. — **Dices** : Quomodo ergo sapientia potest reflectere super sua principia, cum illa sint communissima et universalissima, et sic non possint ad altiora principia reduci.

756 **Respondetur** quod etiam ipsa sapientia habet plura principia : quorum unum est universalius alio, et constat terminis magis notis *quoad nos*.

757 Sicut in Metaphysica, hoc principium : Quodlibet est vel non est, magis\* universale et notum est quam illud : Angeli carent materia : substantia non potest inhærere : relatio totum suum esse habet ad aliud, et alia similia, quæ continent definitiones\* aut explicationes quidditatum superiorum entium, et potest super ista principia reflectere, et negantes illa deducere ad inconueniens\* dandi duo contradictoria.

\*n. 642-3

\*n. 681, 750

\*n. 754

758 Si vero negetur illud primum principium : Quodlibet est vel non est, non\* potest reduci ad aliud, sed solum ad sensum ostendi quomodo repugnet in terminis.

\*n. 753

759 Similiter in Theologia, ex eo quod Deus sit actus purus et ens summe perfectum (hoc enim nomine Dei intelligimus et supponimus), probat<sup>1</sup> Deum esse intelligentem aut

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 14-24 et q. 10.

volentem aut æternum, et alia attributa, cum tamen hæc etiam attributa sint principia per se nota, seu per se credita\* in fide, et consequenter teneant se ex parte principiorum Theologiæ, quia quæ immediate tradit fides, præsertim in suo objecto primario, quod est Deus, sunt principia pro Theologia. Et tamen probantur discursu *theologico*, et possunt se habere *ut conclusiones* ad ipsum quod respectu fidei est immediate creditum et tamquam principium, quia discursus *theologicus*\* compatitur cum fide, quia non facit evidentiam simpliciter, sed deductam ex principiis creditis prout reperitur in nobis.

\*n. 749

\*n. 749

760 VII. — Nec repugnat id quod se habet ut principium minus universale et notum reduci\* ad id quod universalius est et notius, seu magis commune in ipsa fide, ostendendo unum non posse consistere sine alio.

\*n. 756

761 A priori autem et tamquam ex causa non\* potest ostendere unum attributum ex alio, loquendo de vera et physica causa, quæ in Deo non est, et alias utrumque est immediate de fide et æque primo creditum, licet non æque primo deserviens pro discursu quo Theologia etiam sua principia probat.

\*n. 722

762 Vel si unum probatur ex alio, quasi ex causa non physica, sed logica, id est, ex connexionem unius cum alio, talis demonstratio non erit theologica, quæ procedit ex creditis, aut ex una præmissa credita, sed erit demonstratio metaphysica mutuata<sup>1</sup> a Theologia, quæ demonstrat unum attributum ex alio reducendo ea ad principia desumpta ex ipsa natura deitatis et entis increati.

<sup>1</sup> Cf. Cajetanum, In *Sum. Theol.*, Ia, q. 1, a. 8, n. 7-8 (Comment.).

\* \*

- 763 VIII. — Ex his patet ad rationes\* dubitandi positas in principio hujus dubii. \*n. 740 sq.
- 764 Ad primam\*, dicimus evidentiam illam et ostensionem principiorum non esse per principia intrinseca\*, sed ex aliquo extrinseco\*, et faciente quoad nos aliquam majorem explanationem seu ostensionem, quatenus reducuntur\* ad principia communiore et minus negata, ostendendo, si illa negantur, debere etiam ista negari. \*n. 741-742  
\*n. 737  
\*n. 751  
\*n. 754, 760
- 765 Et licet omnis probatio demonstrativa sit inferior\* notitia evidenti ex terminis, tamen quando ista negatur ab aliquibus non plene intelligentibus terminos, non est inconueniens quod illis per demonstrationem aliquam manifestetur, nec est inconueniens quod quoad nos\* fiat explicatio et defensio principiorum per aliquem discursum et demonstrationem quoad negantes illa per deductionem ad principia superiora, ostendendo dari duas contradictorias, aut negari debere principium illud universalius, quod a nemine negatur. \*n. 742  
\*n. 736
- 766 Ista demonstratio licet sit inferior ad evidentiam ex terminis, contra negantes tamen principia, vel terminos eorum non intelligentes, est necessaria illa demonstratio, et quoad illos evidentiore (supposito quod negant principia), quatenus ad inconueniens\* ducit, quod negare non possunt. \*n. 754, 757
- 767 IX. — Ad secundam\*, dicitur sapientiam posse etiam reflectere supra sua principia, et de illis judicare defendendo \*n. 743-7

- et explicando, et deducendo ad illud inconueniens quod a nullo negari potest, scilicet non posse duas contradictorias esse veras, sed quodlibet esse aut non esse.
- 768 Hoc autem principium, si negetur\*, non potest ipsa sapientia ulterius defendere aut explicare, quia hoc ita est notum per se quod a nullo habente intellectum et rationem negari potest. \*n. 753
- 769 Reliqua vero principia possunt ad istud reduci et per istud defendi et explicari, et sub eo continentur. Unde de illis etiam potest sapientia judicare et discernere, quamdiu illud primum non negatur, quia ad illud reduci possunt, ut ad summum inconueniens, si negetur.
- 770 Et sic quando inquiritur\* quibus principiis defendat et explicet sapientia sua propria principia, respondetur per illud primum omnium principiorum : quodlibet est vel non est ; si autem istud negetur, nullum aliud restat per quod explicentur, nec istud magis explicari aut defendi potest quam in se pateat. \*n. 744-7
- 771 Nec attingit sapientia principia illa vel aliarum scientiarum ut conclusiones\* per intrinsecum medium probatas et demonstratas, sed solum per extrinsecum\* medium defensas et explicatas, deducendo ad inconueniens\* negandi illud primum principium. \*n. 745  
\*n. 751, 764  
\*n. 754, 766
- 772 Et sic intelligitur quod sapientia est intellectus et scientia, non quia sit formaliter uterque habitus, sed quia
- <sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In VI *Ethic.*, lect. 5, n. 1183 ; lect. 6, n. 1190 (Pirota).

judicat de objectis utriusque habitus, reflectendo super principia, quæ sunt objecta habitus principiorum.

- 773 Nec est putandum quod sapientia non procedat ex principiis, cum procedat discurrendo et demonstrando ; sed ex quibusdam principiis non\* solum procedit ad conclusiones, \*n. 727-730 sed etiam explicat et defendit alia principia deducendo ad inconueniens negandi primum principium.

## ARTICULUS IV

### DE DIVISIONE VIRTUTIS INTELLECTUALIS PRACTICÆ IN ARTEM ET PRUDENTIAM

- 774 Pars intellectus practica duplici virtute perficitur, scilicet arte et prudentia, eo quod duplex est materia dirigibilis ab intellectu practico, scilicet factibile et agibile.
- 775 Dicitur *factibile* illud quod consistit in aliquo opere seu effectu, quatenus in se perfectum aut bonum est, et sic factibile proprie invenitur in actione transeunte et producente aliquid ad extra, quamvis etiam extendatur ad ea quæ immanenter fiunt in intellectu, et possunt etiam ab arte liberali\* dirigi ; *agibile* autem est id quod consistit \*n. 806 in usu libero quatenus liber.
- 776 Unde rectificare et regulare hunc usum liberum pertinet ad unam virtutem, quæ est prudentia ; rectificare autem et regulare opus factibile, non\* quoad liberum usum efficiendi ipsum, sed quoad ipsum opus et effectum in se, pertinet ad artem.

★ ★ ★

### QUÆRITUR PRIMO, QUOMODO ISTI HABITUS SINT VIRTUTES INTELLECTUALES

- 777 I. — **Ratio dubitandi** est, quia de ratione virtutis intellectualis est versari circa veritatem infallibilem\*, si \*n. 518

enim sit defectibilis, poterit reddi falsus intellectus ; falsitas autem est defectus ejus, sicut malitia est defectus voluntatis. Unde sicut non potest dari virtus in voluntate circa malum, ita nec in intellectu circa falsum. At prudentia et ars versantur circa contingentia, non circa veritates infallibiles ; ergo non sunt virtutes intellectuales.

o

778 II. — Circa hoc **communis solutio** esse solet quod istæ virtutes non versantur circa veritatem necessariam et infallibilem *speculative\**, et prout mensuratur per ipsum esse vel non esse rei, sed circa veritatem infallibilem *practice\**, id est, secundum conformitatem ad ipsas regulas quibus res practica<sup>1</sup> dirigitur. Proprie enim intellectus practicus est mensurativus operis faciendi et regulativus. Et sic ejus veritas non\* est penes esse, sed penes id quod deberet esse juxta regulam et mensuram talis rei regulandæ. \*n. 701 \*n. 782 sq. \*n. 784

779 *Alia* est autem mensura actionis liberæ ut libera, *alia* rei ut artificiosæ et factibilis.

780 *Actus ut liber* mensuratur lege et dictamine recto, et sic dicitur ejus veritas sumi per conformitatem ad appetitum rectum<sup>2</sup>, hoc est, per conformitatem ad regulam\* per quam appetitus redditur rectus\*, quæ regula est lex et rectus finis cui conformari debet appetitus, eo quod finis in practicis se habet<sup>3</sup> ut principium in speculativis. \*n. 795 \*n. 783

<sup>1</sup> Vivès : practicata.

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, VI, cap. 2 (1139 a 30). — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 5 ad 3 ; q. 64, a. 3.

<sup>3</sup> Cf. Aristot., *Physic.*, II, cap. 9 (200 a 22).

781 *Effectus autem artificiosus* mensuratur et regulatur regulis artis, et per ordinem ad illas sumitur ejus veritas. Regulæ autem artis sunt præcepta, quæ traduntur de aliquo artefacto faciendo conformiter ad finem artis, sicut illæ regulæ recte disponunt de fabricanda navi vel domo, quæ conformiter ad finem navis, qui est navigare, vel ad finem domus, qui est habitare, traduntur.

\* \*

782 III. — Ex hoc autem **nascitur difficultas\***, quid sit ista veritas practica ; et quomodo\* illa sit infallibilis. \*n. 787 sq. \*n. 786

783 Nam si veritas practica\* sumitur non ex eo quod in re est vel non est certum, sed ex eo quod est conforme vel non conforme appetitui recto vel regulis rationis, *committimus circulum\**, siquidem ideo actus prudentiæ, verbi gratia, qui est actus practicus, est rectus, quia conformatur regulis rationis, quæ sunt regulæ prudentiæ, siquidem appetitus ideo est rectus\*, quia conformatur regulis prudentiæ et rectitudini rationis. \*n. 778 \*n. 792 \*n. 780

784 IV. — Et deinde\*, quia in ipsa prudentia non solum datur actus imperii qui subsequitur electionem, et dependet ab ejus rectitudine ut rectum sit, sed etiam\* datur actus judicii et consilii qui præcedunt electionem ; ergo talis et talis actus habent suam veritatem practicam, non ex conformitate ad appetitum rectum, aut ab ejus rectitudine, sed ante eam ; ergo ex conformitate ad rem in se\* sumitur veritas talium actuum. \*n. 798 \*n. 470 \*n. 778

- 785 Quod etiam suo modo currit in arte, quæ, ut dicit Aristoteles sexto *Ethicorum*<sup>1</sup>, capite quarto, etiam versatur circa generationem, inventionem, contemplationemve. Et generatio pertinet ad executionem; inventio et contemplatio ab iudicium et consilium.
- 786 Restat ergo explicare quomodo\* ista veritas sit infallibilis, præsertim cum versentur isti actus circa singularia contingentia\*, quæ infallibilitatem† non habent. Regulæ§ autem talium actuum non videntur fundari in aliquo infallibili, sed mutabili\*, cum toties juxta temporum et locorum aliarumque circumstantiarum veritatem et diversitatem finis necesse sit mutare dictamen, quod in prudentia regitur arbitrio, et in arte ducitur artificio secundum exigentiam istarum rerum.
- 
- 787 V. — **Respondetur\*** ergo sine dubio esse certum quod in istis virtutibus practicis infallibilitas earum practice, non speculative, sumenda est, et ita veritas earum non\* est regulanda per id quod est vel non est in re. Revera enim hoc est contingens et potens aliter\* se habere et deficere, sed infallibilitas sumitur in ordine et conformitate ad regulam.
- 788 Quare licet in his virtutibus materia non\* sit necessaria, sed contingens, et ita *ex parte materiæ\** non sint istæ virtutes infallibiles, tamen *ex parte formæ* seu regulæ possunt esse certæ et infallibiles in regulando, non in essendo, nec in ipso eventu rei: hic enim sæpius potest deficere, quamvis ipsa regulatio et directio firma sit et recta in suo genere.

<sup>1</sup> *Ethic.*, VI, cap. 4 (1140 a 11).

- 789 Verbi gratia, in voluntariis, seu quæ per voluntatem agenda sunt et in finem perducenda, si consideretur ipse eventus et ipsa perventio ad finem, est aliquid contingens et fallibile: imo quia ita fallibile, indiget directione et gubernatione. Hæc autem directio utitur regula certa et recta, non quæ sit certa in assicurando eventu, sed in assicurando modum procedendi, quia est certum et infallibile quod qui in rebus ita contingentibus utitur consilio et facit diligentiam quam potest, bono modo\* procedit.
- 790 VI. — Similiter in arte, bene stat quod aliquando ipsum artefactum non bene fiat, vel ex indispositione materiæ, vel ex imperfectione agentis aut instrumenti operantis, tamen regulatio et mensuratio ipsa artis est certum et infallibile quod est conformis<sup>1</sup> ideæ et fini artis, et ad illum determinate dirigit ex se et formaliter, licet ab extrinseco et non ex vi ipsius regulæ sit defectibilis.
- 791 Regulatio ergo hoc ipso quod est recta est certa, quia est determinata, id est, secundum determinatas regulas vel determinatam conformitatem ad mensuram et principium regulativum; et hoc est formaliter esse infallibile, id est, *regulative\**, licet ex parte materiæ seu *materialiter* sit contingens et fallibile. Nec enim hæc veritas regulatur penes esse vel non esse rei in se et a parte rei, sed penes conformitatem ad regulam vel difformitatem.
- 792 VII. — **Cum ergo dicitur\*** quod si sumitur veritas practica in agibilibus et moralibus per conformitatem ad

<sup>1</sup> Vivès: conformes.

appetitum rectum, *committimus circulum*<sup>1</sup>, cum rursus appetitus rectus sumatur ex regula.

793 *Respondetur* quod conformitas ad appetitum rectum in prudentia non intelligitur per ordinem ad appetitum rectum qui *consequitur* ad prudentiam et est effectus\* ejus, sed per ordinem ad appetitum rectum qui *antecedit* prudentiam et est principium\* ejus. \*n. 796  
\*n. 795

794 Nam prudentia supponit\* rectam intentionem finis, et ex fine\* tamquam ex principio consilium et iudicium sumit de mediis et dirigit ipsam electionem et executionem : et intentio rectificata finis se habet ut principium<sup>2</sup> prudentiæ, electio autem recta et præstitutio medii quod eligi debet est effectus\* prudentiæ, ut sæpe docet D. Thomas, et videri potest in hac *Prima Secundæ*, quæst. LVIII, art. I, et in *Secunda Secundæ*, quæst. XLVII, articulo tertio. \*n. 468  
\*n. 1739-1740  
\*n. 1745 sq.

795 Cum ergo dicitur quod veritas prudentiæ sumitur per conformitatem ad rectum appetitum, *intelligitur* ad rectum appetitum secundum rectam intentionem finis a qua principium\* sumit prudentia, quia in ordine ad rectum finem regulat\* prudentia quod recte disponendum est. \*n. 793  
\*n. 780

796 Cum vero dicitur quod appetitus rectus sumitur a prudentia, *intelligitur* de appetitu recto\* rectitudine electionis et mediorum. \*n. 793

<sup>1</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 21, disp. 11, a. 2, n. 22 et 33, VI (Vivès), p. 21 et 25.

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, X, cap. 8 (1178 a 17).

797 Et sic non committitur circulus, quia non est ab eodem ad idem, sed ad diversum. Illa autem recta intentio finis non regulatur per prudentiam, quæ solum est de mediis, sed ab altiori regula, nempe a syndæresi, quæ continet prima principia practica.

798 VIII. — Unde patet ad secundum\*, *falemur* enim quod prudentia antecederet ad electionem habet consilium et iudicium, quorum veritas non sumitur ab ipsa re secundum se, sed a conformitate erga appetitum rectum, id est, erga rectam intentionem\* finis, in ordine ad quem et per proportionem ad illum iudicatur de convenientia et proportione mediorum, et juxta præceptum seu legem superioris dirigentis ad talem finem. Iudicium ergo et consilium tractant de mediis eligendis, et habent illa eorumque electionem pro objecto de quo agunt. \*n. 784  
\*n. 794

799 Sed tamen veritas practica istorum mediorum et electionis faciendæ non sumitur ex ipso esse vel non esse mediorum, quia hoc iudicium non est de natura et quidditate aut existentia mediorum, id enim ad speculationem pertinet, sed est de convenientia ipsius erga finem rectum intentum et præsuppositum\* ante electionem, et de conformitate illius erga legem\* præcipientem aut ordinantem de eo quod tali fini seu in ordine ad illum convenit secundum rationem. \*n. 794  
\*n. 780

800 IX. — *Ad id vero quod dicitur\** materiam horum actuum practicum versari circa objecta contingentia, *respondetur* versari quidem circa contingentia ex parte materiæ\*, non ex parte regulationis, quæ pertinet ad rationem formalem : hæc enim semper respicit aliquid certum\* \*n. 786  
\*n. 788  
\*n. 791



et infallibile *practice*\*, quia etsi deficere possit et falsificari \*n. 778 in re, tamen modo operandi prudentialiter aut artificiose non fallitur, prudenter enim proceditur humano modo\*, etsi \*n. 789 aliquando erretur in re.

801 *Et cum dicitur*\* quod etiam ipsæ regulæ mutari solent \*n. 786 secundum diversas concurrentias et occasiones, *respondetur* quod hæc ipsa mutatio, si prudenter fit, ab ipsis regulis prudentiæ præcipitur et ordinatur, et sic *materialiter* mutatio est, sed *formaliter*\* et regulative immobile est, quia rectum \*n. 788 et conforme regulis est.

\* \* \*

QUÆRITUR SECUNDO, QUÆ SIT DIFFERENTIA  
POTISSIMUM<sup>1</sup> INTER ARTEM ET PRUDEN-  
TIAM, QUÆ SUNT VIRTUTES PRACTICÆ

802 I. — **RESPONDETUR** differre ex parte materiæ, ex parte formæ, et ex parte modi.

\* \*

803 Cum enim uterque habitus seu virtus conveniant in hoc quod sint habitus operativi seu directivi operationum, differunt **ex parte materiæ**, quia materia prudentiæ est aliquid *agibile*\*, id est, actus ipsi voluntarii, ut voluntarii seu liberi sunt; materia autem artis est aliquid *factibile*, id est, opera ipsa seu effectus ut in se ordinabiles et factibiles, eo quod facere et agere in hoc differunt quod *facere* proprie dicitur de actione transeunte ad extra, *agere* autem de

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: potissima.

actione immanenti, et ipsi homini propria ut per se agenti et operanti, quod liberæ actionis est.

\* \*

804 II. — **Ex parte formæ** differunt, quia *forma prudentiæ*, quam in actibus introducit, est regulatio moralis in ordine ad debitum finem: quæ regulatio non introducit in actibus moralibus operando, seu imprimendo aliquid in ipsis sicut in materia; sed ex dictamine et propositione prudentiæ eliciendo ipsos cum respectu et tendentia ad objectum sic regulatum et dispositum regulis prudentialibus, quia regulationes istæ primo\* tangunt objectum, et ab \*n. 806 objecto hauriuntur in actu. Actus autem non haurit aliquid ab objecto, nisi mediante respectu et tendentia.

◊

805 At vero *forma artis* est regulatio et conformitas ad ideam artificis, quæ regulatio in rebus factibilibus et externis imprimitur et introducit per aliquam qualitatem, quæ materiam ipsam disponit et componit ad configurandum suæ ideæ, sicut est aliqua figura vel situs, aut ordo corporum, ut in domo ædificata, in navi, in veste, etc.

806 Si vero sit ars liberalis\*, quæ actus hominis disponit \*n. 775, 845 et regulat in ordine ad aliqua objecta, sicut Logica disponit syllogismos, et Musica sonos, et Arithmetica numeros, etc., tunc forma artis etiam prius\* tangit objecta quæ disponit \*n. 804 et regulat, et circa illa sic disposita et proposita actus eliciti versantur per tendentiam et respectum in objectum sic regulatum et dispositum.

807 Sed tamen ista regulatio artis in actibus differt a regulatione morali, quia *moralis* est secundum legem impositam actibus liberis, et juxta rationis dispositionem ad recte agendum, *artificiosa* vero est dispositio objecti omnino independens a rectitudine et intentione voluntatis, aut a lege recte vivendi, sed solum rem ipsam intelligendam aut cognoscendam, vel operandam in se rectificans juxta finem artis, non ut rectificetur arbitrium operantis.

\* \*

808 III. — **Ex parte autem modi operandi** differunt isti duo habitus practici.

◊

809 *Tum* ex parte intellectus, quia ars procedit per certas et determinatas vias seu regulas, prudentia autem per arbitrarias et juxta occurrenceam negotiorum et occasionum et circumstantiarum: unde magis respicit individuationem actionum prudentia, et ipsum hic et nunc, quam ars; quæ licet individuas actiones et effectus eliciat, tamen ejus judicii rectitudo non ex circumstantiis et occurrentiis desumitur, sicut prudentia.

◊

810 *Tum* ex parte consilii, quia ad artem non<sup>1</sup> requiritur per se loquendo consilium\* sicut ad prudentiam, eo quod \*n. 819 in arte sint determinatæ viæ et modi operandi, non in prudentia, quæ arbitrario modo procedit, et sic indiget consilio ut firmitatem prudentia habeat.

<sup>1</sup> Vivès mendose omittit: *non*.

811 Firmitas autem artis non ex consilio desumitur, nec ab eo quod occurrit hic et nunc, sed ex determinatis regulis quibus utitur, nisi forte per accidens ob contingentiam materiæ, ut in arte navigatoria et medica ubi adhibetur consilium, et in militari, quamvis hæc non sit ars, sed prudentia gubernativa, in quo etiam aliquo modo conveniunt navigatoria et medica et agricultura, quæ plurimum participant de regimine et gubernatione seu prudentia, ob materiæ contingentiam et lubricitatem.

◊

812 IV. — *Tum denique* differunt in modo ex parte appetitivæ potentiæ et executivæ, quia ad debitum\* modum artis \*n. 531 non\* requiritur quod procedat artifex cum recta intentione, \*n. 829 aut eligens operari propter ipsam honestatem, aut non invitatus, aut firmiter et ex habitu, sed solum requiritur quod sciens seu intelligens operetur, ut docet Philosophus, II *Ethicorum*<sup>1</sup>, cap. IV, et ibi D. Thomas<sup>2</sup>, lect. IV.

813 Ad prudentiam autem sicut et ad virtuosum actum requiruntur illæ conditiones, vel simpliciter, vel ut perfecte fiant secundum habitum virtutis. Unde artifex si peccat ex ignorantia artis vituperatur, non autem si volens peccat, dummodo non ex ignorantia. At vero prudens magis vituperatur si volens peccat, quia ex majori malitia, et consequenter ex turpiori et pejori directione.

\* \* \*

<sup>1</sup> *Ethic.*, II, cap. 3 (1105 a 20).

<sup>2</sup> In II *Ethic.*, lect. 4, n. 280-284 (Pirota).

QUÆRITUR TERTIO, QUOMODO ARS ET PRUDENTIA INFLUANT IN SUOS EFFECTUS ET ACTIONES : AN SOLUM MORALITER, AN ETIAM PHYSICE ; ET QUID SIT ILLE MODUS OPERANDI ARTIFICIOSE ET PRUDENTER

814 I. — **RESPONDETUR** hoc multum dependere ex illa quæstione, *an* intellectus et potentiæ directivæ operentur in alias quas dirigunt per solam sympathiam\* et conjunctionem potentiarum in eadem anima ; *an* per impressionem aliquam in illas qua moventur a superiori potentia dirigente. — De qua difficultate egimus in libris *De Anima*<sup>1</sup>, quæstione XII.

\* \*

815 Et difficultas hæc procedit de influentiâ prudentiæ et artis in actus vel effectus externos, qui transeunte actione fiunt per exteriora membra et facultatem motivam, aut alias potentias sensitivas.

816 Nam de actu ipso immanente, quem prudentia et ars eliciunt intra intellectum, non est dubium quod ab ipso habitu artis et prudentiæ possunt procedere, sicut alii actus immanentes a suis habitibus : in hoc enim nulla est differentia inter habitus speculativos et practicos, cum omnes sint dispositiones potentiarum ad operandum\*, unde omnes influunt eodem modo in operationem.

817 Sed difficultas est de actibus vel effectibus quos dirigunt aut disponunt prudentia et ars in aliis potentiis, ut prudentia,

<sup>1</sup> *Curs. Phil.*, Phil. Nat., IV P., q. 12, a. 6, III (Reiser), p. 408 sq.

cum dirigit actus voluntatis vel passiones appetitus ; ars, cum dirigit manum ad incidendum vel movendum artificioso modo, et cum ipsum effectum artificiosum producit in aliqua materia.

o

818 II. — Cum autem directio ista non possit fieri a prudentia vel arte nisi mediantibus actibus intellectus quos elicit, invenimus in prudentia tres\* actus, scilicet iudicium, consilium, præceptum.

819 In arte vero consilium per se non\* est requisitum nisi ob aliquam contingentiam materiæ.

820 Requiritur vero præceptum et iudicium, eo quod artifex debet disponere de artefacto faciendo juxta ideas ipsius et rectum exemplar, et secundum ordinem ad finem, quod sine iudicio fieri non potest : debet enim eligere convenientem materiam, et applicare se ad ordinandum et introducendum formam artis juxta tales regulas, atque adeo iudicare de convenientia talis artefacti et modi faciendi ipsum.

821 Requiritur etiam præceptum seu imperium, quo ordinet efficaciter quid et quomodo res facienda sit ab arte, hæc enim ordinatio per præceptum fieri debet cum efficaciter intimet et ordinet quid sit operandum.

822 Circa hos actus de consilio et de iudicio præcise loquendo satis constat non posse physice influere, sed moraliter, quia

non operantur nisi per proportionem<sup>1</sup> et apprehensionem objecti, quæ influere non potest physice, sed moraliter : nec enim ex ipso iudicio aut consilio præcise movetur aliquis efficaciter et ex præsuppositione et impulsu voluntatis, sed ex sola apprehensione et dictamine seu propositione intellectus. Sola autem objecti propositio et cognitio seu iudicium non influit nisi eo modo quo objectum ipsum propositum, scilicet dirigendo aut alliciendo, quod totum nihil ponit in alia potentia, nec movet imprimendo et impellendo physice, sed manifestando et iudicando, quod est moralis influentia.

⊙

823 III. — De actu autem præcepti, quo efficaciter et ex præsupposito\* impulsu voluntatis operatur intellectus practicus, sive per prudentiam in agibilibus seu actibus immanentibus ad intra, sive per artem in factibilibus ad extra, alia est ratio, quia ibi non intervenit nuda objecti propositio, sed etiam\* efficax applicatio voluntatis, quæ habet vim movendi et imprimendi in reliquis potentias sibi subjectas et per rationem dirigibiles. \*n. 827 \*n. 497

824 Et ideo est *specialis difficultas*, quomodo virtutes istæ quæ imperant aliis moveant illas : *an* per solam sympathiam\*, quatenus una potentia ex colligatione\* et conjunctione quam habet cum alia in eadem anima habet ad motum alterius moveri et operari ; *an vero* per impressionem seu immutationem aliquam, qua una potentia imprimat in aliam, vel una virtus in aliam, quia omnis virtus vel potentia superior est motiva alterius inferioris, et consequenter ex ipsa su-

terioritate et ordinatione ad alteram potest etiam illi communicare motionem suam, quod utique non fit nisi per aliquam diffusionem virtutis, aut impressionem seu mutationem factam in alia potentia.

825 Quod non est contra rationem actus immanentis, quia actus immanens virtualiter et eminenter potest esse transiens, quatenus etiam potentia immanens est de se directiva et superior et motiva alterius, nec potest aliter motiva esse proprie loquendo nisi possit etiam imprimere et immutare aliquid in illa.

826 Sola enim colligatio\* potentiarum in eadem anima non constituit unam potentiam superiorem alteri et motivam illius, ex hac enim colligatione solum habetur quod una potentia operante alia operatur, quod non magis constituit superioritatem et motionem hujus in illam quam e converso. \*n. 814

\* \*

827 IV. — **Nos ergo**, cum in libris *De Anima*<sup>1</sup>, quæstione XII, ex sententia D. Thomæ<sup>2</sup> rejecerimus hunc modum movendi per solam sympathiam et adstruxerimus modum movendi unius potentiæ in aliam, vel unius virtutis in aliam, per impressionem et immutationem : hoc **etiam admittimus in præsentibus quod ars et prudentia possunt par actum imperii movere alias potentias vel facultates aut virtutes per physicam et realem impressionem** usque ad ipsam facultatem motivam membrorum, quæ ab appetitu sensitivo moventur, et in omnes istas potentias

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan sit legendum : *propositionem*.

<sup>1</sup> *Curs. Phil.*, Phil. Nat., IV P., q. 12, a. 6, III (Reiser), p. 408 sq.

<sup>2</sup> *De Ver.*, q. 22, a. 13 et *Sum. Theol.*, I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>, q. 12, a. 1.

derivari potest et redundare impressio realis ab intellectu ex præsuppositione\* voluntatis, qua omnes illæ potentia\* n. 823 diriguntur et immutantur in ordine ad effectum artis, et tandem ipsa facultas motiva, quæ est in membris, actuata et affecta ista impressione imperativa intellectus practici, producit motum modo quodam speciali artificioso, per quem inducitur effectus artificialis in materia, puta talis figura, talis situs aut ordinatio corporum vel motuum inter se

828 Quam doctrinam quia ibi\* late tradidimus, et ex D. Thoma ostendimus\*, non oportet hic repetere. \*n. 827  
\*n. 827

o

829 V. — **Solum dubitatis\*** quomodo ars utatur imperio deducto a voluntate ut physice moveat. Nam habitus isti artis sunt in intellectu, et unus habet superioritatem in alium independentem a voluntate, sicut ars navigatoria imperat fabrili, et equestris frænofactivæ sine ordine ad voluntatem. Nec enim ars in eo laudem\* habet quod secundum voluntatem rectificetur artifex et operetur, sed solum secundum intellectum et regulas ejus. Ergo actus imperandi et ordinandi in arte, in quantum artis est, non\* dependet a voluntate; quod si utitur illa aut directione ejus, non erit in ratione artis, sed in ratione prudentiæ\*, quatenus exercitium illud liberum est, et sic prudentiæ regulis subjectum, non\* artis: quemadmodum etiam exercitium et usus scientiarum, quia libere fit a prudentia, dirigitur\*, non ipsa scientia. \*n. 531, 812-3  
\*n. 812, 843  
\*n. 834  
\*n. 835  
\*n. 723

830 VI. — **Respondetur\*** omne imperium exerceri per actum liberum, et directionem illius in quantum liber est \*n. 829

et quoad usum et exercitium ejus pertinere\* ad prudentiam, si recte fiat, vel ad imprudentiam, si prave. \*n. 497

831 Verumtamen non repugnat hoc præceptum et liberum exercitium etiam arti deservire posse quantum ad directionem operis artificiosi, et quantum ad ipsum modum artis, qui ab intellectu derivatur ad opera exteriora.

832 Et in hoc stat bene quod una ars fit superior altera eique imperet\*, et totam ipsam coordinationem per diversas potentias faciat usque ad ultimam executionem, quia bene potest aliqua actio exterior procedere cum dependentia a pluribus potentiis tam directivis quam executivis. \*n. 835

833 Ars ergo habet imperium in membra exteriora non immediate, sed mediantibus potentiis et facultatibus quæ ad exteriorem motum concurrunt et requiruntur. Una autem ars imperat alteri, vel una virtus alteri, *quoad exercitium* quidem et usum, semper dependentem a voluntate, unde accipit intellectus vim operandi et imperandi quoad exercitium. *Quoad specificationem\** autem quatenus finis seu objectum unius a quo habet speciem subordinatur alteri superiori fini, et sic ab illo imperatur\* seu dirigitur. \*n. 835-836  
\*n. 829

834 VII. — Quare *fatemur* quod semper exercitium imperii fit mediante actu voluntatis impellente et efficaciam dante in ipso exercitio, et quantum ad hoc, imperium illud pertinet\* ad prudentiam, ab eaque dirigitur. \*n. 829

835 Sed tamen in hoc ipso exercitio imperandi, etiam reducere potest aliqua formalitas ad specificationem\* perti- \*n. 833

nens, secundum quod finis superior determinat inferiorem, vel ea quæ ordinantur ad finem, ut juxta ipsum mensurentur et regulentur, et sic determinatio eorum etiam in ipsa objectiva ratione sui dependenter ab illo fine se habet. Et hoc modo atque sub ista formalitate etiam una ars imperat\* <sup>\*n. 832</sup> alteri vel executioni sui operis, nec\* talis directio et imperium <sup>\*n. 829</sup> solum regulatur secundum prudentiam, sed etiam secundum artem, vel habitum alium superiorem, quia prudentia solum regulat per imperium, et mensurat id quod liberum est in actibus et id quod pertinet ad exercitium prout libere fit.

836 Quod vero pertinet ad finem superiorem\*, vel ad conformationem et adæquationem cum ipso, potest etiam imperari et ordinari per artem, vel alias virtutes respicientes fines. Et hoc dicitur pertinere ad specificationem\*, eo quod objectum <sup>\*n. 835</sup> virtutis seu artis inferioris, quod est specificativum illius, etiam in eo quod specificativum est, commensuratur et adæquatur juxta exigentiam illius finis a quo imperatur, et modum accipit ab ipso atque determinationem, quia coaptatur et habilitatur ad illum. <sup>\*n. 833, 835</sup>

★ ★ ★

QUÆRITUR QUARTO, QUOMODO INTELLIGATUR  
DIVISIO ARTIS IN LIBERALES ET MECHANICAS :  
ET IN QUO PRÆCIPUE DIFFERANT

837 I. — RESPONDETUR communiter poni differentiam inter artes liberales et serviles, quod *liberalis* versatur circa actiones seu circa agibilia ; *servilis* vero circa factibilia, ut tradit Aristoteles, VI *Ethicorum* <sup>1</sup>, cap. III et IV.

<sup>1</sup> *Ethic.*, VI, cap. 4 (1140 a 5 sq.).

o

838 Sed tamen est notandum quod agibile et factibile possunt tripliciter distingui.

839 **Primo**, sumendo ipsum agere pro actione immanente, et facere pro transeunte.

840 **Secundo**, sumendo ipsum agere etiam pro actione transeunte, sed non producente aliquem terminum seu rem operatam permanentem ; facere vero pro actione transeunte producente aliquod operatum permanens. Sicut pulsatio\* <sup>\*n. 846</sup> artificiosa citharæ non producit aliquid permanens, sed solum quemdam impulsus in chordis, quo efficit sonum, et hoc est aliquid transiens ; at vero ars fabrilis producit scamnum, cathedram, vas aliquod, etc., quæ sunt operata et in se existentia.

841 **Tertio modo**, agibile sumitur promiscue pro actione, sive immanenti, sive transeunti, prout libera et morali modo exercita ; factibile vero pro actione producente effectum ad extra, non attendendo ad modum libertatis vel moralitatis, sed ad modum ipsius effectus in se. Modus enim moralitatis respicit bonum reddere ipsum operantem <sup>1</sup>, modus autem artis bonum reddere ipsum opus seu ipsum effectum in se, quidquid sit de ipso operante\*. <sup>\*n. 916</sup>

\* \*

842 II. — Hac distinctione\* præsupposita, dicimus artem <sup>\*n. 838 sq.</sup> liberalem esse rectam rationem agibilium, non qua-

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 a 15).

**tenus moralia sunt aut bonum reddunt operantem, sed quatenus opus ipsum reddunt bonum bonitate operis, sine ordine ad bonitatem operantis, quæ est honestas, neque ad malitiam, quæ est obliquitas.**

843 Et hoc ideo est, quia ars non\* dependet in suis regulis et principiis ex rectitudine voluntatis et recta intentione finis, sed potest fieri perfectum opus artis quantumvis sit prava voluntas. Unde non respicit bonitatem operantis, nec curat de malitia, sed solum bonitatem seu rectitudinem ipsius operis\* in se. \*n. 829  
\*n. 530

844 Unde si datur aliqua ars quæ respiciat agibilia seu actiones potius quam effectus, non\* respicit tales actiones quatenus morales, ex intentione recta procedentes, aut voluntatem ipsam rectificantes, ita quod ipsum voluntarium et liberum actionis rectificabile sit, sed quatenus ipsa actio in se, independentem a ratione aliqua voluntarii et liberi rectificabilis est et dirigibilis in aliqua adæquatione veritatis potius quam bonitatis. Unde talis directio fit per ideam et artem, sicut voluntarium et liberum in actionibus dirigibile est per prudentiam et arbitrium. \*n. 850

845 III. — Ars ergo *liberalis*\* potius respicit directionem actionum quam effectuum permanentiam. Ars vero *mechanica* vel *servilis* potius respicit effectus quam actiones, unde magis laboriosa est quam ingenua\*, quia tractat materias externas et labore formabiles: at vero ars liberalis intra actiones ipsas hominis sistit, nec per se loquendo producit effectus ad extra permanentes, eo quod isti effectus postulant \*n. 806, 850  
\*n. 849

materiam permanentem externam, quæ non nisi labore aliquo et servili opere tractatur et efformatur.

846 Actiones autem humanæ in se ipsis consideratæ non tractant materiam servili aliquo labore aut ministerio formabilem, sed ordinem aliquem aut dispositionem inducunt in agendo et operando, quod magis ad directionem et ingenuitatem pertinet quam ad servilem laborem. Quod si aliquem effectum inducunt, solum per modum transeuntis se habet, sicut in Musica pulsatio\* et sonus; in Rhetorica elegantia locutionis et sermonis politia; in Arithmetica recta numeratio; in Grammatica recta sermonis constructio. \*n. 840



847 IV. — **Nec valet instantia** de arte pictoria, quæ videtur liberalis, et tamen arte disponit materias externas colorum, et mathematica facit horologia aut nautica instrumenta.

848 **Dicimus** enim quod si ars pictoria sumatur ut includit perspectivam a qua dirigitur, pro ea parte erit liberalis ars aut potius scientia. Si sumatur pro ministerio miscendi colores et inducendi illos, sic est servilis, sicut etiam statuaria in faciendis statuis.

849 Et mathematica\* non facit horologia aut instrumenta nautica executive, id enim pertinet ad fabrum, non ad mathematicum, sed solum directive ea disponit, quod pertinet ad ingenuitatem\*. Itaque materiæ ipsæ quæ ab his artibus tractantur discernunt eas. \*n. 847  
\*n. 845

850 Nam *servilis* ars tractat materias laborioso opere formandas, et sic respicit effectus in materia externa permanentes : *liberalis* seu ingenua ars respicit ordinationem\* \*n. 845 et rectam dispositionem actionum quæ fiunt ab homine, non\* ut voluntariæ et arbitrables, sed ut ordinabiles in suis particularibus finibus et perfectionibus extra rationem voluntarii. Et sic ordinare ad ingenuitatem et non ad servilitatem pertinet. \*n. 841, 844

\* \*

851 V. — **An vero** liberalis ars possit usque ad ipsas speculationes intellectus extendi dirigendo illas.

852 **Respondetur affirmative**, ut patet in Logica, cujus munus est dirigere ac disponere opera rationis ne errent circa objectum suum ob incongruam dispositionem terminorum seu objectorum. Nec enim aliam formam artificialem hæc ars introducit nisi ex parte objectorum ordinationem rectam ratiocinationis, quæ in ipsis objectis nihil reale ponit, ut ostendimus in Logica<sup>1</sup>, quæstione prima, et ideo formale objectum Logicæ dicitur esse ens rationis, seu secunda intentio.

\* \*

853 VI. — **Difficultas\* vero est**, an ars ista quæ circa speculationes ordinandas versatur sit habitus practicus, an speculativus. \*n. 857 sq.

854 Nam si est practicus\*, non poterit ordinare et dirigere speculationes, siquidem prior est intellectus speculativus quam practicus, et ipsa speculatio præcedit praxim ; spe-

<sup>1</sup> *Curs. Phil., Log., II P., q. 1, a. 3, I (Reiser), p. 261 sq.*

culatio autem quæ præcedit praxim non est quæcumque speculatio, sed etiam illa quæ sine errore formatur et dirigitur, quia a speculatione errante non sequitur praxis recta, sed errans. Præcedere ergo debet practicum intellectum speculatio directæ<sup>1</sup> sine errore ; hoc autem quod est esse rectam habet ab arte Logicæ, quia est ars directiva operum rationis ; ergo talis ars debet antecedere intellectum practicum, et sic pertinere ad speculativum, sicut hoc quod est speculationem esse directam et sine errore antecedit practicum intellectum, et intra limites ipsius speculationis invenitur.

855 Si vero dicitur quod ille habitus et illa ars est speculativa, sequitur quod non omnis ars est habitus et virtus practica, et sic inconvenienter ponitur\* ars pro intellectu practico sicut et prudentia, sed debet etiam ars pertinere ad virtutes speculativas. \*n. 774

856 **Et confirmatur**, quia non datur aliqua prudentia quæ sit speculativa, sed tantum practica ; ergo neque dabitur ars quæ sit speculativa, sed tantum practica.

o

857 VII. — **Respondetur\*** revera habitum seu artem directivam speculationum speculativam esse, non practicam, licet modum\* aliquem practici observet, quatenus regulas tradit directivas ad speculandum, in hoc enim assimilatur practicis virtutibus, quæ regulando ea quæ operanda sunt, de iis agunt. \*n. 853 \*n. 862

858 Sed tamen has regulas directivas speculationum non tradit ars ista, quæ est Logica, formali ratione practica,

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : recta.



sed scientifica et speculativa\*, eo quod per probationem et discursum, et per inquisitionem naturæ et quidditatis eorum, quæ ad speculationem requiruntur, procedit, ut patet in Logica, quæ scientifice et demonstrative circa hoc procedit; practicus autem intellectus non procedit demonstrative et probative: omnis enim demonstratio et probatio est resolutio quædam in principia rei demonstratæ: procedere autem modo resolutivo proprium est speculationis. \*n. 862

859 Ratio autem practica non procedit resolvendo et probando, sed ad operationem ordinando et disponendo quomodo facienda sit, atque adeo procedit modo compositivo, quia operatio et effectus non fit abstrahendo et resolvendo rem in suas causas et principia, sed efficiendo et procedendo a principiis ad effectus, eosque existentiam et partibus et accidentibus suis conjungendo, quod est compositivo, et non resolutivo modo procedere.

860 Sed hæc latius a nobis probata sunt in Logica<sup>1</sup>, quæst. I, et II Tomo<sup>2</sup>, I Pars., disp. I, et ex ipsa ratione dubitandi allata sufficienter etiam probatur.

861 VIII. — Quare solum superest alteri rationi in contrarium allatæ\* satisfacere. \*n. 854

862 Et dicimus artes pertinere ad habitus practicos, nisi modo scientifico et resolutivo procedant, tunc enim essentialiter et formaliter pertinent ad habitus speculativos, et solum habent quemdam modum\* practici, quia regulativi sunt operis faciendi, non\* tamen faciendo et componendo, \*n. 857 \*n. 858

<sup>1</sup> *Curs. Phil., Log., II P., q. 1, a. 2, I (Reiser), p. 259.*

<sup>2</sup> *Curs. Theol., In Iam, q. 15, disp. 21, a. 4, n. 2-3, II (Solesm.), p. 571-2.*

sed resolvendo et speculando. Et ideo connumerantur simpliciter speculativis habitibus, licet modum quemdam practici habeant, ratione cujus etiam in quantum artes aliquo modo pertinent ad intellectum practicum.

863 IX. — Et hinc colligitur non esse diversum habitum in his artibus, id quod est artis seu operativi, et id quod est contemplativi seu theorici: sicut diximus in Logica<sup>1</sup>, quæstione prima, articulo ultimo, quod est idem\* habitus Logicæ docentis et utentis. \*n. 900

864 Cujus ratio est, quia in his artibus liberalibus, non separatur ratio formalis artis seu artificiosi processus a ratione formali scientifica et demonstrativa, nec est diversa difficultas vincenda in discursu talis artis, et in usu seu applicatione. Nam principia quibus dirigitur talis ars in usu suo non sunt alia quam ea quibus scientifice et demonstrative procedit seu speculatur, ut patet cum in Logica procedimus ad faciendum syllogismum in recta figura et ad formandam consequentiam sine defectu: dirigimur enim illis principiis, quibus demonstramus rectitudinem talis figuræ et bonitatem illius consequentiæ, nec alia adhibemus principia ad eas consequentias formandas quam ea quibus earum bonitatem demonstramus, alias præter Logicam, quam demonstrative addiscimus, oporteret aliam artem aliaque principia addiscere ad usum et formationem syllogismorum, quod constat esse falsum.

865 Et hoc ideo est, quia demonstrata et cognita scientiæ bonitate alicujus consequentiæ ejusque regulis quas specu-

<sup>1</sup> *Curs. Phil., Log., II P., q. 1, a. 5, I (Reiser), p. 280-282.*

lative demonstramus, intellectus pro formatione conceptuum et discursuum nullam habet difficultatem, neque indiget arte, quia conceptus illi naturaliter a potentia et speciebus jam dispositis et ordinatis ex vi demonstrationis regularum procedunt, et sic non indigent alia arte. Idem est in Rhetorica, Grammatica, Arithmetica, et cæteris artibus liberalibus, quæ etiam scientiæ sunt.

866 X. — **Quod si inquiras**, cur similiter non datur aliqua prudentia speculativa, sicut datur ars speculativa\*. \*n. 853-862

867 **Respondetur** ex D. Thoma<sup>1</sup>, 2-2, quæstione XLVII, articulo secundo, quod hæc differentia sumenda est ex diversitate materiæ utriusque virtutis.

868 Nam prudentia dirigit agibilia seu voluntaria, quæ in se sunt omnino contingencia, nec habent certas ac determinatas vias quibus procedatur, sed solum id reducitur ad arbitrium bonum seu magis æquitati et rationi consonum, Hoc autem non pertinet ad speculationem, quæ solum est manifestativa et probativa veritatis, non ex arbitrio procedens, quod solum respicit convenientias operantis ad finem, non veritatem ipsam rei in se.

869 At vero ars etiam abstrahit a convenientiis ipsius operantis, et solum respicit rectam dispositionem operis in se, quod pertinet ad veritatem ipsam artefacti, quæ utique consistit et fit per certas ac determinatas vias. Unde per hoc quod veritas ipsa artefacti manifestetur et probetur, non receditur a ratione et processu artis, ideoque non repugnat esse artem, et esse speculativam.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 2 ad 3.

## ARTICULUS V

### QUID DE DISTINCTIONE ET UNITATE PRUDENTIÆ ET VIRTUTUM MORALIUM?

#### QUÆRITUR PRIMO, AN DIVISIO VIRTUTUM IN INTELLECTUALES ET MORALES SIT UNIVOCA VEL ANALOGA

870 I. — Adæquatam\* esse [divisionem] supponimus, quia traditur per adæquatam comprehensionem omnium potentiarum, quæ sunt capaces virtutum, scilicet per intellectum et voluntatem, comprehendendo nomine voluntatis etiam appetitum sensitivum. \*n. 478

o

871 **Quod ergo dubitatur**, est an sit univoca, nam D. Thomas\* aliquando dixit virtutem moralem esse virtutem simpliciter, intellectualem autem secundum quid, ut supra\*, quæstione LVI<sup>1</sup>, articulo tertio, et infra\*, quæstione<sup>2</sup> LXVI, articulo tertio, quia virtus *moralis* est quæ simpliciter\* rectificat et bonum reddit habentem; *intellectualis* vero solum dat facultatem bene operandi in genere intellectuali, quod solum facit opus bonum, non tamen operantem ipsum constituit bonum absolute et simpliciter. Et sic videtur \*n. 885  
\*n. 244-248, 251-255  
\*n. 1689  
\*n. 880 sq.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 56, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.

divisio ista analoga, sicut inter simpliciter tale, et secundum quid.

- 872 Ex alia vero parte, videtur quod virtus intellectualis sit simpliciter nobilior in genere virtutis, quia est abstractior\* et immaterialior, ergo perfectior. Virtus etiam moralis dependet\* essentialiter ab intellectuali, scilicet a prudentia. Ergo ista divisio ex omni parte analoga est. Et ita sentiunt plures auctores. \*n. 888 \*n. 890, 874

\* \*

- 873 II. — NIHILOMINUS oppositum tenendum est et dicendum tam virtutes intellectuales quam morales convenire univoce inter se, sive considerentur entitative in formalitate virtutis<sup>1</sup>.

o

- 874 Loquendo *in genere physico* constat manifeste, quia non possunt magis analogari istæ virtutes in entitate sua physica quam ipsæmet potentiæ ad quas pertinent, scilicet intellectus et voluntas, nam etiam in illis invenitur dependentia\*, quia non minus voluntas dependet in sui directione ab intellectu quam virtutes morales a prudentia; constat autem intellectum et voluntatem non convenire analogice, sed univoce\*, quia sub eodem prædicamento continentur et sub eodem genere subalterno potentiæ vel impotentia. Ergo similiter virtutes intellectuales et morales ad istas potentias pertinentes, si physice et entitative considerentur, univoce conveniunt, quia in eodem prædicamento ponuntur et sub eodem genere subalterno, nempe sub specie habitus. \*n. 872, 890 \*n. 890

<sup>1</sup> Ita Vivès. Textus videtur deficiens (cf. n. 874 sq.).

o

- 875 III. — Loquendo autem de ratione virtutis denominative sumptæ, et secundum quod denominat\* hominem virtuosum et virtuose operantem, quod pertinet ad modum quemdam seu statum aut officium virtutis, *dicimus* in hoc duas posse denominationes seu status considerari. \*n. 83, 1733
- 876 *Primo* quidem, quantum ad rationem virtuosi, id est, recte operativi.
- 877 *Secundo*\*, quantum ad rationem virtuosi, id est, boni simpliciter et ex parte personæ. \*n. 878
- 878 Hæc *secunda*\* denominatio non potest provenire nisi a virtutibus moralibus, non quomodocumque, sed habentibus statum perfectum virtutis, et ideo in tali denominatione non\* possunt univoce, imo nec aliquo modo convenire, nec virtutes intellectuales nec virtutes morales extra statum virtutis possunt talem denominationem præbere, quia est denominatio hominis boni et virtuosi, quod non potest ei convenire nisi ratione virtutis moralis perfectæ et habentis statum. A<sup>1</sup> virtute autem intellectuali non potest ista denominatio provenire, quia virtus illa compatitur cum homine peccatore et injusto, et non bono, unde in præbenda hac denominatione virtus moralis et intellectualis non possunt univoce convenire, quia denominatio ista provenit non\* a sola substantia virtutis, sed a virtute statum habente virtutis, id est, cum subordinatione ad rectum finem, et ad regulas prudentiæ. \*n. 877 \*n. 886

<sup>1</sup> Vivès : At.

879 IV. — Cæterum *primo*\* modo, virtus intellectualis et \*n. 876  
moralis etiam in ratione virtutis, id est, habitus virtuose  
et perfecte operativi in suo ordine et linea, univoce\* conve- \*n. 887  
niunt tamquam in genere rectæ dispositionis ad operandum,  
quod pertinet ad hanc rationem genericam virtutis.

880 Quod autem in isto genere et linea recte et virtuose  
operandi, virtus moralis simpliciter\* rectificet ad operandum \*n. 871  
ex parte etiam operantis ; virtus autem intellectualis solum  
rectificet ex parte operis præbendo facultatem ad faciendum  
opus rectum in suo genere : hæc inquam diversitas provenit  
ex differentiis ipsis virtutum, non\* ex ratione generica : unde \*n. 882  
hoc non tollit univocationem, quia univocatio non tollitur  
nisi quando diversitas et inæqualitas ipsa provenit ex ratione  
communi\*, non ex propriis differentiis : omnes enim diffe- \*n. 889  
rentiæ inæquales et diversæ sunt.

881 Pertinet autem ad differentialem et specificam rationem  
virtutis moralis rectificare voluntatem, quia est ejus pro-  
prium subjectum ; et ad intellectualem virtutem pertinet  
rectificare intellectum. Unde ex propriis et per se diffe-  
rentiis harum virtutum provenit id quod ex hoc consequitur,  
scilicet quod una virtus, id est, moralis, simpliciter rectificet  
operantem, quia cum voluntas si quæ<sup>1</sup> inclinatur totum  
subjectum seu suppositum in operando, consequenter prin-  
cipium rectificans voluntatem debet esse rectificativum  
operantis simpliciter.

882 V — At vero intellectus non est ipsa inclinatio totius\* \*n. 886  
suppositi seu subjecti, sed solum facultas et potentia re-

<sup>1</sup> Ita Vivès. Ly si quæ videtur inutile.

spectu illius particularis operationis quæ est intelligere.  
Unde principium rectificativum ejus solum debet esse  
rectificativum operis intellectualis, sive in speculatione, sive  
in practico, ut ars. Quæ differentiæ proveniunt ex specificis  
differentiis ipsarum virtutum, non ex ratione generica.\* \*n. 880

883 Unde ex hoc non\* analogantur illi habitus in ratione \*n. 887  
virtutis, licet una magis extendatur quam alia, quia virtus  
moralis rectificando voluntatem reddit hominem bonum  
simpliciter, quia ex parte effectus se extendit ad omnes  
potentias quantum ad usum\* et applicationem rectam, prout \*n. 261  
reliquæ potentiæ natæ sunt obedire voluntati et voluntarie  
moveri. Ex parte tamen ipsius habitus et rationis formalis  
ejus fit per unicum rationem formalem, sicut etiam habitus  
ipse intellectualis, licet ex parte effectus non ita se extendat,  
et sic non reddit hominem simpliciter bonum in usu et  
exercitio voluntarie operandi.

\* \*

884 VI. — Ad fundamentum oppositum\*, patet solutio. \*n. 871 sq.

885 Nam quod attinet ad D. Thomam\*, jam manet expli- \*n. 871  
catum quid intelligat per ly simpliciter et secundum quid  
in virtute morali et intellectuali.

886 Non enim est simpliciter et secundum quid in ipsa  
ratione habitus et virtutis\*, in quantum est dispositio aut \*n. 878, 1730  
vis operativa, sed ex parte alicujus denominationis consecutæ  
ex una virtute et non ex alia, in qua non\* conveniunt univoce \*n. 878  
utraque virtus intellectualis et moralis, scilicet quod ex  
morali virtute denominetur homo simpliciter bonus, non

autem ex virtute intellectuali ob rationem supra\* allatam, \*n. 880 sq.  
quia virtus moralis reddit bonam voluntatem, ex qua totum  
suppositum manet inclinatum ad bonum finem, et ad recte  
utendum et operandum in mediis, quod denominat hominem  
bonum absolute et simpliciter, quia totius suppositi incli-  
nationem rectificat.

887 At vero virtus intellectualis solum dat facultatem boni  
operis in potentia intellectiva, non simpliciter constituit  
bene operantem ex parte inclinationis et voluntatis. Sed  
ista analogica convenientia in tali modo denominandi non\* \*n. 883  
facit analogiam in ipsa intrinseca et propria natura et  
ratione virtutis, in quantum est habitus et vis quædam  
recte disponens ad operandum potentiam in qua est : in  
hac non est analogia, sed univocatio\*, quidquid sit de illa \*n. 879  
denominatione seu statu virtutis.

o

888 VII. — Ad id vero quod dicitur\* intellectualem \*n. 872  
virtutem esse perfectiorem, quia est abstractior et imma-  
terialior, dicitur hoc pertinere ad specificam rationem istius  
virtutis in qua excedit aliam virtutem saltem entitative et  
physice, non\* autem provenire ex ipsa ratione communi \*n. 879  
virtutis.

889 Analogia autem non sumitur ex inæqualitate differen-  
tiarum dividendum et specificantium, sed ex inæqualitate  
rationis communis\*, si una non sit simpliciter, sed solum \*n. 880  
proportione. Diversitas autem et inæqualitas differenti-  
arum dividendum non obest univocationi, quia non tollit  
rationem communem esse unam simpliciter, quin potius in

omni divisione generis debent differentiæ esse inæquales et  
diversæ.

890 Quod vero dicitur dependere\* virtutem moralem ab \*n. 872  
intellectuali, saltem a prudentia, dicitur dependere quoad  
suum exercitium, non quoad participationem ipsius rationis  
communis : sola autem dependentia unius ab alio in parti-  
cipanda ipsa ratione communi facit analogiam\*, sicut \*n. 1053  
dependentia accidentis a substantia\* in ipsa ratione entis, \*n. 1042  
eo quod ratio illa communis non potest esse una et eadem  
et æqualis, si non communicatur æqualiter et uno modo,  
sed dependenter in uno ab alio. Cæterum si ratio communis  
sit eadem et eodem modo participata, tamen una species  
ab alia dependeat in aliquo exercitio vel ratione particulari,  
non tollit hoc univocationem, quia non tollit quod ratio  
communis sit eadem : sicut voluntas dependet\* ab intellectu, \*n. 874  
habitus scientiæ ab habitu principiorum, superficies a linea ;  
et tamen omnia ista univoce conveniunt in suis rationibus  
genericis.

★ ★ ★

#### PRUDENTIA EST UNA : ET VIRTUTES MORALES PLURES

QUÆRITUR SECUNDO, QUOMODO INTELLIGATUR  
QUOD PRUDENTIA SIT UNA VIRTUS, ET SUFFI-  
CIAT AD MODERANDAS OMNES VIRTUTES MO-  
RALES QUÆ SUNT IN VOLUNTATE ; IPSÆ VERO  
VIRTUTES MORALES PLURES SINT

891 I. — ET EST DIFFICULTAS : tum ex parte mate-  
riæ circa quam versatur prudentia, tum ex parte formæ  
seu rationis formalis, tum ex aliquibus exemplis.



- 892 **Ex parte materiæ\***, quia constat diversas esse materias \*n. 910 sq. quas dirigit prudentia, sicut diversa est materia fortitudinis a materia temperantiæ et justitiæ, non solum physice et entitative, sed etiam moraliter\*, quia diverso modo dirigibiles sunt, sicut materia fortitudinis sunt mala superanda et vincenda, sive aggrediendo, sive sustinendo, et sic utitur impulsu et audacia\* contra illa. Materia autem temperantiæ \*n. 911 sunt bona allicientia et emollientia animum : unde indiget frænari et moderari circa illa indurando animum. Quæ materiæ diversæ regulationis et moris sunt. \*n. 907



- 893 **Ex parte formæ\*** seu rationis formalis est diversitas, \*n. 913 sq. quia diversum iudicium et dictamen seu diversa regulatio dari debet super unam materiam et super aliam, et diversa difficultas est in una quam in alia, verbi gratia, in malis repellendis, quam in sensualibus refrænandis ; ergo diversa ratio formalis datur, quia formalis ratio prudentiæ sumitur ex diverso dictamine et imperio, et ubi est distincta difficultas, ibi distinctus habitus debet poni.



- 894 II. — **Ab exemplis\*** idem etiam probatur. \*n. 915 sq.
- 895 Quia videmus multiplicari\* artes ratione diversæ materiæ seu diversorum operum factibilium, ut ars carpentaria circa ligna, vel argentaria circa argentum : et in ligno, alia est ars pro faciendâ<sup>1</sup>, aut alia pro faciendâ cathedra vel

<sup>1</sup> Forsan supplendum est : domo.

porta, etc., quia est distincta difficultas, et diversum iudicium dictamenque requiritur pro uno opere vel pro alio.

- 896 Item prudentia habet diversas\* species : alia est enim \*n. 918 sq. species prudentia regnativa, quæ disponit de regimine regni, alia œconomica, quæ gubernat propriam familiam, et aliæ similes, ut docet D. Thomas<sup>1</sup>, 2-2, quæst. L per totam.
- 897 Et ipsa prudentia circa se habet alias tres virtutes sibi adjunctas\* et distinctas, scilicet ebuliam, synesim et \*n. 920 gnomem\*, ut D. Thomas docet supra quæst. LVII<sup>2</sup>, art. \*n. 470 VI, et 2-2, quæst. LI<sup>3</sup> per totam.
- 898 Denique in appetitu dantur diversæ\* virtutes morales ; \*n. 921 sq. ergo in intellectu diversæ prudentiæ, sicut et diversæ scientiæ.
- \* \*
- 899 III. — **NIHILOMINUS D. Thomas**, secutus Aristotelem in sexto *Ethicorum*<sup>4</sup>, capite XIII, **affirmat prudentiam, qua homo dirigit proprias actiones suas et vitam, esse tantum unam\***, quidquid sit an dentur \*n. 486-488 diversæ prudentiæ ad gubernandum alios, de quo statim\* dicemus. \*n. 918, 1007

- 900 Ita tenet D. Thomas in præsentî quæstione LX<sup>5</sup>, articulo primo ad primum, et 2-2, quæst. XLVII<sup>6</sup>, art. V,

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 50 per totam.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 6.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 51 per totam.

<sup>4</sup> *Ethic.*, VI, cap. 8 (1141 b 30).

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 1 ad 1.

<sup>6</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 5.

ita quod sicut datur una\* ars Logicæ ad omnes scientias \*n. 863-4 dirigendas in forma et modo discurrendi et syllogizandi, ita sufficit una prudentia pro directione omnium affectuum voluntatis et appetitus, in quibus moderandis occupantur virtutes morales.

901 Et fundamentum D. Thomæ est, quia licet in virtutibus moralibus sit diversa ratio boni, est tamen eadem ratio veri, quia omnes diriguntur sub uno\* fine, qui est regula omnium humanorum actuum, scilicet ut homo sit perfectus in bene operando et in beatitudine acquirenda, sive humano modo, qualis potest in hac vita reperiri, sive supernaturali et divino, ut in alia. \*n. 908, 911

902 Quare licet diversæ bonitates imo et veritates sint in virtutibus, ratio tamen veri, id est, ratio dirigendi et regulandi una esse debet, sub qua clauditur totius finis vitæ humanæ; ergo licet sint plures virtutes dirigibiles, ratio tamen dirigendi est una, et sic prudentia una est, quæ a ratione dirigendi sumitur.



903 IV. — **Contra\* hanc tamen rationem** objicit Vazquez hic, disp. LXXXV<sup>1</sup>, capite II, quia alias etiam omnes scientiæ dicerentur una, quia conveniunt in una ratione veri, vel si propter diversas veritates sunt diversæ scientiæ speculativæ, cur propter diversas veritates practicas<sup>2</sup> non erunt diversæ prudentiæ? \*n. 905

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 1, disp. 85, cap. 2.

<sup>2</sup> Vivès : practica.

904 Præterquam quod scientiæ non sumunt speciem ex veritate, quia veritas non est objectum intellectus et scientiæ, sed res ipsa : veritas vero quæ est adæquatio intellectus cum re est passio intellectionis.

905 V. — **Nihilominus\* efficax est ratio D. Thomæ,** nec enim dixit\* Doctor sanctus quod prudentia est una, quia est eadem veritas in omnibus agibilibus, sed quia est eadem ratio veri in omnibus moralibus. Et ideo prudentia est una. Ubi ly « eadem ratio » importat rationem formalem cognoscendi verum, et hæc est unica tantum in prudentia, licet veritates materialiter sint diversæ, sicut in una et eadem scientia contingit. \*n. 903 \*n. 901

906 Et hujus ratio est, quia regula humanorum actuum debet esse firma\* et perfecta, cum sit virtuosa et disponat actus virtutis seu dirigat, qui se habent ut dispositio perfecti ad optimum<sup>1</sup>. Ergo oportet quod non solum ex propria materia, sed neque ex ulla alia deficiat, quia si ex aliqua parte deficit, peccatum est, et non virtus. \*n. 908

907 Potest autem contingere quod aliquis sit bene dispositus circa materiam alicujus virtutis, verbi gratia, circa timores, quia est audax\* et non timidus, et tamen non sit bene dispositus circa aliam\*, id est, circa concupiscentias. Talis ergo licet ex parte timoris videatur fortis et impavidus, quia timori non cedit, quatenus timor, tamen non est firmus in ista fortitudine nisi etiam sciat temperare concupiscentias et resistere illis, quia si occurrant pericula vincenda, et concupiscentia etiam occurrat, retrahetur a fortitudine \*n. 892 \*n. 913

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 11 sq.).

exercenda, enervatus a concupiscentia : sicut filii Israel a mulieribus et scortis Madianitis deliciis emolliti sunt, *Num.* XXV<sup>1</sup>, et ad idololatriam declinaverunt. Et similiter e contra qui est castus, sed timidus, occurrente gravi periculo timoris, dimittet\* castitatem ad evadendum timorem.

\*n. 1222

908 VI. — Quare firma\* et perfecta regula virtutum oportet quod supponat\* animum esse bene dispositum circa omnes, ut sit virtuosa et perfecta, etiam circa unam. Et sic oportet quod regula prudentiæ, quia perfecta et virtuosa est, complectatur omnium virtutum dispositiones et rectitudines, sicque uniat et connectat virtutes. Ergo et ipsa debet esse una circa omnes ut perfecta regula sit, quia unicam\* rationem regulandi respicit, hoc ipso quod nec unam materiam potest perfecte regulare nisi in omnibus\* bene disponere possit et regulare. Non potest autem prudentia esse virtus nisi sit regula perfecta et virtuosa ; ergo nisi una, quæ in rectificanda aliqua materia etiam ab omni alia rectificatione dependeat, ne vitietur aliquo modo talis materia.

\*n. 906

\*n. 1414, 1567

\*n. 901

\*n. 907

909 Et ideo dicuntur omnes virtutes connexæ\* inter se, non ratione materiæ, quia potius materiæ ipsæ sunt valde diversæ inter se, sed ratione formæ seu regulæ, quæ perfecta esse non potest, sicut ad virtutem requiritur, nisi supponat\* animum bene dispositum circa omnes materias virtutum, quia ex unius defectu potest in alia etiam deficere, et sic nisi una circa omnes, non potest etiam circa unam materiam esse una virtuose et perfecte.

\*n. 944,

1400 sqq.

\*n. 908

\* \*

910 VII. — Ad primum\* fundamentum in oppositum desumptum ex parte materiæ, *respondetur* materias virtutum esse diversas inter se quasi entitative et materialiter, formaliter autem et regulative seu ex parte formalis rationis regulativæ teneri<sup>1</sup>, quia non potest aliter illa regula prudentiæ esse firma, nisi sit una, quæ respiciat omnes materias quarum defectu vitari potest, ut diximus\*.

\*n. 892

\*n. 906-7

911 Et cum dicitur\* quod etiam moraliter sunt materiæ illæ diversæ, quia diverso modo dirigibiles, *dicitur* quod *passive*\* quidem in se sunt diverso modo dirigibiles, quatenus diverso modo regulationem recipiunt ; sed *active* et ex parte regulantis habent unitatem propter finem ad quem tendit, scilicet rectificationem vitæ humanæ simpliciter facere, quæ per varias materias dividitur, et diverso modo participatur, sed ab uno\* fine agitur : sicut virtus solis est una, et tamen ejus participatio est multiplex in his inferioribus.

\*n. 892

\*n. 922

\*n. 901

912 Unde non negamus quod materiæ illæ etiam moraliter sunt diversæ et diversam moralitatem participant, sed tamen derivatam ab una moralitate, id est, ex uno ordine ad finem unde prudentia sumit unitatem : non enim solum moralitatem habent materiæ ipsæ gubernatæ a prudentia et derivatæ ab ipsa, sed etiam ordo ille ad finem moralis est, et hunc respicit prudentia ut formalem rationem suæ unitatis.

⊙

913 VIII. — Ad id vero quod objicitur *ex parte formæ*\* seu formalis rationis, quæ etiam non est una propter diver-

\*n. 893

<sup>1</sup> *Num.* 25, 1-3.<sup>1</sup> Ita Vivès. Textus deficiens. Mens autem Auctoris clara.



sitatem iudicii et dictaminis, *respondetur* quod ista dictamina seu iudicia sunt diversa, et diversæ difficultates vincendæ ex parte ipsarum rerum et materiarum quæ tractantur, et de quibus formantur ista iudicia, et ex parte modi regulandi qui participatur in illis, tamen in ratione rectificationis prudentialis uniuntur in una ratione formali, quia illi diversi modi regulationis participati in diversis materiis et iudiciis non habent firmam et virtuosam regulationem, nisi connexi sint inter se, et ista connexio ex aliqua unitate in ordine ad finem oritur, quia videlicet regulatio prudens ita dirigit electionem virtutis in hac materia quod propter nullum casum aut timorem etiam in alia materia deficere\* \*n. 907 debet a regula illa.

914 Et sic ut bonam regulationem reddat prudentia et indefectibilem, oportet quod in qualibet materia eligenda respiciat connexionem cum alia in non deficiendo etiam ex illa parte : sicut ad servandam castitatem non\* solum \*n. 907, 1222 debet prudentia respicere rationem temperantiæ, sed etiam quod ex amore pecuniæ aut timore paupertatis non deficiat, eo quod rectificatio et bonum est ex integra <sup>1</sup> causa. Unde ista integritas rectificationis moralis oportet quod si procedit a prudentia dirigente, procedat ab ipsa ut uniente omnes illas materias in aliqua ratione communi, scilicet in ordine ad unum\* finem et honestatem legis, aut in ordine ad unum \*n. 901 principium universale, quale est : Bonum esse faciendum, unde omnis regulatio pendet directive, licet multiplicetur in diversis materiis participative.

<sup>1</sup> Cf. Ps. Dionys., *De Div. Nom.*, cap. IV, § 30 (PG 729).

- 915 IX. — Ad instantiam\* deductam **ab exemplis**, *respondetur*. \*n. 894 sq.
- 916 **Ad primam\***, de diversitate artium, et *dicitur* esse \*n. 895 disparem rationem, quia artes versantur circa effectus ad **extra\*** fabricandos et disponendos, non circa rectificationem \*n. 841 interiorem. In effectibus autem rectitudo seu recta dispositio unius non dependet ab altero, nec ab alterius rectificatione : potest enim quis recte disponere de fabrica domus sine hoc quod sciat facere vestes vel calceos.
- 917 At vero rectitudo interior seu rectificatio agibilium habet connexionem cum aliis materiis regulandis, quia bonitas et regulatio circa unam materiam potest corrumpi ex prava æstimatione vel corruptione circa aliam, ut ostensum\* est. \*n. 907, 914 Et quia omnium interiorum electionum rectitudo dependet ex unitate intentionis finis et unius principii universalissimi\*, \*n. 922 quod bonum est faciendum, oportet quod omnes virtutes copulentur in directione unius prudentiæ, non vero omnes artes in directione alicujus artis communis.
- 918 X. — **Ad secundum\* exemplum**, de diversis speciebus prudentiæ, *respondetur* illas species esse diversas species illius prudentiæ quæ versatur erga regimen aliorum, non\* \*n. 1007 quæ versatur circa interiorem regulationem. Interior enim regulatio pertinet ad rectificationem ipsius operantis : aliorum vero gubernatio non pertinet ad rectificationem operantis in se, sed ad bonum communitatis, et aliorum qui gubernantur.
- 919 Unde talis prudentia gubernativa oportet quod dividatur in varias species secundum diversam dispositionem ipsarum

communitatum : aliis enim legibus et ordinationibus gubernatur regnum, aliis una familia vel domus, aliis militia, aliis studium litterarum, nec dependet, aut connexionem habet una cum alia ; unde aliqui sunt prudentes ad gubernandam unam familiam, qui sunt inepti ad gubernandum regnum vel exercitum, et e contra. Prudentia vero dirigens actus nostros omnes materias agibilium sub una\* formali ratione rectificandi in ordine ad rectam intentionem finis unit et dirigit. \*n. 899

920 XI. — **Ad tertium\* exemplum**, de virtutibus ipsi prudentiæ annexis, *respondetur* illas non esse prudentias<sup>1</sup> diversas, sed partes quasi integrantes ejusdem prudentiæ secundum tres\* actus qui ad prudentiam concurrunt, scilicet consiliari, judicare et præcipere, quorum quilibet suam exigit virtutem, quæ non est complete et adæquate prudentia, sed quasi pars illius, quia disponit unum ex actibus ad illam concurrentibus, qui inadæquate pertinet ad prudentiam : sicut ad integritatem hominis diversæ partes requiruntur, ut caput, pedes, manus, etc., qui non sunt diversi homines, sed diversæ partes inadæquatæ hominis, de quo videatur D. Thomas supra quæstione LVII<sup>2</sup>, art. VI, et 2-2, quæst. XLIX<sup>3</sup>, et LI<sup>4</sup> per totam. \*n. 897 \*n. 470

921 XII. — **Ad quartum\* exemplum**, de pluralitate virtutum moralium in appetitu, *constat* ex D. Thoma in hac quæstione LX<sup>5</sup>, art. I, quod ex parte appetitus est diversa \*n. 898

<sup>1</sup> Vivès : prudentia.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 6.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 48.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 51.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 1.

participatio et habitudo ad rationem, secundum quam nascitur in objecto ipso considerato in linea et genere morali diversa appetibilitas et bonitas moralis, hoc est, diverso modo regulata, quia aliter adæquatur seu regulatur per rationem appetibilitas et bonitas in materia temperantiæ, aliter in materia fortitudinis.

922 Ex parte autem ipsius rationis regulantis, a qua derivatur et participatur ista diversitas ordinationis et regulationis passivæ\* datur unitas, quia non potest esse regula rationis recta et rectificans, nisi ex omni\* parte sit integra et non defectuosa, et sic reducitur ad unam\* rationem formalem, ex subordinatione ad illud primum\* principium<sup>1</sup> : *Declina a malo, et fac bonum*. Inde oritur omnis regulatio moralis. \*n. 911 \*n. 907, 914 \*n. 908 \*n. 917

★ ★ ★

#### QUID DE DIVISIONE VIRTUTUM MORALIUM INTER SE ?

#### QUÆRITUR TERTIO, EX QUIBUS PRINCIPIIS SEU CAPITIBUS SUMATUR DISTINCTIO VIRTUTUM MORALIUM

923 I. — **RESPONDETUR** varias esse distinctiones virtutum moralium : *alia* est enim distinctio specifica et ex principiis essentialibus sumpta ; *alia* accidentalibus, secundum aliquem statum vel denominationem particularem.

<sup>1</sup> Cf. *Ps.* 36, 27.

- 924 Distinguuntur\* enim virtutes morales, *vel* quia versantur circa operationes, *vel* circa passiones, et hoc sumitur ex parte materiæ regulandæ. \*n. 929 sq.
- 925 **Secundo\***, quia versantur circa diversa objecta formalia, licet sint in eadem materia, puta circa eandem passionem vel operationem. \*n. 946 sq.
- 926 **Tertio\***, ex parte alicujus conditionis involutæ in ipsa materia virtutum, ut quia una est principalior materia aut difficilior altera, sicut virtutes cardinales vel minus principales, quod pertinet ad quamdam conditionem et denominationem materiæ. \*n. 951, 974 sqq.
- 927 **Quarto\***, ex parte alicujus status quem habere possunt tales virtutes, et sic dividuntur in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi et exemplares. \*n. 953, 1114 sqq.
- 928 **Quinto\***, ex parte ordinis ad quem pertinent, scilicet quod sint ordinis naturalis, vel supernaturalis. Nam etiam in supernaturali ordine dantur virtutes morales per se infusæ\*. \*n. 953  
\*n. 1170 sqq.
- \* \*
- 929 II. — **Ex primo\* capite**, est divisio virtutum moralium circa operationes ad alterum, quod pertinet ad materiam justitiæ, et circa passiones, quod pertinet ad rectificationem hominis in se\*, et non ad alterum. \*n. 924  
\*n. 931
- 930 Nec enim operationes sumuntur in tota sua latitudine quando illas condistinguimus a passionibus, constat enim quod passiones ipsæ sunt operationes quædam seu actus

- a potentia appetitiva elicit, sed sumimus operationes in alio sensu, videlicet non pro solo respectu ad operantem a quo eliciuntur, sed prout tangunt alium extra\* operantem, et sic induunt et fundant aliquam rationem debiti, quod utique est ad alterum. Ratio autem debiti generaliter loquendo respicitur a justitia\*, quia ubi est debitum, fit compensatio aut fieri debet, et in hoc servatur forma aliqua seu modus justitiæ. \*n. 933  
\*n. 955
- 931 Si<sup>1</sup> ergo virtutes morales quædam ordinant et rectificant affectus internos\* secundum quod conducunt ad bonum ipsiusmet operantis quoad se : et quia ex immoderatione passionum plerumque affectus inordinantur, ideo virtutes quæ principaliter ordinant affectus et respiciunt bonum operantis quoad se, dicuntur versari circa passiones, et habent pro materia actus appetitus sensitivi\*, quia isti passionibus sunt. \*n. 929  
\*n. 438
- 932 Quædam vero virtutes habent ordinare operationes ad alterum, quatenus intercedit aliquod debitum\* in illis, et sic pro materia respiciunt facere adæquationem\* in ipsa ratione debiti, quod generaliter dicitur justitia, quia justitia est voluntas<sup>2</sup> (seu habitus voluntatis) reddendi unicuique quod suum est. Ubi autem invenitur et verificatur ratio sui, invenitur et verificatur ratio debiti, magis vel minus stricte et rigore, prout magis vel minus aliquid fuerit suum, et magis vel minus debitum. Et ideo in omni ratione debiti et sui attenditur ratio aliqua justitiæ, sive propriæ et rigorosæ, sive minus principalis et quasi potentialis. \*n. 932  
\*n. 934

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : *Sic*.

<sup>2</sup> Cf. *Corpus Juris Civilis*, Dig. I, 1, *de Justitia et Jure*, 10.

- 933 Sunt enim variæ species justitiæ, nec omnes attingunt principalem et rigorosam adæquationem debiti et justi, sed tamen aliquam attingunt, et in eo dicuntur participare aliquam rationem justitiæ. Unde D. Thomas, 2-2, quæstione LXXX<sup>1</sup>, varias species justitiæ dividit quæ non attingunt rigorosam rationem debiti quasi legalis, sed quasi moralis, secundum æquitatem et decentiam, quæ omnes sub communi ratione virtutis justitiæ comprehenduntur, et respiciunt rectificare et adæquare ipsas<sup>2</sup> operationes prout ad alterum et prout ad extra\* in quantum debito alicui satisfaciunt. \*n. 930
- 934 III. — Et hinc fit quod omnes istæ virtutes sub nomine justitiæ comprehensæ *subjective* sunt in voluntate, quia non\* pertinet ad ipsas proprie et directe regulare et moderari \*n. 429, 944 passiones, ipsasque<sup>3</sup> moderatas elicere : sic enim in appetitu sensitivo esse deberent\* ut illas sic moderatas eliceret ; \*n. 358-363 sed ad eas pertinet ordinare et ad æqualitatem\* reducere id \*n. 932 quod est ad alterum in ratione debiti.
- 935 Ordinare autem id quod est ad alterum sub ea ratione qua ad alterum\* est, et rationem debiti explicat, solum fit \*n. 937 sub aliqua formalitate respicientiæ\*, et cum quadam comparatione et collatione ad alterum. Conferre autem et comparare ad alterum, et hanc comparationem et collationem respicere, proprium est cognitionis rationalis et discursivæ, quæ proprie est collativa ; potentia autem quæ immediate et directe regulatur et dirigitur per cognitionem

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 80.

<sup>2</sup> Vivès : ipsa.

<sup>3</sup> Vivès : ipsaque.

- diversivam<sup>1</sup> et collativam est appetitus rationalis, quæ dicitur voluntas, non\* sensitivus. Ergo istæ virtutes quæ \*n. 429 ordinant et rectificant id quod est ad alterum per modum debiti, et cum collatione et comparatione ista, debent esse in voluntate, quia regulantur cognitione collativa et discursiva.
- 936 IV. — **Nec obstat\***, quod etiam aliquæ virtutes moderativæ passionum respiciunt\* aliquem ordinem ad alterum, \*n. 935 verbi gratia, virtus moderativa iræ respicit alterum cui non infert vindictam, temperantia respicit alterum a cujus consortio abstinet, misericordia alterum cui succurrit.
- 937 **Sed respondetur\*** quod istæ virtutes respiciunt alterum non propter ipsum, quatenus alterum\* et quatenus \*n. 935 debitum illi, sed quatenus respectus ad alterum est materia moderationis propriæ passionis pertinentis ad alterum et respicientis illum.
- 938 Sicut enim adulterium\* respicit alterum ut materiam \*n. 936 delectationis propriæ irrationalis, ita castitas respicit alterum ut materiam continentiæ et refrænationis.
- 939 Et ira\* respicit alterum ut materiam vindictæ, in qua \*n. 936 quis satisfacit injuriam ; mansuetudo vero istam immoderantiam vindictæ coercescit.
- 940 Et misericordia\* respicit sublevationem alterius quatenus \*n. 936 est materia in qua exercetur tristitia seu compassio de aliena miseria : est enim misericors quasi miserum habens

<sup>1</sup> Videtur legendum : discursivam.

cor ex compassione miseriae alienae. Et ita moderatur\* hanc <sup>\*n. 409</sup> tristitiam misericordia proprie dicta : quamquam si accipiat<sup>r</sup> aliquid misericordiae communiter adjunctum, quod est liberalitas, habeat rationem debiti, quatenus facit debitos sumptus, ex eo quia decens et æquum est illos facere ad convivendum amicis. Et ideo pertinet ad partem potentialem justitiæ, quæ respicit rationem aliquam debiti per se et ut talem, de quo D. Thomas, 2-2, quæstione <sup>1</sup> CXVII.

941 Non tamen est idem liberalitas quod misericordia, quia liberalitas per se non respicit sublevationem miseriae, sed communicationem bonorum ; unde non solum exercetur erga pauperes, sed etiam erga alios.

942 Quare justitia respicit alterum\* propter se, id est, pro satisfaciendo debito illius, non\* quia est materia propriae <sup>\*n. 935</sup> passionis, vel exercendæ, vel refrænandæ, et ideo directe respicit alterum, quia suum est, non quia ad meam passionem requiritur. <sup>\*n. 937</sup>

943 V. — Bene verum est quod etiam justitia, ut virtuoso modo procedat, nec solum faciat justa, sed etiam juste, præsupponit communem rationem virtutis, scilicet quod intentio sit rectificata et affectus bene dispositus ut justitiam faciat ex recto animo et propter bonum virtutis, alioquin si ex alio fine temporali aut vitioso eliciat actum illum justitiæ, non virtuose nec firmiter id faciet, quia non ex honesto motivo. Unde etiam\* præsupponit <sup>\*n. 907, 914</sup> passiones debere esse moderatas, ne ex illarum immoderantia pro-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 117, a. 5.

rumpat in malam intentionem, aut etiam ipsam electionem faciendi justitiam corrumpat, et tollatur virtus.

944 Sed hoc *præsuppositive* requirit justitia, non\* per se <sup>\*n. 429, 934</sup> *formaliter* facit, sed ab aliis virtutibus factum supponit, eo quod virtutes inter se connexæ\* sunt, et si una corrumpitur, aliæ etiam deficere possunt, si occurrat occasio prætermittendi justitiam præ illa passione aut motivo propter quod illa alia virtus corrumpitur. <sup>\*n. 909</sup>

945 Potest etiam ex actu justitiæ sequi aliqua delectatio in appetitu, sicut ex aliis actibus voluntatis, vel etiam aliæ passiones excitari. Sed istæ non se habent ut materia\* <sup>\*n. 937</sup> virtutis justitiæ, quarum moderatio præcipue et directe intendatur a tali virtute, sed ut effectus consecuti ex redundantia tali voluntatis, et actus ab ea elicitus in partem inferiorem, ideoque ex hac ratione non\* dicitur justitia <sup>\*n. 962</sup> versari circa passiones\* tamquam circa materiam, sicut <sup>\*n. 429, 934</sup> temperantia, aut fortitudo.

o

946 VI. — **Ex secundo\* capite**, etiam desumitur distinctio <sup>\*n. 925</sup> virtutum moralium specifica\*, quia licet versentur circa <sup>\*n. 923</sup> eandem passionem tamquam circa materiam moderandam, tamen possunt habere diversum motivum formale, et sic diversum objectum formale constituere, unde sumitur specifica distinctio.

947 Et ita D. Thomas in hæc quæstione <sup>1</sup> LX, articulo quinto, docet quod diversitas objectorum prout comparantur

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

seu ordinantur diversimode ad appetitum causant diversas species passionum; secundum autem quod ordinantur diversimode ad rationem possunt causare diversas species virtutum.

948 Et ita contingit aliquando quod circa diversas passiones, et consequenter circa diversa objecta passionum, potest versari una virtus, si in diversis illis passionibus et objectis inveniatur una et eadem ratio formalis in genere moris: sicut eadem fortitudo versatur circa timorem et audaciam, eadem temperantia circa delectationem et tristitiam, eadem charitas circa amorem proximi et odium.

949 Et e contra potest circa eandem passionem ejusque objectum versari diversa virtus, si inveniatur diversum modum regulationis et moralitatis in eadem passione ejusque objecto: sicut audaciam seu fiduciam potest reprimere fortitudo, magnanimitas, et humilitas ex diversis motivis; delectationes tactus potest frænare castitas, et continentia, et virginitas quando est voto\* firmata atque specialis virtus. \*n. 408, 1129

950 Potest ergo distingui diversitas specifica virtutum ex diversitate formali\* objectorum in genere moris, quamvis sit eadem passio quasi materia circa quam versatur, moderando illam, sed quia moderatio hæc fit ex diverso motivo formali et ex diversa regulatione morali, prout eadem passio a diversis regulis respici potest, ideo diversum objectum formale in genere moris respicit, et hoc est quod diversam specificationem virtutum facit, qua<sup>1</sup> species virtutum in genere morali est.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur: quia.

o

951 VII. — **Ex tertio\* capite** distinguuntur virtutes in cardinales seu principales, et minus principales seu potentiales. \*n. 926

952 De qua distinctione agemus sequenti\* articulo. \*n. 974 sqq.

953 Similiter de distinctione quæ sumitur **ex quarto\*** et **quinto\* capite** agemus ibidem† et articulo sexto§<sup>1</sup>. \*n. 927  
\*n. 928  
†n. 1106 sqq.  
§n. 1170 sqq.

★ ★ ★

#### QUÆRITUR QUARTO, QUOT SINT SPECIES VIRTUTUM MORALIUM IN SPECIE ATOMA, ET QUOT IN GENERE SUBALTERNO

954 I. — **RESPONDETUR** quod virtutes morales, quæ pertinent ad partem appetitivam (excludimus nunc prudentiam, quæ non potest dici moralis formaliter, sed directive et regulative), prima et generaliori ratione dividuntur in eas quæ versantur circa operationes\*, et quæ versantur circa passiones\*. \*n. 929-945  
\*n. 960 sq.

\* \*

955 Quæ versantur circa operationes communi vocabulo censentur nomine justitiæ\*. Et hæc dividitur in alia genera. \*n. 930

o

<sup>1</sup> Reapse: septimo.

956 Nam quædam\* justitia est proprie et rigorose dicta, \*n. 958  
quæ etiam dicitur virtus cardinalis, quia servat duas condi-  
tiones ad rigorosam justitiam requisitas, scilicet quod respicit  
debitum legale seu rigorosum, et reddit seu satisfacit illud  
ad æqualitatem.

957 Alia justitia est minus principalis, quæ et potentialis  
pars justitiæ solet nominari, quia *vel* non reddit legale et  
rigorosum, sed morale et secundum decentiam seu æquita-  
tem, *vel* non potest ad æqualitatem.

◊

958 *Prima*\* dividitur in tres species, scilicet in justitiam \*n. 956  
commutativam\*, distributivam, et legalem, et ad legalem \*n. 1012  
pertinet epikeia, ut regulativa ejus, ut dicit S. Thomas,  
2-2, quæst. CXX<sup>1</sup>, art. II.

959 *Secunda*\* dividitur in septem, religio, pietas, observan- \*n. 957  
tia, cujus partes sunt dulia, obedientia, et gratitudo, cujus  
pars est vindicatio pro retributione malorum, fidelitas seu  
veracitas, liberalitas, affabilitas seu amicitia, de quibus agit  
S. Thomas, 2-2, quæst. LXXX<sup>2</sup>, articulo unico, et deinceps<sup>3</sup>  
per plures quæstiones usque ad quæstionem CXX, tractans  
de his virtutibus in singulari, et vitiis eis oppositis.

\* \*

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 120, a. 2. — Ia-IIæ, q. 96, a. 6.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 80, a. unic.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 81-120.

960 II. — Virtutes autem quæ versantur circa passiones\* \*n. 954  
dividuntur *primo* in duas virtutes cardinales, quæ sunt  
temperantia et fortitudo, juxta duas potentias, quarum  
actus seu passiones moderantur, quæ sunt irascibilis et  
concupiscibilis.

◊

961 Deinde dividuntur in alias minus principales seu  
potentiales, quæ ad istas reducuntur, sed sunt specie diversæ.

962 Est autem considerandum quod D. Thomas in hac  
quæstione LX<sup>1</sup>, articulo quinto, solum decem virtutes  
numerat, quæ versantur circa passiones. Nam quod aliqui  
codices ponunt undecim virtutes circa passiones, et inter  
illas numerant justitiam\*, vitio scriptorum inductum est. \*n. 945  
Et nunc emendatus est error, præsertim in editione<sup>2</sup> ultima  
Antuerpiensi 1612, ubi dicitur: « Si addatur justitia, quæ  
est circa operationes, erunt omnes undecim ». Non autem  
ponit S. Thomas undecim virtutes (includendo etiam justi-  
tiam) circa passiones, cum justitia circa passiones non\* sit. \*n. 429, 934

963 III. — Loquendo ergo de virtutibus istis circa passiones,  
D. Thomas hic numerat decem non absolute, sed secundum  
numerationem\* Aristotelis<sup>3</sup>. Dicit enim D. Thomas<sup>4</sup>: \*n. 972  
« Sic igitur patet quod secundum Aristotelem sunt decem  
virtutes morales circa passiones », etc. Igitur esse decem  
non affirmat D. Thomas nisi secundum dictum Aristotelis.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

<sup>2</sup> Editio Leonina idem habet.

<sup>3</sup> Cf. *Ethic.*, II, cap. 7 (1107 a 32 sq.).

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.

964 Quia tamen sub illis possunt intelligi aliæ plures, quæ ab aliis auctoribus explicantur, ut a Tullio<sup>1</sup>, Andronico<sup>2</sup>, et aliis<sup>3</sup>, ideo D. Thomas in *Secunda Secundæ*<sup>4</sup>, ubi magis particulatim virtutes explicavit, numeravit alias plures; et ideo isti explanationi standum est.

965 Quare ex parte fortitudinis et virtutum quæ ad irascibilem pertinent, numerat D. Thomas in *Secunda Secundæ*<sup>5</sup> quinque virtutes, videlicet ipsam principalem seu cardinalem, quæ est fortitudo, et quatuor alias quasi potentiales et minus principales, scilicet magnanimitas, magnificentia\*,<sup>n. 403</sup> patientia et perseverantia, quæ dicuntur minus principales, quia versantur circa materiam minus arduam minusque principalem quam sint pericula mortis, circa quæ versatur\*<sup>n. 499</sup> fortitudo principaliter seu cardinaliter dicta.

966 Nec\* est necesse quod omnes virtutes sint in appetitu<sup>n. 403</sup> sensitivo, possunt enim etiam esse in voluntate, ut patientia, quæ motivo spirituali et circa difficultates spirituales etiam versari potest, licet imperative etiam moderetur tristitias et timores appetitus.

967 IV. — Ex parte vero temperantiæ et virtutum pertinentium ad vim concupiscibilem, quia temperantia, quæ est virtus cardinalis et principalis, habet aliquas species sub

<sup>1</sup> *Rhet.*, Lib. II, cap. 53. — Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 80, a. 1, obj. 1.

<sup>2</sup> *De Affect.*, De Justitia. — Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 80, a. 1, obj. 4.

<sup>3</sup> Cf. Macrobius, *In Somn. Scipion.*, Lib. 1, cap. 8. — Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 80, a. 1, obj. 2 et 3.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 81-120.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 123-138.

se contentas, quæ sunt quasi partes subjectivæ, et dantur etiam aliquæ partes potentiales seu minus principales virtutes.

968 Species quidem subjectivæ temperantiæ sunt quatuor<sup>1</sup>, duæ ex parte ciborum, duæ ex parte venereorum. Ex parte cibi et potus, est abstinencia et sobrietas; ex parte venereorum est castitas et virginitas, quæ etiam est specialis\*<sup>n. 408, 949, 1129</sup> virtus.

969 Partes autem potentiales seu virtutes minus principales sunt generaliter quatuor<sup>2</sup>, scilicet continentia, quæ in voluntate est ne ducatur a passionibus vehementibus, clementia, mansuetudo contra iram, modestia quæ refrænata nimietates in ornatu, in cognitione, in vanitate; ideo dividitur in varias species.

970 Pertinet enim ad modestiam humilitas, quæ refrænata elationem et superbiam; secundo, studiositas, quæ refrænata nimiam curiositatem; tertio, modestia circa exteriores motus et ornatum personæ; quarto, eutrapelia circa ludos.

971 V. — De his agit D. Thomas in *Secunda Secundæ*<sup>3</sup>.

972 Quod vero solum decem numeraverit hic<sup>4</sup> ex Aristotele\*<sup>n. 963</sup> est, quia Aristoteles non omnes species particulatim ibi enumerat, sed aliquas solum in genere, ut temperantiam, quæ est genus\* ad abstinenciam, castitatem, etc., sub una<sup>n. 968</sup>

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 146-154.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 155-169.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 146-169.

<sup>4</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 5.



virtute comprehendit ; et sub fortitudine\*, perseverantiam \*n. 965  
et patientiam ; et sub modestia\*, humilitatem et studiosi- \*n. 970  
tatem, et alia.

973 Quomodo vero liberalitas et magnificentia dicantur hic  
pertinere ad virtutes quæ sunt circa passiones, cum aliis<sup>1</sup>  
locis dicat pertinere ad voluntatem et circa operationes  
versari, supra\* late exposuimus. \*n. 391 sqq.

## ARTICULUS VI

### QUID SINT VIRTUTES CARDINALES ; QUID PUR- GATORIÆ, PURGATI ANIMI, ET EXEMPLARES ?

974 I. — Cardinales virtutes idem est quod principales.\* \*n. 475, 496  
Sunt autem aliquæ virtutes quæ inter morales principalita-  
tem quamdam obtinent, ut tales in Scriptura et Patribus  
proponuntur.

975 Dicitur enim Sapientiæ VIII :<sup>1</sup> *Sobrietatem et sapien-  
tiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus nihil utilius est  
in vita hominibus.* Ubi nomine *sobrietatis* intelligitur\* tem- \*n. 1223  
perantia ; nomine *sapientiæ*, prudentia, eo quod in genere  
moralis hæc est prima et optima scientia. Nomine autem  
*virtutis* intelligitur fortitudo, quæ maxime vigorem præstat.  
Si autem nihil istis virtutibus utilius est in vita ; ergo ipsæ  
cæteris aliis utiliores et principaliores sunt.

976 Unde dicit Gregorius, II *Moralium*<sup>2</sup>, cap. XXXVI  
quod « in quatuor virtutibus tota boni operis structura  
consurgit » ; et S. Ambrosius, lib. V *in Lucam*<sup>3</sup>, cap. VI,  
exponens illud : *Beati pauperes spiritu*, inquit : « Scimus  
virtutes esse quatuor cardinales, scilicet temperantiam,  
justitiam, prudentiam, fortitudinem ». Videri etiam potest

<sup>1</sup> *Sap.* 8, 7.

<sup>2</sup> *Moral.*, Lib. II, cap. 49 (PL 75, 592).

<sup>3</sup> *In Luc.*, Lib. V, super 6, 20 (PL 15, 1653).

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 21, a. 1 ad 1.

Bernardus, serm. XXII in *Cantica*<sup>1</sup>, et homilia<sup>2</sup> *infra octavam Epiphaniæ*; Prosper, lib. III *De vita contemplativa*<sup>3</sup>; Augustinus, XII *De Trinitate*<sup>4</sup>, c. XIV, et lib. I *Contra Academicos*<sup>5</sup>, c. VII, et aliis locis.

977 Et ab omnibus theologis communiter acceptatur hujusmodi divisio virtutum cardinalium. Aliquæ tamen difficultates circa explicandæ se offerunt.

\* \* \*

#### PRINCIPALITAS VIRTUTUM CARDINALIUM UNDE SUMATUR

978 II. — PRIMA DIFFICULTAS EST, qua ratione virtutes istæ cardinales seu principales dicantur, **an** ratione materiæ\* circa quam versantur; **an** ratione alicujus status \*n. 984 seu modi aut formalitatis, quæ in istis magis quam in aliis servatur, vel ex qua ratione et principio.

\* \*

979 III. — Varie in hac parte loquuntur auctores.

980 *Quidam* sumunt istam principalitatem et superioritatem penes superioritatem prædicationis, eo quod existimant istas

<sup>1</sup> *Serm. In Cant.*, serm. XXII, n. 10 (PL 183, 883). — Cf. D. Bernardus, *De Conversione ad Clericos*, cap. 1 (PL 182, 845).

<sup>2</sup> *Homilia de puero Jesu duodenni*, circa medium. Hæc homilia creditur esse Adibredi, abbatis cujusdam cœnobia Cisterciensis. Non invenitur apud Migne.

<sup>3</sup> *De Vita Contemplativa*, Lib. III, cap. 18 (PL 59, 501).

<sup>4</sup> *De Trin.*, Lib. XII, cap. 14 (PL 42, 1010).

<sup>5</sup> *Contra Academicos*, Lib. I, cap. 7 (PL 32, 916).

virtutes esse quatuor genera suprema in ratione virtutis moralis, ad quæ cæteræ reducuntur tamquam species subjectæ. Ita Lorca<sup>1</sup> super quæstionem LXII, et præcedens, in titulo de divisione virtutum in theologales et cardinales.

981 *Alii* sumunt istam divisionem in cardinales et minus principales secundum quamdam similitudinem aut participationem, quia videlicet istæ quatuor virtutes inter se non assimilantur, sed sunt diversæ; aliæ vero virtutes omnes aliquam similitudinem habent cum illis, vel participationem. Si enim aliqua virtus respicit debitum, assimilatur justitiæ; si refrænationem passionum, imitatur temperantiam; si passionum impulsus, imitatur fortitudinem. Hoc etiam admittit Lorca ubi supra\*.

\*n. 980

o

982 IV. — Alios duos modos refert S. Thomas in quæstione LXI<sup>2</sup>, art. IV, et in quæstione V *De Virtutibus*<sup>3</sup>, art. I ad secundum.

983 Nam *quidam*<sup>4</sup> distinguunt virtutes istas cardinales non secundum diversos habitus speciales respicientes speciales materias circa quas versantur, sed secundum diversas conditiones\* seu modos generales, qui ad omnes virtutes \*n. 1068 requiruntur, et in omnibus concurrunt et quasi transcendunt, sicut prudentia dicitur discretio quædam in qualibet

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 62 et 61.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 4.

<sup>3</sup> *De Virt. Card.*, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> Cf. Gregorius, *Moral.*, Lib. XXII, cap. 1 (PL 76, 212); Seneca, *Ad Lucilium*, epist. LXVII.

materia ; justitia rectitudo debita in qualibet materia ; temperantia modus seu moderatio quædam rationis in qualibet materia ; fortitudo sit firmitas animi in qualibet materia contra quoscumque impetus passionum. Et sic istæ virtutes cardinales proprie et formaliter non sunt virtutes sumendo virtutes pro habitu, sed sunt conditiones quædam ad quamlibet virtutem requisitæ.

- 984 *Alii*<sup>1</sup> accipiunt istas virtutes cardinales, et distinguunt illas penes diversos habitus, et sic vere et essentialiter sunt diversæ virtutes secundum speciem, dicuntur autem cardinales seu principales denominatione sumpta a materia\* circa quam versantur, quæ principalis est aut difficilior in illo genere. Sicut, verbi gratia, fortitudo absolute disponit animum ut non cedat, sed firmetur contra labores et pericula seu timores : illa autem fortitudo erit cardinalis seu principalis, quæ firmat animum contra maxima pericula, qualia sunt pericula mortis\*. Et temperantia absolute moderatur concupiscentiam ne effrænate effundatur circa voluptatem : sed illa temperantia dicetur cardinalis, quæ refrænât voluptates maximas, quales sunt voluptates tactus\*.

\* \*

- 985 V. — Hæc ultima\* sententia approbatur ibi magis a D. Thoma<sup>2</sup>.

- 986 Et secundum illam **DICENDUM EST quod virtutem aliquam moralem dici cardinalem sumitur a princi-**

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 7 (1107 a 33 sq.) ; Cicero, *Rhetor.*, Lib. II, cap. 53.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 4.

**palitate materiæ circa quam versatur, et divisio seu distinctio cardinalium virtutum est distinctio et divisio penes diversos habitus speciales et specificè distinctos.**

o

- 987 VI. — **Ratio est**, quia revera invenitur diversa materia et diversum objectum in his virtutibus, et invenitur specialis difficultas et major in una materia quam in alia ; ergo\* invenitur in objecto seu materia totum quod requiritur ut virtus aliqua cardinalis dicatur. Omnis autem denominatio sumpta ab objecto et ordo ad illud pertinet ad specificationem actus et habitus seu virtutis. Ergo si ex objecto sic specificante sumi potest ratio cardinalis et principalis virtutis, non est cur denegetur, et sic virtutem esse cardinalem sit conditio\* distinguens diversos habitus et specificationes eorum.
- 988 *Antecedens primi enthymematis* constat ipsa experientia, cum in quibusdam virtutibus sit major arduitas et difficultas orta ex ipsa natura et qualitate circa quam versantur : sicut major difficultas et arduitas est in vincendis periculis mortis\* per fortitudinem quam erogandis sumptibus per magnificentiam, vel intendendis honoribus per magnanimitatem. Et major difficultas est in refrænandis delectationibus tactus\*, præsertim quando vehementer urgent, quam in delectationibus ludi vel vanitatis. Et sic in aliis exemplis patere potest.
- 989 *Prima vero consequentia* ostenditur, quia si ipsa materia et objectum circa quod est virtus habet principalitatem super alias materias, eamdem potest communicare virtuti

sicut communicat specificationem, perfectionem et nobilitatem, quia ab objecto omnia ista desumit actus et habitus ; ergo et principalitatem seu rationem virtutis cardinalis.

\* \*

990 VII. — **Dices primo\*** : Multæ virtutes non sunt cardinales, et tamen habent principalem et nobiliorem materiam ; ergo ex illa non sumitur ista principalitas cardinalis. \*n. 993, 999

991 *Antecedens probatur* : Nam religio\* et pœnitentia habent principalem materiam quam justitia commutativa, scilicet cultum et satisfactionem Dei : et tamen religio et pœnitentia non sunt virtutes cardinales, sicut est justitia commutativa. Item humilitas est altior virtus quam temperantia, quia temperantia reprimat delectationes tactus, humilitas spiritum superbiæ. Unde invenitur etiam in Angelis et in parte spirituali, temperantia autem in sensitiva ; ergo humilitas est nobilior, et tamen non est virtus cardinalis sicut temperantia. Ergo a principalitate materiæ non desumitur ratio virtutis cardinalis. \*n. 1002

992 Ut omittam virtutes theologicas\* et dona Spiritus Sancti, quæ non sunt virtutes cardinales, et habent altius et principalius objectum. \*n. 1000

993 VIII. — **Secundo\***, quia temperantia, justitia et prudentia non sunt virtutes in specie atoma, sed subalternæ et genericæ ; ergo male dicimus virtutes cardinales esse virtutes speciales. \*n. 990, 1006

994 *Antecedens probatur*, quia temperantia dividitur\* tamquam in species et partes subjectivas in abstinentiam et castitatem ; non autem datur aliqua alia temperantia quæ sit species atoma et virtus cardinalis præter istas : omnis enim temperantia moderatur, aut delectationes tactus circa cibos, et est abstinentia, aut circa venerea, et est castitas. \*n. 968

995 Similiter justitia\*, alia est distributiva, alia commutativa, alia legalis. \*n. 958

996 Et prudentia dividitur\* in regnativam, œconomicam, militarem, et alias species de quibus agit S. Thomas in *Secunda, Secundæ*, quæst. LI<sup>1</sup>. \*n. 896, 918

997 Vel ergo omnes istæ species sunt virtutes cardinales, et sic sunt plures quam quatuor ; vel altera tantum illarum, et non est major ratio de una specie quam de alia, verbi gratia, quod justitia commutativa sit virtus cardinalis, et non distributiva, vel quod castitas sit virtus cardinalis, et non abstinentia.

998 Aut denique dicendum est quod virtus cardinalis solum dicitur talis ex ratione generica, non quia sint speciales virtutes, quod est incidere in primam\* sententiam patris Lorcæ. \*n. 890

o

999 IX. — **Ad primum\***, *respondetur* quod ut dicitur dubio sequenti\* virtutes cardinales proprie et in rigore solum \*n. 1015 sqq.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Revera : *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 50.

inveniuntur in genere virtutum moralium, quæ non versantur circa finem, sed circa electiones mediorum. In his enim mediis illæ quæ principalitatem habent, et materiam difficiliorem aut ampliorem in deducendo ad finem dicuntur cardinales, ut ex D. Thoma<sup>1</sup> dicemus\*.

\*n. 1023 sq.

1000 Non autem principalitas aut nobilitas materiæ simpliciter facit virtutem cardinalem. Unde manent exclusæ virtutes theologicæ\*, quæ versantur circa finem, et similiter dona Spiritus Sancti, aut aliæ supernaturales virtutes, quæ supra virtutes humanas sunt, et consequenter supra cardinales, quæ solum tales sunt inter humanas, non absolute: intelliguntur enim virtutes cardinales esse principales in vita humana, ut docet S. Thomas, quæst. V *De Virtutibus*<sup>2</sup>, art. I ad duodecesimum, id est, in vita modo humano considerata, non divino et supernaturali.

\*n. 992

1001 Religio autem, pietas, pœnitentia, humilitas, et aliæ similes virtutes quæ morales sunt, possunt quidem esse nobiliores et perfectiores suis cardinalibus perfectione absoluta et simpliciter, non respectiva et secundum conditiones\* materiæ et modum qui in ea servatur: hunc enim perfectius servat virtus cardinalis quam potentialis, licet hæc perfectiorem materiam absolute habeat.

\*n. 987

1002 Si enim consideretur materia religionis\* quæ est cultus divinus, et materia justitiæ quæ versatur circa contractus humanos: illa est perfectior et nobilior materia secundum se quam ista.

\*n. 991

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 2 et 4.

<sup>2</sup> *De Virt. Card.*, a. 1 ad 12.

1003 XX. — Cæterum si in illa materia consideretur formalitas et modus satisfaciendi debitum, perfectius et strictius invenitur in justitia commutativa, quæ est cardinalis, quam in religione vel pietate, quia religio, licet solvat debitum cultum Deo, non tamen ad æqualitatem sicut justitia. Et sic licet illa materia divini cultus sit in se præstantior, tamen in ratione æqualis seu reductionis ad æqualitatem\* (quod est proprium<sup>1</sup> munus justitiæ) non est ita perfecta sicut quæ fit in contractibus humanis.

\*n. 429, 934

1004 Et e contra, aliqua virtus potest facere æqualitatem in redditione, ut gratitudo aut amicitia\*, non tamen habet rigorosum et legale debitum sicut justitia.

\*n. 493, 959

1005 Similiter humilitas\* refrænât nobiliorem materiam, scilicet spiritum rebellantem per superbiam, quam temperantia, quæ refrænât carnem rebellantem per lasciviam, sed tamen delectationes istæ carnis et tactus sunt vehementiores\* in alliciendo et attrahendo quam spiritus superbiæ: sunt enim delectationes illæ primæ\* et fundamentales respectu aliarum, fundantur enim in propria conservatione, sive speciei, sive individui, quæ maxime urget, nam: *Pellem pro pelle dabit homo et cuncta quæ habet* (etiam vanitatem) *pro anima sua, Job II*<sup>2</sup>.

\*n. 991

\*n. 498, 984

\*n. 1036

1006 XI. — Ad secundum\*, respondetur non requiri quod omnes quatuor virtutes cardinales sint species atomæ non divisibiles in alias species, sed aliquæ sunt subalternæ\* habentes sub se species et partes subjectivas; aliæ non\*,

\*n. 993

\*n. 1087

\*n. 1014

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, II<sup>a</sup>-II<sup>æ</sup>, q. 157, a. 3.

<sup>2</sup> *Job* 2, 4.

propter materiæ contradictionem<sup>1</sup>, quæ non patitur in plura motiva et rationes formales dividi, ut fortitudo\* quæ habet materiam nimis strictam, scilicet pericula mortis, in quibus non invenitur multiplex et diversa ratio formalis, sed unica tantum in genere morali, ideoque est univoca tantum in specie atoma. \*n. 1013

1007 Et similiter prudentia quæ est gubernativa et directiva propriarum\* actionum respicit unicum ordinem ad finem totius vitæ humanæ, ideoque est unica secundum speciem atomam, ut articulo præcedenti diximus\*, licet prudentia directiva aliorum possit respicere diversos fines, et sic dividi penes diversas species (ut ibi diximus, et tractat D. Thomas, 2-2, quæst. LI<sup>2</sup>). \*n. 896 sq. \*n. 918 sq.

1008 At vero temperantia non habet materiam ita coarctatam\* ut in specie atoma contineatur, sed habet materiam speciei subalternæ, scilicet delectationes tactus, quæ diverso modo et diversa\* moralitate regulantur in venereis et in cibis. \*n. 1013 \*n. 1011

1009 Venerea enim solum sunt regulabilia per matrimonium, et omnis alius usus illicitus est; et etiam per matrimonium, si accedat votum castitatis, est illicitus, quod pertinet ad virginitatem ut est virtus specialis\*, castitas enim non reddit illicitum usum venereorum in matrimonio. \*n. 408, 949

1010 At vero delectationes ciborum regulantur alio fine longe distincto, scilicet ut sumantur quantum convenit decenti sustentationi corporis.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: *Contractionem* aut *coarctationem*.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 50.

1011 Quæ moralitates sunt ita diversæ\* quod constituunt diversas virtutes, et diversas difficultates vincendas respiciunt, scilicet castitatem et abstinentiam. \*n. 1008

1012 XII. — Similiter alia est materia justi in commutationibus, quod pertinet ad justitiam commutativam, quæ respicit æqualitatem arithmeticam et absolutam in valore rei; alia est materia justi in distributione præmiorum, quæ respicit diversam proportionem meritorum. Et sic est diversa\* virtus justitia distributiva et commutativa. \*n. 958

1013 Et tamen non propterea multiplicantur virtutes cardinales, quia duæ\* ex illis, scilicet justitia et temperantia, sunt species subalternæ, et tamen solum dicuntur duæ virtutes cardinales, quia licet quælibet habeat plures species, tamen omnes illæ conveniunt in exhaurienda adæquate tota illa materia principali et cardinali, quæ ita ampla\* est ut non nisi pluribus speciebus exhauriri possit, quod secus accidit in fortitudine\*. \*n. 1008, 1012 \*n. 1008 \*n. 1006

1014 Unde non est inconveniens dividi aliquid in plura membra, quorum unum est species atoma, aliud subalterna\*: sicut animal dividitur in rationale et brutum seu irrationale, et tamen homo species est atoma; brutum autem subalterna, quæ dividitur in varias species, bovis, equi, leonis, etc. \*n. 1006

★ ★ ★

#### VIRTUTES CARDINALES SOLUM REPERIUNTUR IN VIRTUTIBUS MORALIBUS

1015 XIII. — **SECUNDA DIFFICULTAS** est orta ex præcedenti\*. Si enim virtutes dicuntur cardinales quia prin- \*n. 978 sqq.

cupales, sumpta principalitate ab objecto seu materia, videtur quod quanto materia est principalior et nobilior, tanto magis denominari debent virtutes cardinales, cujus oppositum videmus, quia aliquæ virtutes nobiliores moralibus, aut istis quatuor cardinalibus, cardinales non sunt, ut exemplis manifeste constat.

- 1016 Nam virtutes theologales\* et dona Spiritus Sancti sunt nobilissimæ virtutes, nec\* tamen cardinales sunt. \*n. 1026  
\*n. 1000
- 1017 Virtutes etiam intellectuales\*, ut sapientia et scientia, nobiliores sunt moralibus, nec tamen cardinales sunt. \*n. 1027
- 1018 Et inter morales\* aliquæ non reputantur cardinales nec principales, quæ nobiliorem habent materiam seu objectum, ut religio, pietas, pœnitentia, humilitas, quæ nobiliores sunt iustitia, temperantia et fortitudine, nec\* tamen cardinales dicuntur. \*n. 1035  
\*n. 1001 sq.
- 1019 Cur ergo solæ istæ dicuntur cardinales, id est, principales, cum aliæ dentur principaliores, nec tamen cardinales dicuntur?
- 1020 XIV. — S. Thomas in hac quæstione LXI<sup>1</sup>, articulo III, fatetur quidem posse dari alias virtutes quæ sint principaliores istis secundum alias\* principalitates, sed istæ dicuntur principales ratione materiæ\*. \*n. 1031  
\*n. 986
- 1021 Cæterum hæc responsio\* aggravat magis quam solvit difficultatem. Nam ratione materiæ, theologales longe

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 3.

excedunt istas quatuor, quia illæ tractant de Deo fine ultimo, istæ de mediis, quia electivi<sup>1</sup> habitus sunt.

- 1022 Et si loquamur de principalitate materiæ intra genus moralium, materia religionis\*, quæ est cultus Dei, et materia pœnitentiæ\*, quæ est satisfactio Dei, est nobilior omni materia commutationum et contractuum, quæ est materia iustitiæ virtutis cardinalis. Et humilitas habet materiam nobiliorem temperantia, quia hæc solum refrænât passiones concupiscibilis, unde non reperitur in Angelis: humilitas vero refrænât spiritum superbiæ in voluntate; unde maxime ad Angelos pertinet contra diabolum. Ergo potius ratione materiæ deberet esse cardinalis. \*n. 1036  
\*n. 1036

\* \*

- 1023 XV. — Intelligentia ergo ex D. Thoma sumenda est, ex his quæ tradit in III, distinct. XXXIII<sup>2</sup>, quæstione secunda, articulo primo, præsertim quæstione II et IV, et hic supponit, videlicet quod materia virtutis cardinalis non debet esse principalior inter alias materias principalitate nobilitatis, sed principalitate fundamenti\* et initii, respectu ad alias materias, quatenus ad talem materiam aliæ reducuntur, non\* ipsa ad alias. \*n. 1088  
\*n. 1030
- 1024 Et ulterius materia ista virtutis cardinalis debet se tenere ex parte mediorum, non ex parte finis ultimi, et intra latitudinem mediorum debet principalitatem habere seu primam rationem fundamenti et initii, non primam rationem nobilitatis aut perfectionis simpliciter.

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 2 et 4.

- 1025 **Et ratio est**, quia cardinalis virtus (inquit D. Thomas <sup>1</sup>) dicitur ad similitudinem \* cardinis ostii, in quo firmatur motus ostii ad intrandum in ulteriora. Nam de ratione ostii est ut per ipsum interiora domus adeantur, et ideo illud per quod non est motus in aliquid ulterius non habet rationem ostii. \*n. 1028, 1033
- 1026 Virtutes autem theologicæ\*, cum sint circa finem ultimum, non sunt aliquid aliud ulterius ex parte objecti in quod tendant, unde in virtutibus theologicis non invenitur ratio ostii, et propter hoc non possunt dici cardinales. \*n. 1016, 1100
- 1027 Similiter nec in virtutibus intellectualibus\*, quia perficiunt in vita contemplativa, quæ non ordinatur ulterius ad alteram vitam, sed activa ad ipsam ordinatur. \*n. 1017
- 1028 XVI. — Itaque licet cardinalitas significet principalitatem, sed non\* quamlibet, nec absolute, sed in genere determinato, scilicet principalitatem conducentem ad aliud ad quod fit motus seu transitus, non principalitatem ultimam et absolutam in qua quiescitur: sicut cardo ostii unde derivatur, seu ad cuius similitudinem\* dicitur cardinale, est illud præcipuum et fundamentale ad motum in tota domo et in toto ædificio. Ostium enim est id per quod fit introitus et transitus ad interiora domus, qui transitus motus quidam est. Unde quod est præcipuum et fundamentale in ostio ad motum dicitur cardo seu cardinale, non quod est præcipuum absolute et in tota domo. \*n. 1023, 1088
- 1029 XVII. — Sic ergo in ædificio virtutum spirituali, et potest considerari aliquid ut *præcipuum* et nobiliter in ratione

<sup>1</sup> Cf. etiam *De Virt. Card.*, a. 1.

- fundamenti seu totius ædificii, aut *præcipuum* et firmum in ratione medii per quod fit transitus et quasi motus ad aliud, non in ipso sistitur. Media autem pertinent ad electionem, et electio <sup>1</sup> ad virtutes morales. Unde quod est præcipuum in ipsis dicitur præcipuum tamquam cardinale, seu ad similitudinem\* cardinis in ostio per quod fit motus et transitus in domo ad alia, non quod est simpliciter principaliter in tota domo. \*n. 1025, 1028
- 1030 Quod ergo in electione recta mediorum se habet ut principale, quia versatur circa principalem materiam talium mediorum, non quia sit nobilior et perfectior, sed quia se habet ut fundamentum ad quod aliæ materiæ reducuntur in illo genere, et non\* ipsa reducitur ad alias, hoc constituit rationem principalitatis cardinalis in virtutibus, licet non principalitatis absolutæ et simpliciter: hoc autem solum\* invenitur in virtutibus moralibus, quia solum istæ sunt virtutes electivæ et versantur circa media. \*n. 1023, 1035
- 1031 Reliquæ virtutes possunt habere aliam\* notabilitatem vel principalitatem, et dici fundamentum <sup>2</sup>, ut fides, radix <sup>3</sup>, ut charitas, anchora <sup>4</sup>, ut spes, sed non dicuntur cardinales, inquit D. Thomas citato\* loco ex tertio *Sententiarum* <sup>5</sup>, solutione ad secundum, quia fundamentum, radix et anchora dicit aliquid in quo sit firmitas quantum ad quietem, cardo autem dicit aliquid firmum quantum ad motum\*. Et ideo

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>2</sup> Cf. I *Cor.* 3, 11.

<sup>3</sup> Cf. *Eph.* 3, 17.

<sup>4</sup> Cf. *Heb.* 6, 19.

<sup>5</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 2 ad 2. — Cf. etiam *De Virt. in Comm.*, q. 1, a. 12 ad 24.



illa nomina competunt virtutibus quæ sunt circa finem in quo est quies, cardo autem virtutibus quæ versantur circa media, per quæ est motus seu transitus ad finem quasi per ostium et portam via executionis.

\* \*

- 1032 XVIII. — Unde **solvuntur objectiones**\* in contrarium factæ. \*n. 1015 sq.
- 1033 Dicimus enim sine dubio dari alias virtutes nobiliores cardinalibus, et principaliores principalitate absoluta\* et simpliciter, non respectiva et in ordine ad electionem mediorum, in ordine ad quæ principalitas dicitur cardinalis: aliæ enim principalitates possunt quidem principalitates dici, sed non cardinales, quia non habent principalitatem talem, scilicet quæ ordinatur ad faciendum motum seu transitum ad finem, sicut cardo firmat\* et ordinat motum in ostio. \*n. 1023, 1028  
\*n. 1025, 1096, 1099
- 1034 Et ad replicam\* contra responsionem D. Thomæ, *respondetur* quod virtutes theologales\* sunt principaliores ex parte materiæ principalitate absoluta et simpliciter, quatenus tangit finem, non principalitate materiæ ex parte mediorum, quibus fit transitus ad finem: inde enim sumitur principalitas cardinis seu cardinalis. \*n. 1020  
\*n. 1000, 1026
- 1035 XIX. — Et quod attinet ad virtutes morales\* nobiliores cardinalibus, ut religio, pietas, pœnitentia, etc., *dicimus* illas esse nobiliores ex parte materiæ quantum ad perfectionem superadditam et præsupponentem materias aliarum virtu-

tum; virtutes autem cardinales sunt principales ex parte materiæ, quantum ad rationem fundamenti\* et principii in quo materiæ aliarum virtutum firmantur\* et a quo dependent, sicut ostium a cardine in quo versatur. Et sic dicit S. Thomas<sup>1</sup>, loco citato\*, quæstiuncula IV ad secundum, tertium et quartum, quod principale in istis virtutibus dicitur per hoc quod illud principale non dependeat ab aliis, sed alia\* ab ipso. \*n. 1023, 1076, 1088  
\*n. 1033  
\*n. 1023  
\*n. 1030

- 1036 Et sic delectationes tactus circa quas est temperantia\* non dependent ab aliis, sed sunt priores\* aliis delectationibus; aliæ autem virtutes, ut magnanimitas et humilitas, supponunt alias virtutes, quarum magnitudinem intendit magnanimitas, et quarum bona opera custodit humilitas contra insidias<sup>2</sup> superbiam, et quas reparat pœnitentia ut iterum vivificentur<sup>3</sup>. Religio\* autem colit Deum virtutibus et puritate animi, sic supponit justitiam. Unde non sunt istæ materiæ fundamentales et primæ, in quibus aliæ firmantur ut in cardine primo, sed superaddunt ad illas. \*n. 1022  
\*n. 1005  
\*n. 1022

o

- 1037 XX. — **Nec obstat** quod hac ratione prudentia\* sola erit virtus cardinalis, quia in illa est principium in quo firmantur et volvuntur reliquæ virtutes, eo quod est regula\* cæterarum. Aut saltem virtutes quæ versantur circa finem habebunt rationem cardinalium, quia in amore finis volvitur et versatur firmitas electionis mediorum. \*n. 1078, 1093  
\*n. 1050

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 4 ad 2, 3, 4.

<sup>2</sup> Cf. S. August., Epist. CCXI *De Reg.* (PL 33, 960).

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIIa, q. 89, a. 5; IIa-IIæ, q. 152, a. 3 ad 3.

1038 **Respondetur** ex doctrina D. Thomæ<sup>1</sup>, citato\* loco, \*n. 1023  
quæstiuncula III ad primum, quod sicut cardo est illud  
in quo *proxime* firmatur motus ostii, quia super illud innititur  
immediate, non autem est illud super quod firmatur *remote*  
et mediate, puta terra, vel fundamentum aut paries super  
quod est ostium ; ita in virtutibus, illud dicitur cardo seu  
cardinale super quod *immediate* firmatur motus seu transitus  
ad finem, quod est electio principalis materiæ in qualibet  
virtute morali, id est, electiva<sup>2</sup> mediorum.

1039 Quod autem est principale per modum principii seu  
fundamenti *mediati* et remoti, non proximi, erit quidem  
magis principale absolute et simpliciter, non autem in  
ratione cardinis seu *immediati* principii in quo firmatur  
motus mediorum ad finem : hoc enim non pertinet solum  
ad prudentiam, quæ est regula omnium virtutum, sed etiam  
ad principales materias morales, quæ tangunt ipsa media  
ad finem : illis enim firmatis, firmantur et motus alii circa  
materias minus principales.

★ ★ ★

VIRTUTES CARDINALES CONVENIUNT UNIVOCE  
IN GENERE PRÆDICABILI CUM ALIIS VIRTUTI-  
BUS, ANALOGICE IN GENERE CAUSATIVO ET  
MOTIVO SEU REGULATIVO

1040 **XXI. — TERTIA DIFFICULTAS** est circa id quod  
docet S. Thomas in hac quæstione<sup>3</sup> LXI, articulo primo

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q1a 3 ad 1.

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 1 ad 1.

ad primum, ubi inquit quod quando divisio analogi dicitur  
de pluribus secundum prius et posterius, tunc nihil prohibet  
unum esse principalius alio, etiam secundum communem\*  
rationem, sicut substantia principaliter dicitur ens quam  
accidens, et talis est divisio virtutum in diversa genera  
virtutum, eo quod bonum rationis non secundum eundem  
ordinem invenitur in omnibus.

\* \*

1041 **XXII. —** Ex his verbis nascitur difficultas satis im-  
plexa.

1042 Nam hic\* D. Thomas clarissime loquitur de divisione \*n. 1040  
virtutum in quasdam principales seu cardinales, et alias  
non principales, et illam assignat non minus analogam  
quam divisionem entis in substantiam\* et accidens, quam \*n. 890  
constat esse analogam ex parte sui divisi\*, quod est prædi- \*n. 880, 889  
cabile de membris dividendis. Nec admittit D. Thomas  
quod solum una virtus sit principalior altera secundum  
naturam speciei, sicut homo aliis animalibus, sed etiam  
secundum naturam generis, ut analogum respectu analogo-  
rum ; ergo sentit quod hæc divisio simpliciter est analogam  
secundum inæqualitatem ortam ex ipsa ratione communi.

1043 **XXIII. —** Ex alia parte constat omnes istas virtutes,  
sive cardinales, sive non cardinales, essentialiter esse habitus\*  
et sub genere habitu contineri. Omnes autem habitus non  
solum virtutum, sed etiam vitiorum, sub eodem genere  
univoco continentur, scilicet sub eodem prædicamento  
qualitatis ; ergo virtutes cardinales et non cardinales  
univocem\* conveniunt in ratione virtutis. \*n. 24-60  
\*n. 1060

1044 *Et confirmatur*, quia magis conveniunt duæ virtutes morales principalis et secundaria, verbi gratia, religio et justitia, temperantia et humilitas, quam virtus cardinalis cum virtute theologica, vel cum vitio opposito. At virtus et vitium ponuntur sub eodem genere, quia sunt contraria<sup>1</sup>, quæ sub eodem genere maxime distant, et virtus theologica est verus habitus et qualitas de prædicamento qualitatis; ergo univoce conveniunt et non analogice.

\* \*

1045 Solutio istius difficultatis\* sumi potest ex his quæ \*n. 1041 sq. tradit S. Thomas, in III, distinctione XXXIII<sup>2</sup>, quæstione secunda, articulo primo, quæstiuncula prima, ubi totam analogiam inter has virtutes cardinales et non cardinales reducit ad inæqualitatem participationis et motionis, qua una virtus movet aliam et participatur in ea. Non repugnat autem aliqua plura convenire inter se univoce in ratione entitativa, analogice autem in ratione aliqua participationis et motionis unius in aliud: sicut, verbi gratia, omnes partes corporis animalis univoce conveniunt in ratione corporis vivi aut sensitivi, sed analogice in ratione officii et muneris quo una movet aliam.

1046 Itaque *aliud* est considerare entitatem seu naturam partis, *aliud* est considerare ministerium et officium seu motionem partis, et derivationem seu participationem unius in aliud. Nam, verbi gratia, cor et caput et manus et digitus entitative univocantur in ratione corporis sensibilis,

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In X *Metaph.*, lect. 10, n. 2122 (Cathala).

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q1a 1.

sed analogantur in ratione partis moventis et perficientis totum et alias partes, et hoc est proprium ministerium et officium partis, proprium enim partis est perficere totum, et actuare illud vel alias partes, et in ista formalitate seu linea analogice convenit cor cum aliis partibus, quia cor est principium influens motum et vitam in alias partes. Et in ædificio, fundamentum et rectum<sup>1</sup> et porta conveniunt univoce in ratione artefacti, analogice tamen in officio et munere partis, quia una præbet et derivat in aliam munus et exercitium partis, sicut fundamentum habet principalitatem respectu aliarum partium, a quo cæteræ participant firmitatem et consistentiam partis.

1047 XXIV. — Sic ergo virtutes considerari possunt dupliciter.

1048 **Primo**, quidditative et entitative, et sic univoce\* \*n. 1043, 1060 dividunt rationem habitus et virtutis in communi.

1049 **Secundo**, regulative et causative, quatenus constituunt spirituale ædificium rectificando potentias et operationes, quod fit secundum regulationem et participationem boni moralis.

1050 Hoc enim cum sit bonum mensuratum a ratione et regula, ex sua natura derivatur de uno in aliud, scilicet a ratione in voluntatem et appetitum, et ex una materia difficiliore et principaliore in aliam, sicut ex prudentia, quæ est in ratione ut regulante, derivatur in virtutes appetitivas bonum rationis, et ideo per prius et principalius invenitur

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: tectum.

hæc commensuratio rationis in prudentia\* quam in aliis virtutibus : in illa enim quasi per essentiam, utpote ad rationem pertinens, in aliis per participationem, sicut voluntas a ratione participat esse mensuratam et regulatam ratione. \*n. 1037

1051 Et inter virtutes appetitivas, ista mensuratio principalis et simpliciter invenitur in una materia quam in alia, et ab una derivatur ad aliam, quia in una invenitur secundum omnes conditiones aut difficiliore rationes quibus regulabilis est talis materia, in alia secundum aliquas tantum, vel minus difficiles. Unde ratio regulationis et mensurationis in una materia est simpliciter talis, in alia imperfecte et secundum quid seu participata et derivata a priori.

1052 XXV. — Quod ergo in ratione regulationis et mensurationis in suis materiis et objectis analogari possint virtutes, licet in ratione habitus et qualitatis univo-centur\*, *constat*, quia ipsa ratio virtutis moralis secundum se respicit materiam regulatam, hoc enim est bonum rationis, materia autem regulata et mensurata ratione, in ipsa ratione mensurandi derivatur ab uno in aliud, a magis principali ad minus principale, unum enim movet aliud, sicut prudentia regulans movet alias virtutes regulatas, et una virtus principalior aliam sibi adjunctam et secundariam, quæ participat modum suum : sicut etiam ars principalis et architectonica movet inferiorem minus principalem. \*n. 1048

1053 Ubi-cumque autem invenitur quod ipsa ratio communis de sua natura participatur cum hac inæqualitate derivandi

et participandi de uno in aliud, ibi invenitur ratio analogiæ\*, quia invenitur inæqualitas in participanda ratione communi\*. Tota autem inæqualitas istarum virtutum non est ex parte habitus in participanda ratione communi, sed ex parte materiæ mensuratæ, quæ est bonum rationis, quod non secundum eundem ordinem participatur. \*n. 890 \*n. 880

1054 Unde signanter D. Thomas in verbis supra\* relatis ex hac quæstione LXI<sup>1</sup>, articulo primo ad primum, dicit quod ista divisio virtutum in diversa genera est analogica, eo quod bonum rationis non secundum eundem ordinem invenitur in omnibus. Ergo sumit istam analogiam non ex parte habitus et virtutis formaliter, sed ex parte boni rationis et mensurationis ejus, quod est objectum virtutis. \*n. 1040

1055 Et in III<sup>2</sup>, dist. XXXIII<sup>3</sup> citata\*, quæstione II<sup>4</sup>, articulo I, quæstione prima, totam hanc resolutionem tradit his verbis : « Quia principium cujuslibet rei est potissima pars ejus, etiam plusquam dimidium, ut dicitur in primo *Ethicorum*<sup>5</sup> ; ideo illud quod est potissimum in quolibet genere dicitur principale in genere illo. Et quia habitus pensatur ex actibus, et actus ex objectis sive materia, ideo virtutes principales dicuntur quæ sunt circa illud quod est potissimum in materia vel materiis virtutum. Sicut potissimum in illis quæ ad concupiscibilem pertinent sunt delectationes secundum tactum\*. Unde temperantia quæ est circa illas delectationes est virtus principalis ; et eutra- \*n. 1005, 1036

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> *Vivès* : XXXIII.

<sup>3</sup> *Vivès* : LIII.

<sup>4</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q1a 1.

<sup>5</sup> *Aristot., Ethic.*, I, cap. 8 (1098 b 7).

pelia, quæ est circa delectationes quæ sunt in ludis, est virtus secundaria. Sicut ars ad quam pertinet finis navis qui est navigatio, scilicet gubernatoria, est principalis respectu illius artis quæ facit navem ».

1056 Ecce quomodo D. Thomas inæqualitatem istarum virtutum, et principalitatem unius præ alia, in quo fundatur analogia, sumit ex parte materiæ, non\* ex parte entitatis et quidditatis habitus. \*n. 1048

1057 XXVI. — Pergit explicare quomodo in una participetur bonum rationis et ratio virtutis ex alia. « Et quia, inquit <sup>1</sup>, ad illud quod est potissimum in qualibet re, ordinantur omnia quæ sunt illius rei, ideo virtutes et artes principales movent secundum suum imperium virtutes et artes secundarias ad actus proprios. Sicut ars gubernatoria imperat ei quæ facit navem ; et ex hoc dicitur architectonica respectu ejus, quasi princeps ipsius . . . Omne autem quod movetur ab aliquo, agit in virtute moventis sicut instrumentum ejus. Et ideo etiam motus virtutis cardinalis participatur quodammodo in virtutibus adjunctis. Et secundum hoc virtus cardinalis dicitur generalis\*, in quantum pluribus virtutibus adjunctis modum suum communicat ; virtus autem adjuncta dicitur pars ejus, in quantum modum suum participat. » \*n. 983

1058 Ubi apparet quod principalitas et inæqualitas istarum virtutum ex parte materiæ est in movendo et participando in una modum et rationem alterius, qui modus consistit in regulatione\* et mensuratione secundum rationem. In hoc \*n. 1049

<sup>1</sup> D. Thomas, In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 1.

ergo habetur analogia virtutum secundum rationem causativi et regulativi.

1059 XXVII. — Ex quibus patet ad rationes\* dubitandi. \*n. 1041 sq.

1060 Dicimus enim quod entitative et formaliter virtutes tam cardinales quam non cardinales *univoce*\* conveniunt ; objective autem et ex parte materiæ datur *analogia* et inæqualitas in movendo et participando modum et mensurationem boni rationis\*, quia ex una virtute derivatur ad aliam, et ex una materia principali ad aliam secundariam et minus principalem. \*n. 1043, 1048

\* \* \*

#### VIRTUTES CARDINALES SOLUM SUNT QUATUOR

1061 XXVIII. — **QUARTA DIFFICULTAS** est circa numerum cardinalium virtutum, an solum sint quatuor, et quare, ita quod nec sint plures, nec pauciores.

1062 Et quod sint quatuor, communis est sanctorum Patrum sententia, ut supra\* in principio articulo retulimus, et communiter theologi tenent. \*n. 976

\* \*

1063 XXIX. — Colligitur autem a D. Thoma <sup>1</sup> iste numerus ex duplici capite.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 2.

- 1064 **Primo**, ex parte materiæ circa quam versantur virtutes, quod pertinet ad objectum et ad principium formale\*. \*n. 1068
- 1065 **Secundo\***, ex parte subjecti seu potentiarum in quibus istæ virtutes subjectantur. \*n. 1067
- 1066 **Primo modo\***, colligitur numerus virtutum sic: \*n. 1070, 1083  
Objectum virtutis moralis est bonum rationis, seu bonum ratione mensuratum. In quo debet in primis concurrere ratio prudentialis mensurans seu applicans hic et nunc mensurationem et appetibile mensuratum. Et quidem ratio mensurans seu applicans est *prudentia*. Appetibile autem mensuratum potest consistere, vel in operationibus\* \*n. 930 voluntatis ad alterum, vel in passionibus intra se. Et quidem operationes pertinent ad *justitiam*; passiones\* autem, \*n. 931 vel sunt concupiscibilis, et pertinent ad *temperantiam*, vel irascibilis, et pertinent ad *fortitudinem*. Nec sunt plures materiæ quam istæ per rationem regulandæ.
- 1067 XXX. — **Secundo modo\***, colligitur numerus istarum virtutum ex parte potentiarum quæ sunt capaces virtutum moralium. Est enim quadruplex subjectum, scilicet ratio ipsa, quæ est directiva et regulativa, et voluntas, quæ est appetitus rationalis; et in appetitu sensitivo est duplex potentia, scilicet concupiscibilis, et irascibilis. In prima potentia est virtus *prudentiæ*, in secunda est *justitia*, in tertia est *temperantia*, in quarta est *fortitudo*.

o

- 1068 XXXI. — Ex utraque\* autem ista collectione recte infertur D. Thomam intendere quod istæ quatuor virtutes

sint entitative et specificè distinctæ. Nam distinctio ex parte objecti formalis seu materiæ specifica est, et distinctio virtutum in diversis potentiis entitativa est, nec enim potest eadem numero entitas in duabus potentiis esse. Sentit ergo D. Thomas has virtutes cardinales entitative diversas esse, nec solum in illis significari diversas formalitates seu conditiones\* virtutum, ut aliqui<sup>1</sup> putaverunt, sed etiam \*n. 983 diversos habitus, qui circa diversas materias speciales versantur, ut approbat D. Thomas quæstione LXI<sup>2</sup>, articulo IV, et ad diversas potentias pertinentes eisquæ inhærentes.

\* \*

- 1069 XXXII. — Nihilominus probationes\* S. Thomæ<sup>3</sup> videtur difficultatem pati. \*n. 1063 sq.

o

- 1070 Nam **probatio prima\*** deducta ex objectis formalibus concludit solum esse quatuor virtutes cardinales in genere, quia sunt quatuor objecta et velut materiæ generales in quibus versantur istæ virtutes; non autem probat simpliciter esse solum quatuor in re et specialiter loquendo de istis virtutibus secundum suas específicas rationes. Itaque S. Thomas solum assignat quatuor objecta formalia pro istis quatuor virtutibus, sed non specialia, sed generica\*; \*n. 1087 ergo ex talibus quatuor objectis non potest inferri\* quod \*n. 1068 dentur quatuor tantum virtutes cardinales absolute et

<sup>1</sup> Cf. Ambrosius, *De Off. Ministr.*, Lib. I, cap. 36 (PL 16, 82); Gregorius, *Moral.*, Lib. XXII, cap. 1 (PL 76, 212).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 4.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 2.

specificæ, sed solum potest inferri quod dentur quatuor virtutes principales in genere postea dividendæ in plures secundum speciem atomam\*.

\*n. 999, 1006

1071 Quod autem illa objecta formalia sint solum generica, non specifica, manifestum est, quia operationes erga aliud, circa quas est justitia\*, dividuntur in operationes secundum commutationes et contractus, quod pertinet ad speciem justitiæ commutativæ, et operationes secundum proportionem et æqualitatem geometricam, quod pertinet ad speciem justitiæ distributivæ.

\*n. 930, 1066

1072 Et in concupiscibili passiones moderandæ, aliæ pertinent ad delectationes venereas, aliæ ad delectationes ciborum, quæ diversæ speciei sunt in moralitate.

1073 Solum ergo probavit D. Thomas quatuor virtutes in genere, non determinate et in specie.



1074 XXXIII. — **Secunda\* vero probatio** ex parte potentialium, quæ sunt subjecta virtutum, multo magis infirma est, nam etsi subjecta receptiva sint quatuor, formæ tamen receptæ possunt esse plures: in eodem enim subjecto possunt esse plura accidentia, et in eadem potentia plures habitus et virtutes, ut in voluntate, religio, humilitas, pœnitentia, justitia, etc. Male ergo probat D. Thomas, ex eo quod sint quatuor subjecta receptiva virtutum, solum esse quatuor virtutes principales, cum in qualibet potentia possint esse plures virtutes, sive principales, sive secundariæ.

\*n. 1065, 1067, 1089



1075 XXXIV. — Ex alia parte **etiam difficultas\* insurgit**, quia non sufficienter probatur esse solum quatuor materias seu objecta principalia pro virtutibus, siquidem plures principales materiæ assignantur pro aliis virtutibus: *tum* absolute et simpliciter, ut patet in virtutibus theologicis, quæ habent pro materia et objecto proximo\* ipsum Deum; *tum* in moralibus, ut in religione, pœnitentia, humilitate, et aliis, quæ habent nobiliores et principiores materias quam justitia commutativa, aut temperantia, etc.

\*n. 1091

\*n. 507, 1391

1076 XXXV. — Nec valet responsio supra\* data, quod illæ quatuor virtutes habent principales materias præ aliis, id est, magis fundamentales, et priores, non magis principales, id est, nobiliores, et perfectiores.

\*n. 1035

1077 Contra\* enim est.

\*n. 1092 sq.

1078 *Tum quia* hac ratione sola prudentia\* esset cardinalis virtus, quia dat regulam cæteris, et sic habet principalitatem respectu earum.

\*n. 1093

1079 *Tum quia* etiam aliæ\* habent fundamentales et priores materias, sicut humilitas, quæ est fundamentum<sup>1</sup> virtutum; timor\*<sup>2</sup>, qui est initium<sup>3</sup> sapientiæ et viæ spiritualis; pœnitentia, quæ restituit\*<sup>4</sup> virtutes. Imo temperantia non est nisi post longum exercitium et post sedatas passiones

\*n. 1094

\*n. 1098

\*n. 1036

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 161, a. 5 ad 2.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 45, a. 6 ad 3.

<sup>3</sup> Cf. *Eccli.* 1, 16.

<sup>4</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 152, a. 3 ad 3; IIIa, q. 89, a. 5.

vehementes, quando enim vehementes passiones adhuc insurgunt, nondum est temperantia, sed continentia\*<sup>1</sup>: \*n. 1097 habere enim passiones omnino sedatas, quod facit temperantia, solum est perfectorum.

1080 *Tum quia* non\* est major ratio cur istæ quatuor dicantur \*n. 1099 cardinales a principalitate fundamenti, aliæ vero non dicantur cardinales a principalitate nobilioris materiæ, ut religio, et pœnitentia, etc.

1081 XXXVI. — **Denique etiam obstat\***, quia contrariorum<sup>2</sup> eadem est ratio. Non sunt autem quatuor tantum vitia principalia, sed septem, scilicet septem vitia capitalia; ergo non erunt solum quatuor virtutes principales seu cardinales. Imo aliqua dantur peccata capitalia quæ non opponuntur virtutibus principalibus et cardinalibus, sicut ira<sup>3</sup> opponitur mansuetudini, quæ non est virtus cardinalis, et accidia seu tristitia de bono divino opponitur charitati seu gaudio ejus, et superbia humilitati.

1082 Quod si dicatur vitia capitalia sumi ex parte finis pravi, qui habet rationem principii et capitis unde alia plura derivantur, idem *dicemus* de virtutibus, quod illæ erunt cardinales seu principales quæ circa finem versantur, ut theologicæ, unde derivatur principalitas ad alias.

\* \*

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, In VII *Ethic.*, lect. 9, n. 1453 (Pirota).

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 17, a. 4 ad 3.

<sup>3</sup> Vivès habet: ita. Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 60, a. 4 · IIa-IIæ, q. 129, a. 2.

1083 XXXVII. — **Ad primum\***, *respondetur* quod probationes\*, quibus aliquis numerus probatur et ostenditur, duas partes habent: *alteram*, qua probatur id quod positivum est numero, scilicet esse tot res; *alteram*, qua probatur quod negativum est, scilicet non\* esse plures. \*n. 1070 sq. \*n. 1063 sq. \*n. 1085

1084 Ad probandum ergo virtutes cardinales esse quatuor, inducit D. Thomas<sup>1</sup> has rationes quæ probant id quod positivum est, scilicet quatuor dari. Et hoc efficaciter probat per rationes inductas: *tum* ex parte principiorum formalium seu objectorum, quæ sunt quatuor; *tum* ex parte principiorum materialium seu subjectorum, quæ etiam sunt quatuor. Nec potest ex aliis principiis magis intrinsicis iste numerus ostendi quam ex formalibus et materialibus.

1085 Quod vero sint tantum\* quatuor, ita quod non sint plures, quod pertinet ad id quod negativum est, non probavit in hoc articulo secundo<sup>2</sup>, neque his rationibus quas in eo ponit, sed in articulo tertio<sup>3</sup> sequenti, ubi inquit utrum aliæ virtutes debeant dici magis principales quam istæ: inde enim dependet scire an sint plures virtutes cardinales seu principales quam quatuor. \*n. 1083

1086 Et ita in articulo secundo<sup>4</sup>, ubi posuit dictas\* probationes, non inquisivit an sint tantum quatuor virtutes cardinales, sed utrum sint quatuor virtutes cardinales, quia solum id quod positivum\* est in hoc numero volebat ostend- \*n. 1063 sq. \*n. 1083

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 2.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 2.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 3.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 2.



dere, scilicet dari quatuor, non quod negativum\*, scilicet \*n. 1083 non dari plures, reservans id sequenti<sup>1</sup> articulo.

1087 XXXVIII. — Unde **quando dicitur\*** quod objecta \*n. 1070 formalia, quæ numerat D. Thomas, solum sunt generica, non specifica, *respondetur* aliqua esse generica, aliqua specifica, quia (ut supra\* diximus) non omnes virtutes \*n. 1006 cardinales sunt species atomæ, sed quædam sunt subalternæ, ut temperantia et justitia.

1088 Unde S. Thomas<sup>2</sup> non debuit specificare de principiis formalibus in specie atoma, vel subalterna, sed quatenus conducunt ad dividendum et distinguendum bonum rationis seu bonum morale per aliquas rationes principales et quasi fundamentales aliarum, sive aliquæ illarum sint species atomæ, sive subalternæ in ratione habitus et virtutis : in ratione tamen cardinalis et principalis principalitate fundamenti et principii aliarum virtutum istæ quatuor conveniunt, ut in aliis dubiis explicatum\* est. \*n. 1023 sq., 1035

1089 XXXIX. — **Ad id quod objicitur contra secundam\* probationem, dicimus** ex eo quod sunt quatuor \*n. 1074 potentiaæ susceptivæ virtutum non\* probari quod solum \*n. 1085 quatuor sint virtutes, quæ in illis subjectantur : plures enim esse possunt in qualibet vi.

1090 Sic efficaciter probat D. Thomas quod si sunt quatuor potentiaæ susceptivæ virtutum, quarum quælibet habet suam

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 2.

principalem aut difficiliorem materiam intra lineam virtutis moralis et humanæ\*, oportet etiam quod sint quatuor \*n. 1000 virtutes eandem principalitatem respicientes ; an vero sint plures quam quatuor, vel etiam aliæ virtutes principales dici debeant, non probavit ex hac præcisa ratione in hoc articulo<sup>1</sup>, sed in sequenti<sup>2</sup>, ex rationibus allatis a nobis in superioribus dubiis, præsertim in secundo\*, et iterum \*n. 1023 sq. nunc\* attingendis. \*n. 1094 sq.

o

1091 XL. — **Ad tertiam difficultatem, respondimus** in secundo\* dubio, quomodo aliæ virtutes, licet sint principales \*n. 1023 sq. quoad nobilitatem vel perfectionem aliquam, non tamen quoad rationem cardinalis : ad hoc enim non sufficit quæcumque principalitas, sed illa quæ in virtutibus præbet fundamentum\* et quasi firmitatem pro aliis materiis virtutum, ita quod motus voluntatis in illis materiis prioribus fundatur et versatur, sicut motus ostii in cardine, ut ibi\* \*n. 1029 sq. ex D. Thoma<sup>3</sup> explicavimus. \*n. 1023 sqq.

1092 Et ad replicas\* contra istam solutionem, *respondetur* \*n. 1076 sq. etiam ex dictis.

1093 Ad illud de prudentia\* jam diximus† quod illa est \*n. 1078 principalis et cardinalis ex parte rationis regulantis, eo quod †n. 1037 sq. ostium per quod fit motus ad bonum rationis non est solum in vi cognoscitiva, sed etiam in volitiva et appetitiva, quia etiam istæ sunt capaces virtutum moralium, et ideo oportet

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 2.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 3.

<sup>3</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 2 et 4.

in eis firmari quasi cardinem per quem fiat motus iste in bonum : sicque non solum in ratione, sed etiam in appetitu voluntatis et sensitivo debet dari cardinalis virtus, licet inter cardinales virtutes major et principalior sit prudentia, ut dicit S. Thomas, hic articulo secundo ad primum <sup>1</sup>, quæ omnes regulat et dirigit.

1094 XLI. — Ad id quod dicitur\* de aliis virtutibus, ut humilitate, religione, etc., quod etiam præbent fundamentales et priores materias in virtutibus, *jam respondimus supra\** dubio secundo, ex D. Thoma in III, dist. XXXIII, quæstione secunda <sup>2</sup>, art. I, q. IV, in solutione argumentorum. \*n. 1079  
\*n. 1023 sqq.

1095 Quod istæ virtutes, *aut non sunt primæ* ex parte suæ materiæ et motivi, quia supponunt\* alias priores, sicut religio reddit cultum debitum Deo per actus aliarum virtutum, quibus Deus colitur ; et humilitas removet superbiam, quæ insidiatur <sup>3</sup> bonis operibus ne pereant ; non autem habent materiam ad quam aliarum virtutum materiæ reducantur, et sic in ea motus aliarum virtutum firmentur, quod pertinet ad virtutem cardinalem, ut ubi dicit D. Thomas <sup>4</sup> ad tertium. \*n. 1035

1096 *Aut si sunt primæ* inter alias virtutes, non sunt primæ in linea et ordine virtutum, sed tamquam dispositiones quædam ad illas, et velut via imperfecta ad perfectum, non tamquam præbentes firmitatem aliis, eo quod materia circa quam versantur firmior et difficilior est aliis, eaque superata, reliquæ facilius superantur, et hoc requiritur ad virtutem

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>o</sup>, q. 61, a. 2 ad 1.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33 q. 2, a. 1, q. 4 ad 2, 3, 4, 5.

<sup>3</sup> Cf. S. August., *Epist. CCXI De Reg.* (PL 33, 960).

<sup>4</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 4 ad 3.

cardinalem quod ratione suæ firmitatis facilitet et firmet\* \*n. 1100  
alias, sicut cardo firmat et faciliat motum ostii.

1097 Continentia\* autem præcedere potest temperantiam, non ut virtus perfecta et firma, sed ut dispositio ad temperandum passiones. De quo videri potest S. Thomas, 2-2, quæstione CLV <sup>1</sup>, articulo IV. \*n. 1079

1098 Timor\* si sit servilis non est virtus, sed dispositio ad virtutes et ad pœnitentiam : si sit filialis est donum Spiritus Sancti, quod est supra virtutes cardinales et morales, et proximum theologicis. \*n. 1079

1099 XLII. — Quod vero dicitur\* non esse majorem rationem cur istæ dicantur cardinales, et non aliæ, quæ sunt principaliores in nobilitate, *diximus* ex D. Thoma <sup>2</sup> dubio secundo\* quod principalitas cardinalis in virtutibus non sumitur ex principalitate simpliciter et in nobilitate seu perfectione, sed ex principalitate fundante et firmante ex parte suæ materiæ alias virtutes quæ moventur erga finem, et sic versantur circa media, sicut motus ostii per quod fit ingressus ad ulteriora domus firmatur\* in cardine. \*n. 1080  
\*n. 1023 sqq.  
\*n. 1033, 1096, 1105

1100 Unde ab ista principalitate cardinalitia excluditur <sup>3</sup> *tam* principalitas virtutum quæ versantur circa finem, ut theologicæ\*, quia per eas non movetur animus ad ulteriorem finem, sed quiescit in fine, *quam* principalitas aliquarum virtutum moralium, quæ licet habeant nobiliorem materiam, \*n. 1026

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-II<sup>o</sup>, q. 155, a. 4.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 2 et 4.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *De Virt. in Comm.*, a. 12 ad 24.

non tamen ita primam et fundamentalem quod per reductionem ad eam firmentur\* et fundentur aliæ : sicut ex eo quod quis est fortis contra pericula mortis, fortior erit contra alia minora pericula ; et ex eo quod temperatur circa vehementissimas\* delectationes tactus, etiam circa minores refrænabitur.

o

1101 XLIII. — Ad ultimum\*, respondetur ex D. Thoma citato\* loco ex tertio *Sententiarum*<sup>1</sup>, quæstione prima ad tertium, et quæstione tertia ad quartum, quod principalitas virtutum non ex eodem capite sumitur ex quo principalitas vitii.

1102 Nam vitia habent principalitatem secundum id quod magis movet et allicit avertendo a rectitudine rationis : hoc autem magis attenditur ubi viget plus delectationis vel utilitatis quam ex alio capite, et sic dantur aliqua vitia capitalia, quæ non opponuntur virtutibus cardinalibus, quia in eis magis relucet vis allicitiva et est impetuosior inclinatio, ut in ira, accidia, superbia, etc. Nec mirum quod sint inter contraria ex parte unius extremi plura quam ex alio, quia ubi unum extremum est malum et defectuosum pluribus<sup>2</sup> modis contingit deficere quam rectificari.

1103 At vero principalitas virtutum non sumitur penes allicientiam avertendi a ratione, sed penes firmitatem contra difficultates, et hæc invenitur principaliter in quatuor materiis pertinentibus ad quatuor potentias\* capaces virtutum.

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 1 ad 3 ; q. 3 ad 4.

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Metaph.*, I, cap. 5 (986 a 22) ; *Ethic.*, II, cap. 5 (1106 b 30).

1104 Nec tamen oportet quod si vitia capitalia sumuntur ex parte finis\*, etiam virtutes principales seu cardinales inde sumantur, quia ut citato\* loco docet D. Thomas<sup>1</sup>, quæstiuncula prima ad tertium : « Perfectio seu principalitas peccatorum non est per ordinem ad finem, sed magis per aversionem a fine debito. Unde motus peccatorum non assimilantur ostio, per quod intratur in domum. Et ideo peccata principalia non assimilantur cardini, unde non dicuntur cardinalia, sed capitalia tantum ». Ita D. Thomas.

1105 Virtutes ergo non solum debent dici principales ratione finis in quo quiescunt, sed etiam ratione motus erga media per quæ tendunt ad finem, et firmitas in isto motu est principalitas cardinalis. Vitia autem principaliter dicuntur ex aversione a fine, non ex firmitate circa motum ad media. Et ideo principalia vitia dicuntur capitalia, denominatione sumpta a capite quod est finis\* ; non autem cardinalia denominatione sumpta a cardine, qui firmat\* motum ostii.

★ ★ ★

#### VIRTUTES POLITICÆ, PURGATORIÆ, PURGATI ANIMI ET EXEMPLARES QUOMODO DIFFERUNT

1106 XLIV. — Cardinales virtutes divisit S. Thomas in hæc quatuor genera, ita quod in qualibet cardinali virtute inveniuntur ista quatuor genera virtutum, quæ S. Thomas desumpsit ex doctrina Platoniorum, scilicet ex Plotino<sup>2</sup> et Macrobio<sup>3</sup>, ut refert in hac quæstione LXI<sup>4</sup>, articulo V.

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, q. 1 ad 3.

<sup>2</sup> Cf. *Ennead.*, Lib. II, cap. 2-7.

<sup>3</sup> Cf. *In Somn. Scipion.*, Lib. I, cap. 6 et 8.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5.

\* \*

- 1107 Et quidem virtutes cardinales exemplares\* sunt istæ <sup>\*n. 1149 sqq.</sup> virtutes prout inveniuntur in Deo, in quo est exemplar et idea omnium virtutum, ideoque illæ virtutes non sunt humanæ, sed divinæ, longeque differunt a nostris, scilicet plusquam specie. Sunt tamen exemplar et idea nostrarum virtutum quæ in nobis sunt, per imitationem enim divinæ justitiæ sumus justi, et per imitationem perfectionis divinæ, perfecti, juxta illud Matth. V<sup>1</sup>: *Estote . . . perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.*

\* \*

- 1108 XLV. — Unde omissis virtutibus exemplaribus quæ in Deo sunt, et loquendo de participatis et humanis quæ in nobis sunt, inveniuntur in illis illa tria genera seu divisiones, scilicet politicæ, purgatoriae, et purgati animi, de quibus aliqui disputant, *an* essentialiter differant et dividant genus virtutis; *an* solum accidentaliter et penes diversos status ejusdem virtutis.
- 1109 Quod dependet ex uno puncto, videlicet, an inveniatur in istis virtutibus diversa materia et objectum. Nam stante eodem objecto, non possunt essentialiter differre, quia principium diversæ specificationis et quidditatis in habitibus et actibus est objectum.

◊

<sup>1</sup> Mat. 5, 48.

- 1110 XLVI. — Et quidem inter virtutes purgatorias et purgati animi vix sunt qui essentiam<sup>1</sup> et specificam differentiam constituent, sed diversos gradus, penes magis vel minus perfectum recessum et abstractionem a passionibus.
- 1111 Inter virtutes autem politicas et purgati animi, aliqui\* <sup>\*n. 1143 sq.</sup> inveniunt differentiam entitativam et essentialem, eo quod politica virtus se habet ut virtus communis, seu communiter usitata inter homines, virtus autem purgati animi videtur idem esse quod virtus heroica, quæ non solum gradu aut formalitate, sed etiam objecto differunt, eo quod virtus heroica est aliquid altius virtute, ut dixit<sup>2</sup> Aristoteles\*, <sup>\*n. 1144</sup> sicut feritas est aliquid deterius vitio crudelitatis. Et suffragatur ratio\*, quia virtus politica utitur rebus tempo- <sup>\*n. 1145</sup>ralibus moderate; virtus autem purgatoria et purgati animi abstrahit se et recedit a temporalibus. Ergo differunt ex parte objecti; ergo essentialiter.
- 1112 **Et hoc constat\*** ex D. Thoma in hac quæstione LXI<sup>3</sup>, <sup>\*n. 1146</sup> art. V, ubi diversos actus et objecta his virtutibus assignat, dicens quod « distinguuntur istæ virtutes secundum diversitatem motus et termini ». Et ita assignat prudentiæ purgatoriae quod omnia mundana divinorum contemplatione despiciat; prudentiæ vero purgati animi quod sola divina intueatur; temperantia vero terrenas cupiditates nesciat; fortitudo passiones ignoret: quod certe nec temperantia\* <sup>\*n. 1119</sup> nec fortitudo politica et communiter dicta exercere valent.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum: essentialem.

<sup>2</sup> *Ethic.*, VII, cap. 1 (1145 a 20 sq.).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5.

1113 XLVII. — **Et confirmatur\***, quia magnificentia et liberalitas, castitas et virginitas sunt virtutes distinctæ, ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. CXXXIV, et quæst. CLI, non alia ratione nisi quia liberalitas est circa moderatos sumptus, magnificentia circa magnos; castitas admittit aliquem\* usum veneris saltem in matrimonio, virginitas nullum\*; ergo pari ratione virtutes politicæ quæ moderate utuntur rebus temporalibus, et purgatoriæ, quæ illas totaliter relinquunt, diversæ virtutes erunt.

\* \*

1114 XLVIII. — **NIHILOMINUS rectius Cajetanus<sup>1</sup> dixit** (quem communiter sequuntur Thomistæ) **has tres virtutes, politicas, purgatorias, et purgati animi, non esse virtutes diversas, sed diversos status\* ejusdem virtutis secundum diversas perfectiones, sicut pueritia, adolescentia et virilitas non faciunt diversos homines, sed diversos status ejusdem hominis.**

◊

1115 XLIX. — Pro cujus intelligentia, notandum est quod in virtutibus istis cardinalibus possumus attendere duo.

1116 **Primum\***, est effectus quem faciunt seu operantur, scilicet relinquere passiones moderatas\* et compositas ad regulam rationis.

1117 **Secundum\***, est motivum ex quo aliquis inclinatur et movetur ad istas passiones sic moderandas, aliquando

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5, n. 1 (Comment.).

enim non potest ex inferiori motivo aut ex proprio talis virtutis eas componere, sed indiget superiori dono Spiritus Sancti, aut motivo altioris virtutis.

1118 **Si attendamus ad primum, diximus** quod ex parte effectus, qui est moderari passiones, non differunt essentialiter virtutes politicæ et purgatoriæ, sed secundum diversos status majoris vel minoris perfectionis in domandis passionibus: quod enim aliquis moderate utatur rebus temporalibus, vel moderatas habeat passiones, aut totaliter illas nesciat et relinquat, non variat objectum formale neque quidditatem virtutis.

1119 Nam constat quod temperantia et aliæ virtutes cardinales acquisitæ ejusdem speciei et rationis fuerunt in statu innocentiae in Adam, et postea in statu naturæ corruptæ, et modo in nobis, et postea in beatis, et in Christo, et in B. Virgine, et tamen in statu innocentiae et beatitudinis, in Christo et B. Virgine fuerunt et sunt istæ virtutes sine fomite et sine ullo remorsu passionum, atque adeo ibi est nescientia talium passionum, quas tamen nos scimus et sentimus, et virtutes politicæ illas componunt et moderate illis utuntur.

1120 Ergo si<sup>1</sup> virtutes cardinales etiam politicæ et communes, quæ in nobis sunt, remanebunt in beatitudine, fuerunt in statu innocentiae sine ullo fomite et cum nescientia passionum; ergo ratione istius non mutatur essentia istarum virtutum, sed status: alioquin virtutes istæ non remanerent in patria quantum ad suam essentiam et rationem formalem,

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur: sic.

contra id quod docet S. Thomas infra\*, quæst. LXVII<sup>1</sup>, \*n. 1809 sq.  
art. 1, licet quantum ad aliquid materiale, quod pertinet  
ad exercitium et usum rerum temporalium, ibi non maneat.  
Ergo signum est quod ista totalis abstractio\* passionum aut \*n. 1122  
rerum temporalium, vel moderatus earum usus, non variat  
essentiam virtutum, sed statum.

1121 L. — Cæterum, si in istis virtutibus varietur **motivum**\* \*n. 1117  
et formalis ratio, quia videlicet ad effectus illos tam perfectos  
faciendos utitur quis superiori motivo, tunc distinguuntur  
istæ virtutes politicæ et purgatoriae, non\* præcise qua tales \*n. 1127  
sunt, sed ratione diversi motivi et formalis rationis ibi  
concurrentis: *ut quando* aliquis ad abjiciendum omnem  
amorem temporalium utitur motivo divinæ contemplationis  
et amoris, qui omnem illum affectum exsiccat\* et destruit; \*n. 1139  
*vel quando* ad vincendas passiones sensualitatis utitur  
motivo divini timoris, juxta illud *Psal. CXVI*<sup>2</sup>: *Confige*  
*timore tuo carnes meas*; *vel* ad dirigendum prudentialiter  
res humanas utitur superiori instinctu, et consulit rationes  
per donum consilii.

1122 Tales virtutes purgatoriae aut purgati animi, quæ ex  
diverso et superiori motivo purgant et moderantur passiones  
usque ad totalem abstractionem\*, diversæ specie erunt a \*n. 1120  
virtutibus politicis et communi modo procedentibus.

1123 LI. — Itaque passiones et usus rerum temporalium  
possunt perfecte evacuari et moderari.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

<sup>2</sup> *Ps.* 118, 120.

1124 *Vel*\* intra limites ejusdem rationis formalis qua operatur \*n. 1126  
virtus communis et politica, quia scilicet crescente inten-  
tione<sup>1</sup> et perfectione talis virtutis abundantius passiones  
ipsas diminuit et moderatur.

1125 *Vel*\* procedendo ex alio motivo superiori et fortiori, \*n. 1127  
ratione cujus excellentius passiones moderatur.

1126 Si *primo*\* modo fiat, eadem virtus quæ est politica \*n. 1124  
est purgatoria, aut purgati animi, et solum differt penes  
diversos gradus\* et perfectiones ejusdem virtutis. \*n. 1114, 1118

1127 *Secundo*\* modo, est diversa virtus, non† præcise quia \*n. 1125  
purgatoria vel politica, hoc enim etiam exerceri potest per †n. 1121  
eamdem\* virtutem non mutato motivo sed crescente affectu, \*n. 1126  
sed quatenus est altior et elevatior virtus ex parte sui  
formalis motivi.

1128 Exemplum\* est in virginitate et castitate, liberalitate \*n. 1113  
et magnificentia.

1129 Nam virginitas non est specialis virtus a castitate  
distincta per hoc solum quod de facto ab omni venere  
abstinet\*, etiam a matrimoniali, ad hoc enim sufficit castitas \*n. 1113  
ipsa, quæ sic temperare potest subjectum ut nullam appetat  
venerem. Tunc autem virginitas est specialis\* virtus di- \*n. 408, 949  
distincta a castitate, quando non solum nullam appetit vene-  
rem, sed etiam omnem reddit illicitam, etiam matrimonia-  
lem, hoc enim castitas ex solo suo formali motivo tempe-

<sup>1</sup> Ita Vivès : forsan legendum : intensione.

rantiæ facere non potest, cum ex natura rei usus matrimonialis veneris licitus sit, sed oportet altiori motivo inniti, scilicet religionis et voti, quo aliquis virginitatem consecret Deo, et sic reddat illicitum etiam matrimonium. Et tunc virginitas est virtus specialis.

1130 Similiter liberalitas\* expendit pecunias moderate ratione communicationis amicabile et socialis, et potest etiam magnam quantitatem ex hoc motivo expendere, ut patet, quia aliquando declinat in prodigalitatem quæ liberalitati opponitur, neque ad hoc indiget virtute magnificentiæ, sed quod affectus ipse liberalitatis crescat\*.

\*n. 1113

\*n. 1124

1131 Cæterum si respiciatur magnitudo sumptuum, non in ratione debiti amicabile, sed in ratione ardui habentis difficultates vincendas, sic non a liberalitate respicitur, sed a magnificentia.

○

1132 LII. — **Quod si inquiras\***, an virtutes istæ superiores, quæ dicuntur purgatoriæ aut purgati animi, quando mutant motivum\* et distinctæ virtutes sunt, debeant esse supernaturales; an intra virtutes naturalis ordinis maneant.

\*n. 1133

\*n. 1117, 1125

1133 LIII. — **Respondetur\*** quod etiam in ipsis virtutibus moralibus infusis supernaturalibus possunt distingui isti gradus virtutis politicæ et purgatoriæ, non quidem politicæ secundum finem naturalem: hæc enim quæ solum politiam naturalem respicit non excedit limites virtutis acquisitæ. Virtus autem infusa moralis respicit finem supernaturalem, et in eo etiam habet suam politiam secundum communica-

tionem bonorum supernaturalium, tamquam: *Cives sanctorum, et domestici Dei*<sup>1</sup>.

1134 Cæterum etiam in hac supernaturali communicatione et politia sunt gradus, quia non omnes habent istas virtutes supernaturales in gradu heroico et excellenti, sed in modo ordinario, ut patet in pueris aut recenter baptizatis adultis, qui recipiunt virtutes infusas, nec tamen statim omnes se exercent in illis cum totali abstractione\* a rebus temporalibus, etiam ex fine supernaturali. Compatitur ergo supernaturalis finis et virtutes infusæ statum virtutis imperfectæ et magis perfectæ, politicæ et purgatoriæ, etiam intra illam lineam et genus supernaturalitatis.

\*n. 1120, 1122

1135 LIV. — Quare in utroque genere et linea potest virtus reddi heroica aut purgatoria, ex aliquo motivo\* diverso excellentiori intra talem lineam naturalem, vel supernaturalem.

\*n. 1117

1136 Potest etiam\* reddi virtus sic perfecta et heroica ex mutatione motivi, transeundo de motivo naturali ad supernaturale.

\*n. 1139

1137 *Primo\* modo*, virtus inferior et politica accipit motivum diversum excellentius et superius, ratione alicujus virtutis superioris imperantis, ut si aliquis temperate comedit propter tuendam salutem, quod est motivum inferius et pertinens ad virtutem politicam, temperantius et rigidius jejundet ex pœnitentia aut religione, aut alia virtute superiori, etiam ordinis naturalis si virtus inferior sit naturalis ordinis.

\*n. 1135

<sup>1</sup> Eph. 2, 19.

- 1138 Et proportionabiliter idem dicendum est in linea et genere virtutum infusarum, in quibus inferior potest dirigi et ordinari ex imperio superioris, et tunc mutat motivum, et redditur species diversa virtutis purgatoriae seu heroicæ præ politica et communi, ratione virtutis superioris adjunctæ et imperantis : hæc enim est distinctæ speciei, et consequenter ejus influxus in inferiorem cui imperat.
- 1139 LV. — *Secundo\* modo*, potest hoc fieri, quatenus ille qui operatur modo communi et politice ex fine naturali et virtute acquisita, potest ad alium modum et motivum superius transire ut majores effectus habeat, scilicet operando ex virtute supernaturali, vel ex dono\* Spiritus Sancti, sicut qui solum servat temperantiam quantum exigitur ad conservandam salutem corporalem, vel ne vilescat apud homines, et ideo moderate utitur rebus sensualibus, potest ex timore\* Spiritus Sancti etiam omnes delectationes carnis fugere, juxta illud *Ps. CXVIII* <sup>1</sup> : *Confige timore tuo carnes meas* ; et iterum <sup>2</sup> : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Eo quod illud altius motivum divinum non solum carnis delectationes componit, sed quasi ventus urens arefacit\* (sicut dicitur, *Exod. XIV* <sup>3</sup> : quod Deus abstulit mare stante <sup>4</sup> vento vehementi et urente tota nocte, sic timor Dei aufert turbulentum mare passionum), et quasi spiritus vehemens conterit omnem sublimitatem sæculi in timore et dolore, juxta illud *Ps. XLVII* <sup>5</sup> : *Tremor apprehendit eos ; ibi dolores ut parturientis : in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*.

<sup>1</sup> *Ps.* 118, 120.

<sup>2</sup> *Ps.* 31, 4.

<sup>3</sup> *Exod.* 14, 21.

<sup>4</sup> Vulgata : *stante*.

<sup>5</sup> *Ps.* 47, 7-8.

- 1140 Et denique juventutis ardores immittente Deo manum quasi in vetustatem et adustionem redigunt pellem et carnem et ossa, juxta illud prophetæ *Threnor. III* <sup>1</sup> : *Tantum in me vertit et convertit manum suam : . . . Vetustam fecit pellem meam . . . contrivit ossa mea*.
- 1141 Quo etiam respiciebat vox sponsæ dicentis : *Dilectus meus misit manum suam per foramen* (hoc est per angustum introitum timoris), *et venter meus intremuit ad tactum ejus. Cant. V* <sup>2</sup>.
- 1142 Si ergo dicantur virtutes heroicæ vel purgatoriae, quæ effectus istos perfectiores et extraordinarios faciunt ubi altiori motivo divino vel supernaturali, tales virtutes distinctæ erunt a politicis et communibus, et pertinere possunt ad virtutes infusas et dona Spiritus Sancti, secundum altius et excellens motivum operantis.
- \* \*
- 1143 LVI. — Et hinc patet **ad fundamenta opposita\***. \*n. 1111 sq.
- 1144 Aristoteles\* enim distinxit virtutem heroicam ab humana, et dixit esse aliquid altius virtute : *vel* ratione effectuum\*, quia facit effectus altiores virtute communiter dicta ; *vel* ratione altioris motivi\*, et tunc est distincta virtus. Quæ apud D. Thomam et apud nos erit virtus infusa, aut donum Spiritus Sancti, apud Aristotelem, qui has virtutes non agnovit, erit aliquis instinctus, quo mentes nostras

<sup>1</sup> *Thren.* 3, 3-4.

<sup>2</sup> *Cant.* 5, 4.



aliquando duci, etiam Aristoteles et gentiles agnoverunt, ut in suis vatibus cum arripiebantur.

1145 LVII. — **Ad rationem\***, constat ex dictis quod ille <sup>\*n. 1111</sup> diversus usus rerum temporalium non postulat diversam virtutem specificè, nisi\* proveniat ex diverso motivo formali. <sup>\*n. 1123 sq.</sup>

1146 Illi vero actus quos assignat\* D. Thomas<sup>1</sup> prudentiæ <sup>\*n. 1112</sup> et temperantiæ et justitiæ, quando sunt virtutes politicæ, vel quando sunt purgatoriæ, *dicimus* quod illi actus etiam eidem virtuti quæ politica est convenire possunt secundum majorem et perfectiorem gradum intra limites ejusdem motivi et rationis formalis, nam etiam prudentia acquisita intuetur divina et consulit rationes æternas, quantum ex effectibus naturalibus colligi potest : et quando<sup>2</sup> ad solas istas rationes intuetur despiciens alia mundana et prudentia purgati animi, sed eadem\* cum prudentia acquisita. <sup>\*n. 1124</sup>

1147 Si vero per fidem reguletur, et altiori motivo ex divinis rationibus consilium accipiat, erit distincta\* species, scilicet <sup>\*n. 1121</sup> prudentia infusa, vel donum consilii.

1148 LVIII. — **Ad confirmationem\*** de virginitate et magnificentia, *constat* ex dictis\*. <sup>\*n. 1113</sup> <sup>\*n. 1128 sq.</sup>

\* \*

1149 LIX. — **An vero virtutes exemplares\***, quales sunt in <sup>\*n. 1107-1108</sup> Deo vel in Angelis, sint vere et formaliter virtutes cardinales,

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5.

<sup>2</sup> forsân intelligendum : aliquando.

verbi gratia, an sit formaliter temperantia in Angelis, fortitudo vel justitia.

o

1150 Aliqui affirmant cum Scoto<sup>1</sup>, in III, dist. XXXIII. Contra quem agit Cajetanus<sup>2</sup>, hic art. V, Medina<sup>3</sup>, Martinez<sup>4</sup>, et alii.

1151 **Fundantur\***, quia potest Angelus<sup>5</sup>, et sollicitat† me <sup>\*n. 1162 sq.</sup> ad actum temperantiæ, et dæmon ad actum lasciviæ ; ergo <sup>†n. 1163</sup> ille actus in Angelo erit temperantiæ, et in dæmone sensualitatis.

1152 *Patet consequentia*, quia homo sollicitatus eligit illum actum per temperantiam vel intemperantiam ; ergo et Angelus sollicitans per eandem virtutem illud vult mihi, quia\* per hoc quod est me velle mihi, vel alterum velle <sup>\*n. 1164</sup> mihi, non variatur bonum.

1153 **Et confirmatur\***, quia Angelus potest habere voluntatem conditionatam refrænandi passiones si sibi convenirent, sicut in statu innocentia\* homo habebat voluntatem continendi, si passiones rebellarent, et pœnitendi, si in illo statu posset peccare, et beati eosdem actus volitionis in cœlo, et hoc sufficit<sup>6</sup> ut retineant virtutes istas, etiam pro illo

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 33, q. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 450-452.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5, n. 2-4 (Comment.).

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5.

<sup>4</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5.

<sup>5</sup> Ita Vivès. Legi potest ex dicendis infra (n. 1163) : quia potest Angelus bonus ex charitate moveri ad persuadendam castitatem.

<sup>6</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

statu ; ergo etiam in Angelis sufficiet talis volitio conditio-  
nata ut in aliis ponantur istæ virtutes.

◊

1154 LX. — NIHILOMINUS oppositum dicendum est.

Et D. Thomas, in hoc articulo quinto <sup>1</sup> in argumento primo et ejus solutione, approbat dictum Philosophi dicentis in decimo *Ethicorum* <sup>2</sup>, cap. VIII, ridiculum esse ponere in Deo temperantiam, fortitudinem et justitiam, scilicet, prout sunt in nobis circa concupiscentias, aut timores, aut venditiones et emptiones.

1155 Et infra, quæst. LXVII <sup>3</sup>, art. I ad tertium, dicit quod in anima separata\* ante resurrectionem non erunt virtutes quæ sunt circa passiones *formaliter*, quia non sunt in ea vires sensitivæ, sed solum *radicaliter*, quatenus in mente sunt seminaria\* virtutum. Ergo Angeli, qui sunt spiritus incapaces virium sensitivarum, non habent istas virtutes. \*n. 430, 1827 \*n. 594, 613

1156 LXI. — *Et ratio est manifesta*, quia deest in Angelis essentialis et specifica materia circa quam versantur istæ virtutes, scilicet passiones sensitivæ moderandæ, sicut deficiente possibilitate soni aut coloris deficit visus et auditus.

1157 Nam de justitia potest esse alia ratio et de prudentia, quia istæ virtutes essentialiter non <sup>4</sup> versantur circa actiones

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 5 ad 1.

<sup>2</sup> *Ethic.*, X, cap. 8 (1178 b 10-23).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1 ad 3.

<sup>4</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : *non solum*.

materiales, verbi gratia, circa emptiones et venditiones, sed etiam circa spirituales actiones versari possunt, sicut possunt fieri pacta inter spirituales substantias, et possunt esse merita et præmia, qua pertinent ad justitiam distributivam. Prudentia etiam potest dirigere actiones spirituales voluntatis.

1158 Cæterum temperantia et fortitudo, et aliæ quæ versantur circa passiones moderandas, non possunt esse in Angelis, qui talium passionum incapaces\* sunt. Unde sicut impossibile est Angelum comedere aut coire <sup>1</sup> vera comestione aut coitu, ita impossibile est temperate comedere aut coire ; ergo non sunt capaces temperantiæ aut alterius virtutis moderativæ passionum *formaliter* loquendo et essentialiter, sicut carent essentiali materia et objecto harum virtutum. \*n. 1155

1159 LXII. — Quare licet verum sit quod virtutes istæ moderativæ passionum possint habere diversum\* statum, sicut in statu beatitudinis et innocentia et in statu peccati, hoc ideo est quia ipsa materia suscipere potest diversum statum : aliter enim se habent passiones in statu corruptionis, aliter in statu innocentia et beatitudinis, sed tamen in omni statu passiones dantur, licet diverso modo dispositæ, et ideo semper possunt esse virtutes in omnibus istis statibus, licet diverso modo actus eliciant. \*n. 1119

1160 Cæterum si omnino excludantur passiones, ita quod nullum statum habeant, nulla remanet capacitas virtutum, quia totaliter earum materia et possibilitas ejus tollitur pro quocumque statu.

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 51, a. 3 ad 6.

- 1161 Nec sufficit actus conditionatus\* circa materiam im- \*n. 1153, 1165  
possibilem, quia virtus directe et per se est habitus electivus<sup>1</sup>;  
ergo respicit electionem; ergo non actum conditionatum:  
electio enim non<sup>2</sup> est impossibilem, etiam sub conditione;  
sed conditionata voluntas circa rem impossibilem neque  
efficax est, neque electio, quia electio ordinatur ad usum  
et ad assecutionem. Non ergo pro conditionatis actibus  
circa res impossibiles directe et per se datur electio; ergo  
neque habitus electivus; ergo neque virtus.

o

- 1162 LXIII. — Unde **solvuntur opposita\* fundamenta.** \*n. 1151 sq.

- 1163 *Ad primum\**, negatur consequentia. Non enim solli- \*n. 1151  
citat et instigat dæmon ad illud peccatum per modum  
complicis in illo, sed ratione odii<sup>3</sup> erga nos, ex quo movetur  
ad suggerendum<sup>4</sup> peccatum quod ipse non<sup>5</sup> potest perpe-  
trare. Et Angelus bonus ex charitate\* movetur ad persua- \*n. 1165  
dendum castitatem, quam ipse exercere non valet. Sicut  
e contra nos per actum religionis rogamus Deum ut faciat  
aliquid quod non per religionem sed per misericordiam Deus  
facturus est. Et sic bene potest sollicitatus facere per unam  
virtutem quod sollicitans proponit per aliam.

- 1164 Et illa differentia\* per velle mihi vel tibi non distinguit \*n. 1152  
actum, per hoc præcise et materialiter, *transeat*; per hoc  
ut ortum ex diversis motivis et rationibus formalibus, *nego*:

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, III, cap. 5 (1113 a 13).

<sup>3</sup> Cf. I *Pet.* 5, 8.

<sup>4</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 55, a. 1 ad 3.

<sup>5</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 73, a. 5 ad 2; *Supplem.*, q. 71, a. 5 ad 4.

sicut velle mihi bonum per concupiscentiam fundat spem,  
et velle alteri bonum per amicitiam fundat charitatem,  
quæ sunt diversæ speciei.

- 1165 LXIV. — **Ad confirmationem\***, *respondetur* illam vo- \*n. 1153  
luntatem conditionatam\* in subjecto habente impossibili- \*n. 1153, 1161  
tatem ad materiam talis actus non exigere virtutem specia-  
lem, quia talis actus est incapax\* quod fit electio, nec in \*n. 1161  
illo eliciendo est specialis difficultas, sed sufficienter redu-  
citur ille actus ad generalem voluntatem bene operandi,  
vel ad charitatem\*, quæ se extendit ad omne bonum si \*n. 1163  
posset propter Deum.

- 1166 Homo autem in statu innocentia\* et in statu beatitu- \*n. 1153  
dinis non est incapax materiae virtutum, scilicet passionum,  
licet non cum perturbatione sicut nos, sed omnino sedatas  
habet illas, utpote carendo fomite. Et sic potest habere  
rectam electionem eliciendi passiones seu actus illos appetitus  
sensitivi omnino sedatos, ut sunt in illo statu, et compo-  
nendi illos si turbarentur pro alio statu, quia omnium capax  
est. Et ideo formale harum virtutum, quod est recta  
voluntas seu electio circa id quod materiale est in his passio-  
nibus, perfectissime manet\* in patria, ut docet S. Thomas \*n. 1819 sq.  
infra quæst. LXVII<sup>1</sup>, articulo primo.

- 1167 Et idem a fortiori est de statu innocentia, licet pro  
utroque statu non sit possibilis talis passio immoderata.

- 1168 LXV. — **Et cum dicit** S. Thomas, I *Part.*, quæstione  
XCV<sup>2</sup>, art. III, quod virtutes quæ important aut suppo-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 95, a. 3.

nunt aliquod malum in subjecto non erant in statu innocentiae secundum actum sed secundum habitum, ut poenitentia, quae est dolor de peccato commisso : in illo autem statu neque erat dolor, neque supponebatur peccatum, erat tamen homo sic dispositus ut si peccatum praecessisset doleret.

- 1169 *Respondemus\** quod iste habitus in isto statu non poterat habere illum actum doloris *formaliter*, et in hoc vere dicit D. Thomas, nec enim formaliter et in actu poterat in illo statu dolere de peccato commisso, sicut neque beati in caelo dolent de peccatis. Quia tamen ratione naturae, licet non ratione status, sunt capaces illius actus, possunt illae virtutes alium actum habere, scilicet electionem, imo et gaudium de dolore peccatorum habito, vel possibili haberi (possibile enim electio est), si tamen impossibile sit materia, ut in Angelis passiones, in Christo peccatum, impossibile redditur talium electio, atque adeo et virtus electiva, cum electio non\* sit impossibile. \*n. 1168  
\*n. 1161

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, III, cap. 5 (1113 a 13).

## ARTICULUS VII

### AN VIRTUTES MORALES INFUSÆ DENTUR IN NOBIS?

- 1170 I. — Esse aliquas virtutes nobis infusas\* negari nullo modo potest, cum constet ex Concilio Tridentino <sup>1</sup>, sessione VI, capite VII, fidem, spem et charitatem infusas esse, cum dicit quod : « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur : fidem, spem et charitatem ». \*n. 928, 953  
†n. 1684
- 1171 Quæ verba fortius et expressius ostendunt fidem, spem et charitatem esse aliquid infusum et habituale quam id quod aliqui id <sup>2</sup> volunt probare ex Concilio, scilicet, quia definit nos justificari per aliquid inhærens et creatum.
- 1172 Sed nos non innitimur solum his verbis, sed istis aliis quæ adduximus <sup>3</sup>, quæ expressiora sunt, quia non loquuntur solum de forma justificante, sed de virtutibus theologicis, fide, spe et charitate, nec solum dicunt esse quid inhærens, sed infusum.
- ◊
- 1173 Esse autem habitus, non dicit clare Concilium, sed deducitur per consequentiam necessariam : *tum* quia loqui-

<sup>1</sup> *Conc. Trident.*, sess. 6, cap. 7 (Denz. 800).

<sup>2</sup> Ita Vivès. Videtur omittendum *ly id*.

<sup>3</sup> Ita Vivès : forsan legendum : adducimus (Cf. n. 1194).

tur de omni justificatione, etiam parvulorum, in quibus constat non esse actus, sed habitus; *tum* etiam quia loquendo de adultis, non omnes eliciunt actum charitatis cum justificantur, et tamen infunditur\* eis charitas cum remissione peccatorum; ergo est habitus; *tum* quia actus proprie non infunditur, sed elicitur; ergo sumendo *ly* infusa in proprietate sermonis, pro habitu debet accipi, non pro actu. Sed tamen hoc de habitu non ita exprimitur in Concilio, sicut aliud de infuso, et ideo certius est in Concilio has virtutes theologicas esse infusas quam esse habituales.

★ ★ ★

1174 II. — **DIFFICULTAS EST** de virtutibus moralibus infusis, an dentur in nobis præter theologicas.

1175 De his enim expresse loquitur S. Thomas in hac quæst. LXIII<sup>1</sup>, art. III.

○

1176 In quo tenuit **partem negativam\*** Durandus<sup>2</sup> in III, dist. XXXIII, quæst. VI, et Henricus<sup>3</sup>, *Quodlibeto* VI, quæst. XII, Gabriel<sup>4</sup>, in IV, dist. IV, quæst. I, art. II, concl. VIII et art. III, dubio III; in eadem ut probabiliorum inclinatur Scotus<sup>5</sup>, in III, dist. XXXVI, quæst. I § *Contra hoc est*.

○

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3.

<sup>2</sup> In *III Sent.*, dist. 33, q. 6.

<sup>3</sup> *Quodlib.*, quodl. 6, q. 12.

<sup>4</sup> In *IV Sent.*, dist. 4, q. 1, a. 2, concl. 8; a. 3, dub. 3.

<sup>5</sup> In *III Sent.*, dist. 36, q. 1, n. 28, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 701.

1177 **Oppositum** tenet S. Thomas<sup>1</sup>, in hac quæst. LXIII, art. III, et consentiunt communiter ejus discipuli, et fere omnes theologi, etiam extra ejus scholam, quos referunt in præsentī Lorca<sup>2</sup>, super hunc locum, disp. XVII, Montanos<sup>3</sup> disp. XXXVIII, quæst. IV, numer. CXV, Martinez<sup>4</sup>, dubio primo super eundem articulum.

1178 Et aliqui censurant oppositam\* sententiam. Medina<sup>5</sup> \*n. 1176 quidem hic, et quæstione LI, art. IV, tamquam valde temerariam, et de aliquibus virtutibus, ut pœnitentia\*, \*n. 1204 [sq. continentia et prudentia esse contra fidem expresse; Martinez<sup>6</sup> autem quod sit temerarium absolute eas negare, de aliquibus autem virtutibus, proximum errori, ut de prædictis.

★ ★ ★

1179 III. — **NIHILOMINUS DICENDUM EST cum communi auctorum sententia dari\*** quidem has virtutes morales infusas, distinctas a virtutibus theologicas et donis Spiritus Sancti; non\* tamen eas negare est dignum censura certa et indubitabili<sup>7</sup>, neque cum magno fundamento adstrui posse loquendo de omnibus virtutibus: nam de aliqua statim\* exceptio- nem ponemus. \*n. 1210 sqq. \*n. 1181 sq. \*n. 1199 sq.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, disp. 17.

<sup>3</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3, disp. 38, q. 4, num. 115.

<sup>4</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3, dub. 1.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3; q. 51, a. 4.

<sup>6</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3, dub. 1.

<sup>7</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia, q. 1, disp. 2, a. 4, n. 6, I (Solesm.), p. 358.

1180 Unde neque D. Thomas<sup>1</sup> censura aliqua illam sententiam inussit, neque Cajetanus<sup>2</sup>, licet alleget pro se auctoritatem Concilii Viennensis<sup>3</sup>, in Clementina<sup>4</sup> unica, de *Summa Trinitate*.

\* \*

1181 IV. — Et ut incipiamus ab ista **ultima\* parte** conclusionis, sciendum est quod de virtutibus moralibus fit quidem mentio in Sacra Scriptura et Patribus: inde enim acceperunt scholastici numerum quatuor virtutum cardinalium. Sed quod sit duplex ordo et linea virtutum moralium, ita quod aliæ sint infusæ, aliæ acquisitæ, de quo est præsens difficultas, vix loquuntur, aut solum tali modo quod *probabiliter* possit ex eis deduci quod dentur istæ virtutes morales infusæ. \*n. 1179

1182 Nam aliqua loca solum loquuntur de virtutibus in genere\*, ut cum dicitur<sup>5</sup>: *Dominus virtutum*. — Et qui *operatur virtutes in vobis*<sup>6</sup>, ad *Gal.*<sup>7</sup> III. — Et<sup>8</sup> *in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis*<sup>9</sup> ejus. \*n. 1185

1183 Aliquando specialiter loquuntur de aliquibus virtutibus seu donis quæ a Deo tribuuntur, ut de sapientia et scientia

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 3.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 3, n. 3 (Comment.).

<sup>3</sup> Ex Constit. *De Summa Trinitate et fide Catholica* (1312). (Denz. 483).

<sup>4</sup> C. unic., de *Summa Trinitate*, I, 1, in Clem. (RF II, 1134).

<sup>5</sup> *Ps.* 23, 10.

<sup>6</sup> *Vivès: nobis*.

<sup>7</sup> *Gal.* 3, 5.

<sup>8</sup> *Col.* 1, 11.

<sup>9</sup> *Vivès: virtutis*.

et consilio, et de fortitudine quæ de cælo<sup>1</sup> est, et de timore et continentia, et similibus.

1184 Sed quod istæ virtutes sint morales infusæ, distinctæ a donis Spiritus Sancti et virtutibus theologicis, *in hoc est difficultas*. Nam fortitudo etiam est donum Spiritus Sancti, et consilium, et sapientia, et scientia. Continentia autem a Deo<sup>2</sup> est quantum ad victoriam perfectam tentationum, non autem constat quod etiam quantum ad habitum infusum.

1185 V. — Et D. Augustinus, cum dicit super *Psalmum CXVIII*, concione XXVI<sup>3</sup>, ad illa verba<sup>4</sup>: *Feci iudicium et justitiam*, quod justitia est virtus animi, quam Deus in nobis operatur, licet actus ejus a nobis sit; et iterum<sup>5</sup> de omni virtute, dicit quod: « Est qualitas bona mentis, . . . quam Deus in nobis sine nobis operatur », non expresse et distincte loquitur de moralibus virtutibus, sed *vel* generaliter\* de virtutibus infusis, quæcumque illæ sint, *vel* de justitia, non ut est specialis virtus moralis, sed ut generalis\* est in omni virtute quæ facit iudicium, hoc est opus justum et bonum. \*n. 1182 \*n. 983

1186 Et dato quod loqueretur de justitia quæ est specialis et cardinalis virtus, et illam infusam poneret, non inde sequitur omnes virtutes morales infusas dari.

<sup>1</sup> Cf. *I Mac.* 3, 19.

<sup>2</sup> Cf. *Gal.* 5, 23.

<sup>3</sup> *Enarr. in Psalm.*, ps. CXVIII, serm. 26, super vers. 121 (PL 37, 1577): non verbotenus citatur.

<sup>4</sup> *Ps.* 118, 121.

<sup>5</sup> *De Lib. Arb.*, Lib. II, cap. 19 (PL 32, 1268).

1187 Nam de aliquibus specialiter, ut de pœnitentia, statim\* \*n. 1205  
dicemus quanta certitudine tenendum sit quod sint infusæ.

1188 Denique ille locus\* Sap. VIII<sup>1</sup> : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem*, etc., probabiliter quidem ostendit has virtutes esse infusas ; sed non certo, nec\* sub \*n. 1178  
censura<sup>2</sup>, quia intelligi potest de virtutibus cardinalibus acquisitis, aut de aliquibus earum actibus qui exercentur per dona Spiritus Sancti.

o

1189 VI. — Superest vero examinare, an in Concilio Vientiensi\*, et in capite *Majores*<sup>3</sup> *de baptismo* inveniatur aliqua \*n. 1180,  
definitio vel determinatio, ratione cujus possit oppositum 1196 sq.  
censurari.

1190 Et quidem in illo textu in capite *Majores*\* (quod non \*n. 1189  
est desumptum ex Concilio Lateranensi, ut aliqui male putant, sed est rescriptum<sup>4</sup> Innocentii III ad Archiepiscopum Arelatensem), solum tractatur illa quæstio, *an* in baptismo infundatur gratia et virtutes, *an vero* solum fiat remissio peccatorum : in quo diversi doctores contrarie sentiebant : omnes tamen videbantur supponere quod gratia et virtutes, etiam præter fidem et charitatem, erant infusæ, sed negabant infundi parvulis in baptismo, quia non nisi consentientibus possunt infundi : parvuli autem

<sup>1</sup> Sap. 8, 7.

<sup>2</sup> Vivès : mensura.

<sup>3</sup> C. 3, X, *de baptismo et ejus effectu*, III, 42 (RF II, 644). Cf. Denz. 410.

<sup>4</sup> Ex. ep. *Majores Ecclesiæ causas* ad Ymbertum archiepisc. Arelatensem, sub finem 1201.

consensu carent. Non ergo absolute negabant infundi virtutes, sed negabant infundi non consentientibus.

1191 Et sic controversia cum ipsis non erat circa hoc an darentur vel non darentur virtutes infusæ, sed de conditione requisita ad infusionem, scilicet quod subjectum consentiat.

1192 Hoc autem ex ipso textu manifeste constat, ubi de hac opinione sic inquit : « Asserunt enim parvulis inutiliter baptisma conferri : quod nituntur probare, illud primo et præcipue inducentes quod cum secundum verbum Jacobi<sup>1</sup> Apostoli dicentis in epistola sua : *Charitas operit multitudinem peccatorum*, et juxta illud testimonium<sup>2</sup> veritatis in Evangelio de peccatrice, quæ ipsius pedes laverat, perhibentis : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam multum dilexit* : non nisi per charitatem et in charitate crimina dimittantur, parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, et charitatem non habent : quæ sentientibus et consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in Baptismo. »

1193 Hæc erat sententia istorum auctorum, non quod charitas et aliæ virtutes non infunderentur : de hoc enim nulla fuit quæstio apud ipsos, neque ad Pontificem delata, sed supponendo quod virtutes infundebantur, dicebant ad earum infusionem requiri consensum voluntatis, et quia hic parvulis deest, negabant ipsis virtutes infundi.

1194 Nec inter has virtutes solas theologicas, sed etiam alias enumerabant, ut patet in illis verbis, quæ in calce textus\* \*n. 1190

<sup>1</sup> Jac. 5, 20. — Cf. I Pet. 4, 8.

<sup>2</sup> Luc. 7, 47.

ponuntur : « Istud vero quod opposites inducunt, fidem aut charitatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur, etc. »

- 1195 Ubi constat istos oppositos auctores non solum locutos fuisse de theologicis, quales sunt fides et charitas, sed etiam de aliis virtutibus, quæ non possunt esse nisi morales.
- 1196 VII. — Cum ergo in isto Innocentii rescripto\*, nihil circa illas duas opiniones\* de infusione gratiæ et virtutum in baptismo fuerit resolutum, iterum de utraque tractatum est in Concilio Viennensi\*, et determinavit Concilium opinionem illam quæ affirmat parvulis et adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabilior, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam esse eligendam.
- 1197 Ubi Concilium directe approbat opinionem illam, quam indecisam reliquit Innocentius III, quæ opinio dicit in baptismo infundi etiam parvulis gratiam et virtutes, et cum parvulis non\* possint infundi virtutes quantum ad actum, restat quod quantum ad habitum infundantur, quod etiam expresse illa opinio dicebat, ut ibidem refertur.
- 1198 VIII. — Cæterum licet hæc opinio supponeret dari virtutes infusas, et apud rescriptum Innocentii expresserit hæc opinio se loqui de fide et charitate, aliisque virtutibus, sub quo nomine videntur\* includi virtutes morales, tamen approbatio Concilii Viennensis\* non æque omnia illa complectitur et super ea cadit, sed tantum eligit hanc opinionem secundam, quæ dicit conferri in baptismo tam parvulis

\*n. 1190

\*n. 1191

\*n. 1180, 1189

\*n. 1173

\*n. 1195

\*n. 1180, 1189,  
1196

quam adultis informantem gratiam et virtutes. Ubi approbavit hanc opinionem quantum ad infusionem virtutum, loquendo *in genere\**, non specificando et distinguendo morales et theologicas. \*n. 1203

- 1199 Erit ergo non solum minus probabile, sed etiam minus consonum dictis sanctorum, affirmare non infundi virtutes absolute loquendo et in communi ; non infundi vero morales *in speciali\**, nihil ad approbationem Concilii spectat. \*n. 1202
- 1200 Et licet hæc opinio, ut fuit relata in rescripto\* Innocentii, mentionem fecerit fidei et charitatis, et aliarum virtutum, tamen ibi nihil\* Innocentius determinatur<sup>1</sup>, postea vero Clemens V, in Concilio Viennensi, non approbavit illam opinionem quoad omnia specialiter, sed solum quod infunderentur in baptismo virtutes et gratia, etiam parvulis, sed non voluit exprimere individualiter quænam essent istæ virtutes, relinquens hoc theologicæ disputationi.
- 1201 Et sic ex istis decisionibus, nihil censurabile\* certo et indubitate deducitur quoad istas virtutes *in speciali\**. \*n. 1178, 1180,  
1188  
\*n. 1199

◊

- 1202 IX. — Solum ergo ex Concilio Tridentino (ut supra\* retulimus) deducitur aliquas virtutes *in speciali* infundi, scilicet theologicas, fidem, spem et charitatem. Et hoc, cum ita expressum sit in Concilio, pertinet ad dogma\* fidei. \*n. 1170
- 1203 De virtutibus autem moralibus ibi nihil dixit, loquendo de omnibus *generaliter\**. \*n. 1684  
\*n. 1199

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : determinat.



- 1204 Sed tamen de aliqua virtute morali, scilicet pœnitentia, etiam ita proxime deducitur debere esse infusam ex doctrina Concilii, ut existimem de hac morali virtute non posse sine censura\* negari quod sit virtus infusa, itaque **existimo** ad \*n. 1180, 1188 minus esse proximum errori negare quod virtus pœnitentiæ (et hæc moralis est) sit virtus infusa.
- 1205 **Patet**, quia per proximam et immediatam consequentiam deducitur ex doctrina Concilii. Nam ex Concilio constat actum pœnitentiæ esse supernaturalem\* per se et \*n. 1206 sq. quoad speciem, sicut actus credendi et sperandi; ergo necessario debet procedere a principio et habitu supernaturali; ergo ab infuso, quia quod supernaturale est non potest esse acquisitum, sed infusum, cum sit donum divinum et ipsius Dei in aliquo facientis nos consortes<sup>1</sup> et participes.
- 1206 Primum antecedens\* est *tum* ex sessione VI, canone \*n. 1205 III<sup>2</sup>: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare et diligere, et pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit ». Ubi actus credendi, sperandi et diligendi eodem jure supernaturalitatis censentur atque actus pœnitendi, quia ad omnes æqualiter requiritur adjutorium et inspiratio Spiritus Sancti, quod supernaturale aliquid in Conciliis designat: quæ enim naturalia sunt, viribus propriis acquiruntur, non gratia Spiritus Sancti.
- 1207 X. — *Tum\** etiam quia, loquens de actu pœnitentiæ, \*n. 1206 qui est attritio, et non formatur charitate, dicit in sessione

<sup>1</sup> Cf. II Pet. 1, 4.

<sup>2</sup> Conc. Trident., sess. 6, can. 3 (Denz. 813).

- XIV<sup>1</sup>, capite IV, etiam: « Donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. » Ubi Concilium loquitur de actu pœnitentiæ, ut distinguitur a charitate, quia loquitur de illo qui nondum formatur charitate, et supernaturalem esse fatetur, quia dicit esse donum et impulsus Spiritus Sancti, atque ad justitiam parare viam, quia est dispositio\* ad justificationem, quod totum supernaturale est. \*n. 1578
- 1208 Consequentia\* vero est nota, quia actus per se et ex \*n. 1205 sua substantia supernaturalis petit principium ex sua specie supernaturale; ergo et infusum, quia supernaturalis habitus non acquiritur: nec minus infusionem postulat quam alii habitus supernaturales fidei et charitatis et spei.
- 1209 XI. — Hæc de censura circa opinionem negantem\* has \*n. 1176 virtutes infusas.
- \* \*
- 1210 XII. — Veniamus ad **fundamentum conclusionis\*** \*n. 1179 positæ, et sententiæ D. Thomæ quam tribus rationibus confirmo.
- 1211 **Primo\***, ex similitudine virtutis pœnitentiæ ad alias \*n. 1214 sq. virtutes morales.
- 1212 **Secundo\***, ex argumento *Sed contra*<sup>2</sup> D. Thomæ, \*n. 1223 sq. adducentis locum illum Scripturæ<sup>3</sup>: *Sobrietatem et prudentiam docet*, etc.

<sup>1</sup> Conc. Trident., sess. 14, cap. 4 (Denz. 898).

<sup>2</sup> Sum. Theol., I<sup>a</sup>-II<sup>a</sup>, q. 63, a. 3 *Sed contra*.

<sup>3</sup> Sap. 8, 7.

1213 **Tertio\***, ex ipsa ratione propria et exigentia charitatis, \*n. 1227 sq. quæ versatur circa ultimum finem, et exigit electiones mediorum, conformes et proportionatas illi ordini in quo talem finem attingit, scilicet in ordine supernaturali in quo assequendus est.

o

1214 XIII. — **Primum\* fundamentum** sic propono : Da- \*n. 1211 tur pœnitentia, quæ est supernaturalis\* et infusa, et non \*n. 1206-7 est virtus theologica\*, nec intellectualis†, sed moralis ; ergo \*n. 1216 sq. etiam dantur\* aliæ virtutes morales infusæ seu supernaturales. †n. 1219 \*n. 1220

1215 **Major\*** constat ex dictis et probatione deducta† ex \*n. 1214 Concilio Tridentino allegato, nec enim efficacius probari †n. 1206 potest quod aliqua virtus sit supernaturalis quam ex eo quod proprius ejus actus sit supernaturalis, et Concilium docet actum illum pœnitendi et attritionem\* supernaturalem \*n. 1207 esse, ut vidimus ; ergo et virtus ipsa supernaturalis est.

1216 **Minor\*** etiam est certa, quia pœnitentia non est aliqua \*n. 1214 ex tribus virtutibus theologis, fide, spe et charitate, et ipsum pœnitere numeratur a Concilio ut quartus actus a credere, sperare et diligere, ut patet in sessione VI <sup>1</sup> citata\*, \*n. 1206 capite <sup>2</sup> III.

1217 Et a fortiori, quia actus attritionis, qui non est charitate formatus, atque adeo non elicitur a charitate, est actus supernaturalis, ut colligitur ex verbis Concilii citati\*, sess. \*n. 1207 XIV, cap. IV ; ergo et pœnitentia, quæ est virtus elicitive illius.

<sup>1</sup> *Conc. Trident.*, sess. 6, can. 3 (Denz. 813).

<sup>2</sup> Ita Vivès. Reversa : canone.

1218 Unde in hoc actu attritionis et virtute elicente illam, non potest Vazquez dicere quod est actus virtutis theologicæ, sicut dicit de contritione, quam putat esse actum charitatis <sup>1</sup>, non virtutis moralis pœnitentiæ, sic disputatione LXXXIV <sup>2</sup>. Sed hoc etiam falsum est : eo tamen dato, nos non urgemus argumentum in isto actu, sed in attritione, quam Vazquez negare non potest non esse actum charitatis, sed alterius virtutis.

1219 Nec est intellectualis\*, quia non residet in intellectu, \*n. 1214 sed in voluntate, siquidem actus proprius pœnitentiæ, qui est contritio vel attritio, definitur quod est dolor de peccatis, ut patet in Concilio Tridentino, sessione XIV, cap. IV, dolor autem non est actus intellectus, sed appetitus, sicut nec gaudium, seu delectatio, quæ est ejus oppositum. Est ergo virtus moralis, et ad voluntatem spectans.

1220 XIV. — **Consequentia\*** vero argumenti facti probatur, \*n. 1214 quia non stat quod in virtutibus moralibus detur una ordinis supernaturalis, et non aliæ, cum omnes virtutes sint connexæ\*, et saltem ista virtus moralis pœnitentiæ \*n. 1436-1578 debet dirigi a prudentia, quia omnis <sup>3</sup> virtus moralis a prudentia accipit regulam\*, et non potest virtus illa moralis \*n. 202 supernaturalis dirigi a prudentia ordinis naturalis, nam regula quæ imponitur tali virtuti supernaturalis esse debet, cum formalis ratio virtutis juxta regulam qua tendit in objectum desumatur, siquidem specificativum illius est objectum prout regulatum sic a ratione ; ergo non potest

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIIa, q. 85, a. 2 ad 1.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, disp. 84. — Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIa, q. 113, disp. 27, a. 1, n. 4, VI (Vivès), p. 867.

<sup>3</sup> Vivès : omnes.

objectum specificum virtutis pœnitentiæ esse supernaturale, et regula directiva illius qua constituitur hoc specificum in<sup>1</sup> esse naturalis ordinis.

1221 Est ergo evidens consequentia, quod si admitti debet una virtus moralis infusa, etiam prudentia infusa debet admitti. Et sic jam habemus duas virtutes morales infusas, scilicet pœnitentiam et prudentiam.

1222 XV. — Ex hoc autem deducitur etiam alias omnes virtutes debere poni infusas : *tum* quia, si aliquæ ponuntur, non est ratio cur aliæ non ponantur : omnes enim inter se connexæ sunt ; *tum* quia prudentia non potest rectum dictamen habere circa media, nisi supponat\* rectam intentionem circa finem, siquidem rectitudo mediorum ex intentione dependet. Non potest autem intentio esse recta, nisi circa omnes materias quibus potest deficere sit rectificata, imo aliquando ex defectu unius materiæ redundat defectus in aliam, sicut qui est defectuosus in timoribus, si occurrerit timor in materia castitatis vel justitiæ, etiam istam derelinquet\* pro evadendo timore ; unde non potest esse perfecte prudens, si circa omnes materias non sit rectificatus. Ergo ut si prudens supernaturali prudentia debet supponere rectificationem supernaturalem in omnibus materiis moralibus, et intentionem rectam supernaturalem in omnibus illis materiis, quod est omnes virtutes morales supernaturales habere, cum illæ sint quæ rectificant intentionem et electionem voluntatis in illis determinatis materiis, verbi gratia, temperantiæ, fortitudinis, etc.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum videtur : ... hoc specificum esse naturalis ordinis.



1223 XVI. — **Secundum\* fundamentum** sic propono : \*n. 1212

Nam Scriptura, *Sapientiæ*<sup>1</sup> VIII, ubi loquitur de istis quatuor virtutibus cardinalibus, sobrietate\* (id est, temperantia), prudentia, et virtute (id est, fortitudine), attribuit eas infusioni divinæ. \*975

1224 Loquens enim de divina sapientia (de qua in illo capite<sup>2</sup> fit sermo), ei attribuit docere has virtutes, dum inquit<sup>3</sup> : *Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Si ergo sapientia divina est quæ docet prudentiam et temperantiam, etc., ergo non acquirit homo istas virtutes labore et industria sua, sed beneficio et doctrina divinæ sapientiæ ; ergo ex infusione.

1225 Et sic oportet fateri quod dentur virtutes temperantiæ et prudentiæ, etc., habitæ ex divina infusione (quidquid sit an etiam sint similes virtutes acquisitæ), quia quod docente Deo habetur, non labore et industria propria dicitur acquisitum. Hæc<sup>4</sup> enim ratione significatur in Scriptura id quod habetur ex divina infusione, quia scilicet docetur a Deo, ita quod pro eodem reputetur docere et infundere, quia revera Deus non docet solum proponendo objecta et explicando, sicut faciunt homines, sed infundendo intus lumen, et sic dicitur I *Joan*<sup>5</sup> II : *Et non necesse habetis*

<sup>1</sup> *Sap.* 8, 7.

<sup>2</sup> *Sap.* 8.

<sup>3</sup> *Sap.* 8, 7.

<sup>4</sup> Videtur legendum : Hac.

<sup>5</sup> I *Joan.* 2, 27.

*ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.*

- 1226 Unde fit argumentum : Id quod docet divina unctio est aliquid infusum, et non acquisitum labore humano ; sed dantur virtutes morales, quas docet sapientia divina, scilicet sobrietas, prudentia, justitia et fortitudo ; ergo dantur virtutes morales infusæ. Et sic efficax est probatio adducta a D. Thoma in argumento <sup>1</sup> *Sed contra*.



- 1227 XVII. — **Tertium\* fundamentum** proponitur sic : \*n. 1213  
Nam in homine dantur virtutes infusæ et supernaturales circa amorem et intentionem finis ; ergo etiam debent dari virtutes supernaturales et infusæ circa electionem et amorem mediorum.

- 1228 *Antecedens* non\* potest negari salva fide, cum ex ea \*n. 1170, 1202  
constet dari virtutes theologicas, quæ tum intellectum, tum voluntatem uniunt immediate Deo ut fini ultimo, præsertim charitas, quæ amat ipsum super omnia ; ergo per virtutes infusas et supernaturales dirigitur homo in finem supernaturalem, et rectificatur circa illum, siquidem justificatur.

- 1229 *Consequentia* vero probatur, quia rectificatio debet fieri non solum in ordine ad finem in se, sed etiam in ordine ad media, siquidem si vitientur media, non recte appetitur finis, et rursum finis non diligitur nisi ut assequendus utique per media. Debet autem finis supernaturalis assequi per

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3 *Sed contra*.

media etiam et electiones supernaturales ; ergo si supernaturali modo et per virtutes infusas rectificatur homo circa finem, etiam supernaturali modo et per virtutes infusas debet rectificari homo circa electiones.

- 1230 XVIII. — **Et confirmatur**, quia in ordine naturali non rectificatur homo sufficienter per syndæresim et voluntatem ultimi finis, sed etiam per virtutes acquisitas, quæ ponunt rectificationem circa electiones mediorum, sine quibus non potest dici rectificatus homo simpliciter, eo quod rectificatio hominis non est solum in diligendo fine, sed etiam in assequendo, et finis qui intenditur ut assequendus per prava media vitiatur, et vitiat voluntatem, et sic oportet talem voluntatem ut recta sit, non solum rectificari per ordinem ad finem, sed etiam per ordinem ad media, quod fit per electiones, et istæ per habitus electivos, qui sunt virtutes\*.

\*n. 265, 1161



- 1231 XIX. — **Nec potest dici** cum Vazquez quod virtutes non versantur circa media, sed circa proprios fines.

- 1232 **Respondetur** enim quod si sunt habitus electivi <sup>1</sup> circa media versari debent, quia electio est de mediis <sup>2</sup>. Sed tamen illa media etiam possunt habere rationem finis proximi\*, qui tamen subordinatur fini ultimo, circa quem \*n. 1476, 1739  
non versantur virtutes morales, sed theologales, aut in ordine naturali, voluntas seu intentio finis, et tamen in ordine naturali requiruntur\* virtutes morales ut rectificent \*n. 1230

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, IV, cap. 3 (1111 b 26 sq.).

electiones mediorum. Ergo similiter in ordine supernaturali non sufficit rectificari hominem circa amorem finis supernaturalis, sed etiam circa amorem mediorum, quod fit per electionem, quæ utique debet esse per electionem mediorum ejusdem ordinis et proportionis cum illo fine; ergo supernaturalem; ergo debent electiones esse actus supernaturales, et consequenter procedere ab habitu electivo supernaturali, qui est virtus moralis supernaturalis et infusa.

1233 XX. — **Nec sufficit\* dicere** quod ad hoc sufficiunt virtutes morales acquisitæ cum imperio et directione theologialium, quæ sunt circa finem supernaturalem: inde enim possunt elevari virtutes acquisitæ ad attingendum media supernaturalia, vel modo supernaturali, sicut qui facit eleemosynam ex charitate, sufficienter ab illo imperio supernaturalis virtutis movetur virtus misericordiæ ad dandam eleemosynam modo supernaturali. \*n. 1235 sq.

1234 **Vel secundo sufficient\*** ad hujusmodi electiones supernaturales dona Spiritus Sancti quæ correspondent virtutibus moralibus, ut donum fortitudinis virtuti fortitudinis, donum pietatis justitiæ et religioni, donum consilii prudentiæ, donum timoris temperantiæ, quia timore Dei configitur<sup>1</sup> caro. Ergo superflue ponuntur virtutes morales infusæ, distinctæ a donis. \*n. 1243 sq.

1235 XXI. — Sed **prima\* solutio** nihil obstat. \*n. 1233

1236 *Tum primo*, quia virtutes acquisitæ non sunt in omnibus, nec facile acquiruntur, sed multo tempore et labore; vita

<sup>1</sup> Cf. Ps. 118, 120.

autem christiana proponitur omnibus ut communis, etiam non multum exercitatis, eo quod: *Deus*<sup>1</sup> *vult omnes homines salvos fieri*, et omnibus viam salutis proponit<sup>2</sup>; ergo etiam ante acquisitas longo studio virtutes, oportet alias infundi a Deo, quæ communiter omnibus adesse possunt ad consequendam vitam æternam.

1237 *Tum secundo*, quia virtutes dantur ad vincendas difficultates, et ubi specialis est difficultas, debet poni specialis et distincta virtus; constat autem speciales difficultates offerri in materiis virtutum, verbi gratia, temperantiæ, fortitudinis, etc., quando solum secundum finem politicum\* tractandæ sunt, aut secundum ordinem ad finem vitæ æternæ et secundum supernaturalem inclinationem: hæc enim est arduitas maxima et supra humanas vires. Ergo oportet distinctas virtutes ponere in uno ordine, atque in alio. \*n. 1121, 1126 sq.

1238 XXII. — *Tum tertio*, quia non potest connaturali modo supernaturalis et christiana vita dirigi imperando virtutibus alterius ordinis inferioris, scilicet naturalis et acquisiti, et carendo propriis et connaturalibus mediis ad rectificandam et dirigendam vitam supernaturalem et christianam.

1239 Vel enim supernaturalis vita habet intra suum ordinem supernaturalem sufficientia media et principia ad ordinandum omnes actiones humanæ vitæ supernaturaliter, vel non.

1240 Si non habet, insufficientior<sup>3</sup> est vita politica et naturalis ordinis, quæ habet sufficientia principia ad sui rectificatio-

<sup>1</sup> *I Tim.* 2, 4.

<sup>2</sup> Cf. *Ezech.* 18, 23; *II Tim.* 2, 25; *II Pet.* 3, 9.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 110, a. 2.

nem et directionem, scilicet virtutes acquisitas : vita autem supernaturalis caret illis, debetque id supplere per virtutes acquisitas et naturales, quæ sunt ordinis inferioris.

1241 *Tum quarto*, quia charitas non potest imperare et imponere modum supernaturalem virtutibus acquisitis, nisi media aliqua regulatione prudentiali proponente id per intellectum et imperante : proprie enim imperium est actus intellectus et prudentiæ\*. Non potest autem prudentia acquisita imponere modum prudentialem seu regulationem moralem supernaturalis ordinis, cum sit prudentia inferioris ordinis ; ergo debet esse prudentia supernaturalis\* et infusa ; hæc autem est virtus moralis ; ergo debet dari aliqua virtus moralis infusa. \*n. 470, 497 \*n. 1220 sq.

1242 Et eadem ratione debent poni aliæ\*, quia prudentia connexa est cum virtutibus moralibus, et ab eis dependet prout rectam intentionem faciunt in suis materiis, et virtutes morales dependent a prudentia ut constituyente illis medium determinatum et rectum hic et nunc. \*n. 1222

1243 XXIII. — **Contra secundam\* autem solutionem** instatur, quia dona Spiritus Sancti non ponuntur ad operandum juxta regulas humanas, etiam supernaturales, sed juxta regulam et mensuram divinam, etiam supra modum ordinarium humanum. Et sic proprie dona Spiritus Sancti dantur ad operandum ex instinctu peculiari, juxta illud *Romanorum VIII* <sup>1</sup> : *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* \*n. 1234

<sup>1</sup> Rom. 8, 14.

1244 Qui instinctus etiam valde rudibus <sup>1</sup> aliquando datur, qui operantur ex quadam connaturalitate et experientia divinorum. Connaturalizari autem animam nostram divinis, et ex tali connaturalitate et experientia seu unione operari, excedit modum virtutis etiam supernaturalis in moralibus, quia morales virtutes non operantur via unitiva, seu connaturalizatione divinorum, sed via illuminata, juxta lumen rationis supernaturaliter quidem elevatum a fide, sed tamen ostendente et regulante actiones modo humano, non connaturalizatione divina.

1245 De quo amplius dicemus in ultima disputatione <sup>2</sup> de donis.



#### SOLVUNTUR ARGUMENTA

1246 XXIV. — **Primo objicitur\*** : Virtutes istæ morales infusæ videntur ex una parte superfluæ\*, ex altera impossibiles\*, loquendo de illis ut essentialiter distinctis ab acquisitis circa materias morales, et a donis Spiritus Sancti. \*n. 1261 sq. \*n. 1248 \*n. 1252

1247 Ex alia vero parte inconvenienter\* ponuntur, et nulla experientia constat ipsas dari ; ergo non sunt ponendæ. \*n. 1256



1248 **Quod sint superfluæ\***, constat ex proxime dictis, nam quidquid faciunt istæ virtutes morales infusæ possunt facere \*n. 1246

<sup>1</sup> Cf. D. August., *De Genesi ad Litt.*, Lib. II, cap. 17, n. 37 (PL 34, 278).

<sup>2</sup> Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 68, disp. 18, a. 2, n. 17-66, VI (Vivès), p. 587-603.

<sup>3</sup> Vivès : multa.

acquisitæ cum imperio\* charitatis, vel dona Spiritus Sancti \*n. 1233-1234  
pro extraordinariis actibus.

1249 Possunt enim actus virtutum acquirarum referri in  
finem supernaturalem, et esse meritorii ex imperio charitatis,  
et ex supernaturali fine regulari per fidem\*, quæ eminenter \*n. 1263  
est practica<sup>1</sup>, et sic non est opus prudentia infusa.

1250 Similiter rectificari potest homo sine istis virtutibus  
per solas theologicas\*, et dona Spiritus Sancti, quæ sunt \*n. 1265  
in omni homine justo.

1251 Dicere autem quod ponuntur istæ virtutes ut homo  
operetur actus supernaturales quoad substantiam in materiis  
moralibus, hoc est *petere principium*, quia de hoc ipso  
dubitatur ad quid requirantur isti actus quoad substantiam  
supernaturales.



1252 XXV. — Imo hinc probatur secundum\*, scilicet quod \*n. 1266  
sint **impossibiles**\* istæ virtutes, nam *vel* distinguuntur \*n. 1246  
specie ab acquisitis ita ut sint quoad substantiam infusæ,  
*vel non*.

1253 *Si non sunt distinctæ speciei*, sed ejusdem speciei cum  
acquisitis, nihil dicimus, nec ponimus virtutes supernaturales  
et infusas per se, sed per accidens, quia alias acquiri poterant,  
et per accidens est quod infundantur, et istæ non sunt  
aliæ virtutes quam acquisitæ seu ordinis naturalis, atque

<sup>1</sup> Cf. *Gal.* 5, 6 — Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 68, disp.  
18, a. 5, n. 11, VI (Vivès), p. 659.

adeo ex hoc quod infundantur non probavimus quod dentur  
virtutes morales supernaturales et per se infusæ.

1254 *Si sunt distinctæ speciei* ab acquisitis, ergo habent  
distinctum objectum et distinctam materiam, alias si circa  
eamdem\* materiam et idem objectum versantur, quomodo \*n. 1267  
sunt distinctæ speciei, et quem effectum distinctum ponit  
in passionibus temperantia acquisita et temperantia infusa :  
quod enim hæc ordinetur ad finem supernaturalem, illa  
ad naturalem, non\* variat speciem actus, quia iste ordo \*n. 1273  
non est ad objectum quod est finis operis et specificat actum,  
sed ad finem ultimum, qui actum non specificat, sed extrin-  
secus est ordo ejus ad speciem actus.

1255 Si autem habent istæ virtutes infusæ distinctam  
materiam et objectum ab acquisitis ; ergo non erunt virtutes  
morales, quia materia virtutum moralium adæquate\* consistit \*n. 924  
in passionibus, et in operationibus ad alterum.



1256 XXVI. — Denique quod **inconvenienter**\* ponantur, \*n. 1247, 1275,  
et nulla de illis detur experientia, manifestum est, nam  
experientia nihil supernaturalitatis in istis actibus moralibus  
manifestat. 1280

1257 Inconvenienter autem ponuntur, nam *vel* sunt in appe-  
titu sensitivo\*, *vel* in voluntate ; item *vel* in omnibus \*n. 1283 sq.  
justificatis\*, *vel non*. \*n. 1280

1258 In appetitu esse non possunt, quia est potentia mate-  
rialis et corporea, quæ immediate dirigitur a phantasia<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia, q. 81, a. 3, Ia-IIæ, q. 9, a. 1 ad 2 ; q. 30, a. 3 ad 3.

seu imaginativa\*. Hæc autem non potest apprehendere aliquid supernaturale, quia non potest discernere naturale a supernaturali, cum supernaturalis ordo sit elevatior non solum corporali natura, sed etiam spirituali; ergo si non potest imaginativa attingere rem spiritualem, neque supernaturalem poterit; ergo neque appetitus sensitivus poterit objectum supernaturale attingere, quale est objectum istarum virtutum infusarum. \*n. 1285

1259 Similiter in omnibus justificatis\* esse non possunt, quia multi recenter baptizati vel confessi non sentiunt moderatas passiones magis quam ante; ergo signum est non recipere istos habitus infusos moderativos passionum. \*n. 1280

1260 Dicere autem quod aliquibus justificatis infunduntur, non aliis, est *plane sine fundamento*, cum virtutes semper sint connexæ\* cum ipsa charitate; ergo ubicumque est charitas, sunt istæ virtutes. \*n. 1561-1578

\* \*

1261 XXVII. — **Respondetur ad primam\* partem** argumenti ex dictis, cum ostenderit\* has virtutes infusas deberi dari etiam positis acquisitis, præsertim quia connaturale et proprium est cujuscumque rectificationis et ordinationis in finem quod in eo ordine et genere in quo fit rectificatio circa finem, fiat etiam circa media, eo quod ex intentione finis semper fit redundantia ad electiones mediorum, quæ sunt connexæ fini. \*n. 1248 sq. \*n. 1227 sq.

1262 Unde cum constet de fide\* nos rectificari per virtutes theologales infusas, quæ versantur erga finem, oportet\* theologales infusas, quæ versantur erga finem, oportet\* \*n. 1170, 1202 \*n. 1227 sq.

assignare aliquas virtutes per se annexas isti intentioni supernaturali et ex ea redundante; non sunt autem per se illi annexæ virtutes acquisitæ, etiamsi possit illis imperare, quia hoc imperium est vagum et per accidens, nec connaturaliter et proportionate utitur illis, nec secundum exigentiam talis rectificationis supernaturalis. Unde posita rectificatione supernaturali per virtutes theologicas circa finem, est consequens et per se connexum ponere circa electiones mediorum similem rectificationem ejusdem ordinis.

1263 XXVIII. — *Quod vero dicitur* non requiri prudentiam infusam, sed sufficere fidem\* pro directione actuum supernaturalium, *respondetur* non sufficere, quia prudentia utitur discursu pratico et consilio ad invenienda media, fides autem non\* utitur discursu, sed simpliciter credit res divinas, unde fides non potest esse proxima regula applicativa mediorum, sed remota et excellentior. \*n. 1249 \*n. 1570

1264 Argumento etiam est non sufficere fidem pro actibus prudentialibus, quia constat de fide dari inter septem dona Spiritus Sancti, quæ numerantur *Isai. XI*<sup>1</sup>, donum consilii, quod pertinet ad dirigendum prudentialiter actus nostros altiori modo ex instinctu speciali Spiritus Sancti; ergo fides non sufficit dare consilium supernaturaliter; ergo etiam opus erit ponere virtutem prudentiæ infusæ ad regulandas proxime actiones morales supernaturales præter fidem.

1265 *Et cum dicitur\** rectificationem sufficienter fieri per virtutes theologicas, *dicimus* sufficienter fieri per illas virtutes tamquam per principalia principia, et quantum ad funda-

<sup>1</sup> *Is. 11, 2-3.*



mentum et substantiam justificationis, non\* tamquam per principia secundaria et consecuta per se, quæ sunt virtutes rectificantes in eodem ordine supernaturali electiones mediorum, sine quibus non stat recta intentio finis. \*n. 1229

o

1266 XXIX. — Ad secundam\* partem argumenti, dicitur has virtutes morales infusas esse quoad substantiam supernaturales, et versari quidem circa materias morales naturales altiori et sublimiori regulatione et ratione formali quam virtutes acquisitæ. \*n. 1252

1267 Nec valet dicere quod versantur circa eandem\* materiam ut sint ejusdem speciei, si ratio formalis est diversa. \*n. 1254

1268 Et instatur manifeste in ipsis donis Spiritus Sancti, quæ dubitari non potest esse supernaturalia, et tamen aliqua ex illis versantur circa materias morales, sicut donum fortitudinis circa easdem circa quas versatur virtus fortitudinis, et pietas circa easdem circa quas versatur observantia et justitia ad alterum, et donum consilii circa ea circa quæ versatur prudentia. Stat ergo bene quod circa materiam ordinis naturalis versetur aliqua virtus supernaturalis et infusa sub altiori motivo.

1269 Et formalis ista ratio supernaturalis sumitur ex eo quod omnes operationes nostræ possunt fieri in ordine ad vitam æternam consequendam et æternam damnationem vitandam, cum virtutes acquisitæ et politicæ\* solum ad hujus vitæ dispositionem rectam de se ordinentur. \*n. 1111, 1237

1270 Quam differentiam assignat Apostolus I ad Corinth. VIII<sup>1</sup> dicens: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ubi ordo ad accipiendam coronam incorruptam discernit certamen agonis christiani et supernaturalis (qui per omnes virtutes discurrit) ab agone et certamine politico\*<sup>2</sup>, licet hic etiam per virtutem fortitudinis et abstinentiæ ab omnibus exercentur. \*n. 1111, 1269

1271 Et sic subdit<sup>3</sup> Apostolus de castigatione sui corporis (quod ad temperantiam et abstinentiam pertinet): *Castigo corpus meum, et in servitutum redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ubi illud motivum *ne reprobus efficiar* supernaturalizat illam corporis castigationem, quæ per virtutem moralem fit, vel pœnitentiæ, vel temperantiæ.

1272 Itaque virtutes istæ, quæ ex propria et formali ratione sua accipiunt motivum operandi ex participatione virtutis theologicæ, et ejus regulationi subduntur, licet circa materiam passionum aut aliam ordinis naturalis versentur, supernaturali motivo versantur, ex quo sumitur differentia specifica.

1273 XXX. — *Et cum dicitur\** quod ordo ad finem ultimum non variat intrinsecam specificationem actus, quæ solum desumitur ad objectis, *respondetur* quod non sumitur specificatio a fine ultimo immediate et proxime, sed ab objecto seu fine proximo, quod est ipsa materia ut regulata et

<sup>1</sup> I Cor. 9, 25.

<sup>2</sup> Vivès: politico.

<sup>3</sup> I Cor. 9, 27.

mensurata regulis rationis, non quomodocumque, sed elevata<sup>1</sup> ad supernaturalem ordinem et finem. Objectum enim specificum virtutum et bonorum actuum non est materia vel passio nisi prout regulata regulis rationis, et prout regulis subest et moralis redditur, sic specificat actum et habitum moralem, quæ est virtus.

1274 Quare cum non solum finis ultimus, sed etiam objectum proximum seu materia virtutum infusarum sit subjecta regulationi specie diversæ, scilicet regulis supernaturalibus et præceptis supernaturalibus, consequenter in genere morali constituitur objectum specie diversum specificatione morali et ad quidditatem virtutum pertinente.

o

1275 XXXI. — Ad tertiam\* partem argumenti, *respondetur* non minus experiri nos istas virtutes supernaturales (eo modo<sup>2</sup> quo de supernaturalibus potest esse experientia in hac vita) quam experiamur aliquando ipsa dona Spiritus Sancti, æque tamen negare non possumus. \*n. 1256 sq.

1276 Experimur autem virtutes morales infusas ex parte motivi quo movemur aliquando ad bene agendum, non quod semper et in omni tempore experiamur illas, sed aliquando difficultas sentiatur in illarum operatione, imo et aliquando nihil exerceatur de illis, sed sufficit quod aliquando sine dubio experiamur earum operationes.

<sup>1</sup> Vivès : elevate.

<sup>2</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia, q. 23, a. 1 ad 4 ; Ia-IIæ, q. 112, a. 5 ; *De Ver.*, q. 10, a. 10 ad 7.

1277 Nam licet aliquis moveatur aliquando ad continentiam vel ad abinentiam in cibis ex motivo temporali et pertinente ad convictum humanum et modestiam communem, ob quam non vult aliquis tangere uxorem proximi sui, tamen aliquando sentit hoc motivum non sufficere, præsertim in occulto, vel in tentationibus cordis, et inter ipsas passiones recrudescentes et sævientem turbinem tentationum, tuncque confugit ad altius medium, scilicet supernaturale, et cogitat de ardoribus inferni\*, de severitate et abyssio iudiciorum Dei, de amissione beatitudinis, et sic configit timore<sup>1</sup> Dei carnes suas. \*n. 1271

1278 Aliquando vero ex amore Christi Domini ac Virginis gloriosissimæ, et ex cogitatione dolorum crucis ejus absorbet\* omnes tentationes, et allidit<sup>2</sup> parvulos suos ad petram : tunc plane in isto glorioso agone\* plene experitur animus supernaturalitatem et altitudinem motivi, sive in amando, sive in timendo, et sub illa moralitate (quam virtus acquisita non assequitur) refrænât passiones, elicitque actum virtutis infusæ. \*n. 1121, 1139 \*n. 1270

1279 Sicut etiam aliquando sentit anima extraordinario motu ferri in operationes suas : *Et in spiritu vehementi conteres<sup>3</sup> naves Tharsis<sup>4</sup>* (terrenas videlicet et temporales vanitates et insanias<sup>5</sup> falsas), et tunc plane elicit actus donorum, qui virtutibus infusis moralibus superiores sunt, et regulationem habent altiore, ut dicemus disputatione ultima<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *Ps.* 118, 120.

<sup>2</sup> Cf. *Ps.* 136, 9.

<sup>3</sup> Vivès : conterit.

<sup>4</sup> *Ps.* 47, 8.

<sup>5</sup> Cf. *Ps.* 39, 5.

<sup>6</sup> Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 68, disp. 18, a. 2, n. 17-66, VI (Vivès), p. 587-603.

- 1280 XXXII. — *Quod vero dicitur* inconvenienter\* poni has virtutes ex parte subjecti, *dicimus* quod attinet ad personas, omnibus justificatis infundi, quia istæ virtutes connexæ sunt cum charitate, sicut recta electio connexa est recta intentione finis, de quo sequenti disputatione dicitur\*. \*n. 1256  
\*n. 1561-1578
- 1281 Quod vero attinet ad potentias\*, *dicimus* has virtutes in illis potentiis esse in quibus sunt aliæ virtutes morales acquisitæ, scilicet quæ versantur circa passiones et moderantur illas, in appetitu sensitivo, quæ versantur circa operationes, in voluntate, licet aliqui ponant omnes in voluntate propter suam elevationem. \*n. 1257
- 1282 Sed oppositum est verius, quia licet regulatio qua regulantur supernaturalis sit, tamen ipsa entitas actus qui elicitur a tali virtute, si est moderativa passionum, est passio quædam et actus appetitus sensitivi; si moderatur actum voluntatis, est spiritualis et in ipsa voluntate residens. Oportet autem habitum elicivum actus, cujus entitas est corporea et sensibilis, esse in potentia sensitiva, et cujus actus est spiritualis esse in potentia spirituali.
- 1283 XXXIII. — *Nec obstat* quod appetitus sensitivus non potest discernere\* supernaturale a naturali: non enim requiritur quod formaliter discernat, sed quod dirigant<sup>1</sup> a prudentia, ad quam prudentiam\* pertinebit discernere istam supernaturalitatem, ad appetitum autem solum participare ab illa directionem supernaturalem. Sicut etiam ad virtutes acquisitas, quæ sunt in appetitu, non spectat discernere formaliter id quod est rationis et legis, sed solum participare

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: dirigatur.

- directionem a regulis rationis, quatenus proponitur aliquid faciendum ab appetitu cum ea moderatione quam præscribit ratio, et non aliter.
- 1284 Sicut ergo appetitus dirigi potest a ratione naturali, et participare ab ipsa regulationem, ita potest ab eadem ratione ut elevata et illustrata motivis supernaturalibus participare eandem regulationem non discernendo supernaturalitatem, seu ab ea regulationem participando, quatenus proponitur talis materia ut exercenda secundum moderationem rationis per motiva supernaturalia operantis.
- 1285 Nec oportet quod imaginativa\*, quæ proponit appetitui objecta sua, supernaturalitatem apprehendat, sed quod illis speciebus utatur, quibus intellectus indiget ex parte phantasmatum ad cognoscendum pro hac vita res supernaturales. Constat enim quod etiam res supernaturales, sive per fidem, sive per prophetiam, cognoscuntur per dependentiam a phantasmatibus<sup>1</sup>, et consequenter oportet dari species in ipsa imaginativa seu phantasia deservientes supernaturali cognitioni, et participative aliquid supernaturalitatis habentes saltem ministerialiter et quatenus deserviunt supernaturali cognitioni. Unde ab eisdem prout talem supernaturalitatem participantibus potest in appetitum sensitivum descendere, et participari moralitas seu regulatio supernaturalis<sup>2</sup>. \*n. 1258

★ ★ ★

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 12, a. 3; *De Malo*, q. 16, a. 8 ad 3; *Op. LXX De Trin.*, q. 6, a. 3.

<sup>2</sup> Vivès: supernaturales.

1286 XXXIV. — **Secundo\* arguitur** : Non sunt necessariae virtutes istae morales infusae simpliciter ad salutem, nec de illis dantur specialia praecepta, quatenus infusae sunt ; ergo frustra et sine fundamento ponuntur istae virtutes sine quibus obtineri potest salus, cum omnes virtutes ordinentur de se ad beatitudinem, si enim ad hoc requiruntur essentialiter virtutes ut bonum faciant habentem, utique etiam requiruntur ut beatum faciant habentem, quia sine virtutibus nullus est beatus. Illae ergo virtutes sine quibus haberi potest beatitudo, superfluae virtutes sunt.

1287 *Antecedens autem probatur*, quia ad salutem sufficit servare mandata, juxta illud *Matth.*<sup>1</sup> XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* At sufficienter quis implet mandata in materiis moralibus, etiamsi non operetur illa per virtutes infusas : si enim temperate operetur, non adulterando, sed castitatem servando ex temperantia acquisita et non infusa, sufficienter implet illud praeceptum, et non peccat. Et idem est de non furando, vel restituendo, ex justitia acquisita, et honorando parentes ex pietate naturali. Ergo nihil operando ex istis virtutibus infusis, sed solum ex acquisitis, poterunt servari mandata ; ergo et obtineri salus, et sic istae virtutes infusae sunt tales quod sine illis potest homo salvari.

\* \*

1288 XXXV. — **Respondetur\*** hoc idem argumentum posse fieri de donis Spiritus Sancti, quorum actus sunt altiores et elevatioribus actibus virtutum, et sine illis possunt servari mandata, praesertim illa quae versantur circa materias

<sup>1</sup> *Mat.* 19, 17.

morales, ut donum fortitudinis, pietatis et consilii ; ergo superflua sunt et non necessaria ad salutem.

1289 *Consequentia non valet* : quod ergo dixerint de donis et de praeceptis circa illa, nos dicemus de virtutibus moralibus infusis.

1290 **Dico** ergo quod mandata servari possunt in materiis moralibus per virtutes acquisitas absolute et simpliciter, sed non ita connaturaliter et proportionate ad finem supernaturalem. Unde non est necesse ponere aliqua praecepta specialiter et seorsim de virtutibus infusis moralibus, nam hoc ipso quod ponuntur mandata cum ordine ad finem et vitam supernaturalem, dicendo <sup>1</sup> : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, hoc ipso involvuntur ibi mandata seu praecepta de istis actibus virtutum infusarum, quatenus involvitur praeceptum de observatione ista in talibus cum connotatione et respectu ad vitam aeternam, vel expresse, vel implicite et virtualiter, quod licet impleri possit absolute per virtutes acquisitas, sed non ita connaturaliter.

1291 Nec tamen ponuntur <sup>2</sup> praeceptum operandi istos actus ex ipso habitu virtutis infusae, quia modus iste operandi ex habitu non cadit sub praecepto, ut docet S. Thomas infra quaestione centesima <sup>3</sup>, articulo secundo.

1292 Non ergo sunt superfluae istae virtutes, quia dantur ut *connaturalius* operemur opera ista praecepta in ordine ad

<sup>1</sup> Cf. *Mat.* 19, 17.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : ponitur.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIae, q. 100, a. 9.

finem supernaturalem. Quod autem requiritur ut aliquid fiat connaturalius et magis proportionate ad unum finem non est superfluum, sed est adminiculans et omnino condu- cens, licet absolute et aliquo modo possit etiam sine illo talis actus vel effectus fieri, sed imperfecte et vix.

1293 Exemplum est in habitibus : nam sine habitu bene potest absolute et quoad entitatem produci actus a potentia, non tamen idcirco habitus est superfluus, requiritur enim ut connaturalius et efficacius fiat.

★ ★ ★

1294 XXXVI. — **Tertio\* arguitur** : Nam si darentur tales virtutes infusæ, earum actus frequentati, *vel\** augent habitum infusum præcedentem, *vel\** producunt alium acquisitum, *vel* nihil faciunt. \*n. 1298 sq. \*n. 1296 \*n. 1297

1295 Hoc *tertium* est inconueniens, sic enim inefficaciores\* erunt actus infusi supernaturales quam acquisiti et ordinis naturalis. Estque etiam contra experientiam, quia qui frequentat operationes alicujus virtutis infusæ melius dispositus invenitur ad similes actus eliciendos, *vel* ad recuperandam illam virtutem si eam amittat. Imo amissa\* fide per hæresim ex denegatione unius articuli, manet fides et determinatio certa circa alios, non quidem fides infusa, quia hæc non manet in hæretico ; ergo fides acquisita. \*n. 1313 \*n. 1311

1296 *Primum\** etiam dici non potest, quia habitus infusus non potest actibus nostris generari, cum sit infusus a Deo per se et essentialiter ; ergo nec augeri : ejusdem\* enim per se et essentialiter ; ergo nec augeri : ejusdem\* enim

rationis est augmentum habitus et ejus prima productio et entitas.

1297 *Secundum\** etiam stare non potest, quia habitus acquisitus est ordinis naturalis, cum naturali modo acquiratur ; ergo non potest generari per actus supernaturales, quia non potest per actus generari nisi habitus similis et ejusdem speciei seu motivi ; actus autem supernaturales non sunt ejusdem speciei et motivi cum habitibus acquisitis et ordinis naturalis ; ergo non possunt per actus supernaturales generari habitus acquisiti, præsertim cum isti debeant esse virtutes acquisitæ, quas diximus\* specie distingui ab infusis. Inconuenienter ergo ponuntur istæ virtutes infusæ. \*n. 1294 \*n. 1266 sq.

\* \*

1298 XXXVII. — **Respondetur\*** hoc argumentum non solum militare contra virtutes infusas morales, sed etiam contra theologicas et dona Spiritus Sancti, quæ tamen de fide est dari. \*n. 1294

1299 Potest autem eodem modo in illis applicari argumentum, quia actus talium virtutum et donorum *vel* producunt aliquem habitum, *vel* nihil : et id quod producunt, *vel* est supernaturale, *vel* acquisitum, etc. Sicut ergo ibi argumentum nihil probat, ita neque in istis moralibus infusis.

1300 Dicimus ergo circa hoc diversas esse opiniones.

1301 Nam aliqui tenent ex frequentatione actuum virtutum infusarum produci habitum aliquem acquisitum, et conce-

dunt dari aliquam fidem et spem acquisitam, ut Scotus, in III, dist. XXIII<sup>1</sup>, quæstione unica, et dist. XXVI<sup>2</sup>, quæstione unica, § *Ad quæstionem*, licet non explicet Scotus, *an* isti habitus generentur per ipsos actus virtutum infusarum, *an* per alios naturalis ordinis, qui versentur circa eandem materiam, et ex hac parte similes illis sint. De virtutibus vero infusis moralibus nihil in hac parte sentit Scotus, quia negat\*<sup>3</sup> illas dari.

\*n. 1176

1302 Inclinat S. Thomas in eandem sententiam\*, in quæstione XVII *De Veritate*<sup>4</sup>, articulo primo, solutione ad quartum, secundo loco positum, ubi docet per actus charitatis infusæ produci aliquem habitum dilectionis.

\*n. 1310

1303 Absolute tamen nullum habitum produci per actus virtutum infusarum docet supra quæst. LI<sup>5</sup>, articulo IV ad tertium, et quæstione prima *De Virtutibus*<sup>6</sup>, articulo X ad nonum decimum, sed dicit tales actus confirmare præcedentem habitum, quod utique fieri potest, *vel* moraliter, id est, meritorie, *vel* physice\* disponendo ut Deus infundat augmentum juxta dispositionem\* actus.

\*n. 1313

\*n. 1310

1304 XXXVIII. — Et sine dubio hæc ultima\* sententia verior est.

\*n. 1303

1305 Licet enim dubitari non possit quod circa materiam virtutum infusarum etiam theologicarum potest generari

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 23, q. 1.<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 26, q. 1.<sup>3</sup> In III *Sent.*, dist. 36, q. 1, n. 28.<sup>4</sup> *De Ver.*, q. 17, a. 1 ad 4 (2° loco).<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 51, a. 4 ad 3.<sup>6</sup> *De Virt. in Comm.*, a. 10 ad 19.

habitus aliquis acquisitus, qui diverso motivo et sub diversa ratione formali versetur circa illam materiam, et ad illum habitum generandum facilitari possit animus ex frequentatione actuum infusorum, quatenus si illa materia est magis frequentata, et sic facilius poterit etiam tractari ex alio simili motivo, sicut circa materiam, quam sæpius demonstrando tractamus, possumus<sup>1</sup> etiam probabilibus rationibus adjuvare, et facilius acquiri poterit talis habitus probabilis.

1306 Cæterum dicere quod ex frequentatis actibus demonstrativis generetur habitus probabilis, est omnino impossibile: sic ex frequentatis actibus supernaturalibus et infusis impossibile est generari habitum non supernaturalem nec infusum, sed acquisitum, quia diversæ speciei sunt, habitus autem generatur ex similibus actibus, non ex dissimilibus.

1307 Dicere autem quod ille habitus acquisitus sit ejusdem ordinis supernaturalis, et ejusdem speciei cum actibus infusis, est dicere quod ille habitus ex suo ordine et specie est infusus, quia supernaturalis. Quomodo ergo potest esse acquisitus aut naturalis ordinis ?

1308 Quare si habitus aliquis acquisitus ex illis actibus generetur, debet esse alterius ordinis ab infuso et alterius speciei; ergo alterius motivi et rationis formalis. Unde non ex actibus illis infusis gignitur, sed ex aliis circa eandem materiam procedentibus, sed sub diverso motivo.

1309 XXXIX. — Verum est quod hoc ipso quod aliquis exercet et frequentat plures actus ex motivo supernaturali

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIIa, q. 9, a. 3 ad 2.

et per virtutem infusam, manet dispositus et facilitatus ut circa eandem materiam operari possit ex motivo naturali et per virtutem acquisitam, ideoque facile ex uno motivo transit ad aliud, et virtutem acquisitam circa eandem materiam generat.

1310 Et sic intelligi potest D. Thomas, cum in illo loco\* ex \*n. 1302 quæstione XVII *De Veritate*<sup>1</sup> dicit per actus virtutum infusarum gigni habitum, id est, non formaliter per illos actus, sed quasi dispositive\*, quatenus ex frequentatione circa \*n. 1303 talem materiam originari potest et facilitari quod etiam sub alio motivo possit circa eandem operari.

1311 Et sic fides infusa ex motivo supernaturali credit res positas<sup>2</sup> ab Ecclesia, et sic credens etiam facilitatur ad credendum easdem veritates ex motivo humanæ fidei, ut quia sic accepit a parentibus, vel quia in illis materiis magis habet affectum et inclinatur ad illas quam ad alias, et sic licet alias discredat\*, retinet tamen credulitatem circa istas, \*n. 1295 quia magis ad eas afficitur, et sibi bene videtur, non quia Ecclesia proponit.

1312 In virtutibus autem moralibus infusis, si aliquis exercetur, facilitatur, ut ex motivo naturali etiam aliquando operetur circa illam materiam, et sic generat virtutem acquisitam.

1313 XL. — *Cum autem dicitur\** quod actus virtutis infusæ \*n. 1295 non sunt minus efficaces quam virtutis acquisitæ, *respondetur* non esse minus efficaces in attingendo objectum suum;

<sup>1</sup> *De Ver.*, q. 17, a. 1 ad 4 (2° loco).

<sup>2</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : propositas.

minus tamen sunt efficaces in generando habitum propter ipsius habitus excellentiam\*, quia infusus et supernaturalis \*n. 1307 est, et sic non est capax acquiri nostris actibus sed a Deo infundi : licet disponat, *tum* meritorie\* et moraliter, *tum* \*n. 1303 physice ut habitus ille a Deo augeatur.

1314 *Et cum quæritur* quid producat ille actus, *respondetur* quod producit id quod alii actus immanentes, qui non generant habitum, nam in attingentia objecti non est necesse quod producant, sed quod extrinsece attingant, nihil de objecto immutando ; intus tamen in ipsa potentia aliquid producere possunt, scilicet actus voluntatis spirationem seu impulsum, actus intellectus verbum seu speciem expressam, in quantum ille actus est dictio, et non solum intellectio.

1315 Plura de his dicemus<sup>1</sup>, 2-2, in materia de Fide et Spe.

<sup>1</sup> *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 1-2, disp. 1-7, VII (Vivès), p. 1-400.

## *DISPUTATIO XVII*

### DE PROPRIETATIBUS VIRTUTUM A QUÆSTIONE LXIV D. THOMÆ USQUE AD LXVII INCLUSIVE

---

- 1316 In quibus S. Thomas quatuor proprietates explicat  
virtutum.
- 1317 **Prima\***, quod consistant in medio. \*n. 1321 sqq.
- 1318 **Secunda\***, quod sint connexæ. \*n. 1400 sqq.
- 1319 **Tertia\***, quod sint æquales, vel inæquales. \*n. 1645 sqq.
- 1320 **Quarta\***, quod durent post hanc vitam. \*n. 1805 sqq.
-



## ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT VIRTUTES CONSISTERE IN MEDIO;  
ET QUIBUS VIRTUTIBUS ID CONVENIAT?

1321 I. — Medium ea ratione ponitur in virtutibus qua ponitur regulatio et mensuratio, desumpta metaphora a mensuris corporalibus, quibus mensuramus pondera quæ, cum adæquantur, quasi ad medium aliquod per pendiculum reducuntur, ut in libra.

1322 Quare virtutes illæ, quæ versantur circa materiam indigentem mensura, et quæ potest vergere in excessum vel defectum a tali mensuratione, dicuntur ponere medium in tali materia, quatenus inclinant et moderantur affectum in talem materiam sub ea moderatione rationis et regulæ, ut neque deficiat, neque exorbitet et excedat ab eo quod ratio postulat et lex jubet.

o

1323 II. — Quo<sup>1</sup> supposito, breves aliquas dubitatiunculas circa explicationem hujus medii et appositionis ejus proponemus et expediemus.

● ● ●

<sup>1</sup> Vivès : Quod.

MEDIUM QUOTUPLEX SIT ; ET CIRCA QUID  
PONATUR ?

1324 III. — Generaliter medium virtutis potest dici medium rationis, non quia sit aliquid inhærens aut receptum in ratione tamquam in subjecto, sed quia a ratione ut a regulante et dirigente proponitur, et secundum prudentiam definitur et determinatur, ut docet S. Thomas in hac quæstione LXIV<sup>1</sup>, articulo II, juxta quod dicit Aristoteles, II *Ethicorum*<sup>2</sup>, cap. VI, quod virtus est habitus electivus in mediocritate\*<sup>3</sup> consistens ea quæ est ad nos definita ratione, et prout prudens definierit. \*n. 380

1325 Et sic in omni virtute, tam quæ est circa passiones, quam quæ est circa operationes\*, invenitur medium rationis, hoc est, mensuratio et regulatio quædam in actu prout tenet se ex parte operantis\*, quia actus bonus est, et bene ab ipso operante fit. Nec enim bene potest fieri, nisi secundum debitas circumstantias et commensuratas a ratione et prudentia, definiente et determinante quod fiat talis actus hic et nunc, et quomodo fiat. \*n. 924, 929 \*n. 1329, 1346

1326 Hoc in omni virtute generale est prout tangit ipsum actum seu operationem ut ex parte operantis se tenet, sic enim semper regulatur prudentia, quæ exercitium\* operationis dirigit et determinat. \*n. 1332

★ ★ ★

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 2.

<sup>2</sup> *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>3</sup> Seu : medietate.

1327 IV. — **Dividitur nihilominus\*** recte medium virtutis \*n. 1324  
in medium rationis, et medium rei, loquendo de isto medio  
seu mensuratione ut ex parte materiæ\* virtutis se tenet. \*n. 1333

\* \*

1328 Dicitur *medium rei* illa mensuratio seu adæquatio quæ  
fit inter quantitatem et quantitatem rei.

1329 Dicitur *medium rationis* illa mensuratio seu adæquatio  
quæ fit inter quantitatem rei et ipsam rationem seu pru-  
dentiam\*, non inter duas quantitates rei et rei. \*n. 1325

1330 Et quia quantitas potest considerari et sumi dupliciter,  
*vel* arithmetice, ut inter duos numeros, verbi gratia, inter  
quatuor et quatuor, decem et decem; *vel* geometricè, ut  
inter proportionem unius cum alio, sicut eadem proportio  
est trium ad sex, quæ quinque ad decem, vel mille ad duo  
millia, scilicet proportio dimidii: inde est quod etiam in  
medio rei attenditur<sup>1</sup> duplex mensuratio, scilicet, *vel*  
secundum quantitatem absolutam, *vel* secundum propor-  
tionalem\*, et utroque modo fit mensuratio, et ponitur \*n. 1336  
medium ex parte rerum seu ex parte materiæ virtutis,  
quæ hoc medium attendit.

1331 Exempla utriusque medii, tam rationis quam rei, et  
de medio secundum quantitatem arithmeticam vel geome-  
tricam, statim afferemus.

\* \*

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *De Virt. in Comm.*, a. 13 ad 7.

1332 V. — **Quod si inquiras**, cui virtuti conveniat ponere  
medium rationis tantum, et cui conveniat attendere medium  
rei, *respondetur* quod medium rei pertinet attendere ad  
justitiam, quæ versatur circa operationes\*, et ad virtutes \*n. 924, 929  
quæ justitiæ rationem participant, licet etiam justitia ex  
parte operantis\* ponat medium rationis, quia ipsum exer- \*n. 1337  
citium\* operandi a prudentia dirigitur. \*n. 1326

1333 Medium autem rationis ex parte materiæ\* pertinet et \*n. 1327  
attenditur a virtutibus quæ versantur circa passiones, et  
mensurant seu regulant quantitatem operis, seu effectus et  
affectus, non penes aliam quantitatem rei, sed penes pru-  
dentiale\* iudicium. \*n. 1324

1334 Unde quod est magnum et excessivum uni, et tempe-  
raturum et mediocre alteri, et potest aliquid fieri quantitate  
magnum et extremum, et ratione atque prout oportet  
medium, sicut de magnanimo\* docet Philosophus, IV *Ethi-* \*n. 1366, 1368  
*corum*<sup>1</sup>, cap. III, quod secundum quantitatem est extremus,  
et prout oportet medius: hoc est, quantum ad id quod facit  
et operatur, est aliquid magnum, quantum autem ad  
mensurationem rationis, est aliquid moderatum et medium  
seu bene regulatum.

◊

1335 VI. — Itaque passiones ipsæ et materia passionum non  
mensurantur neque adæquantur penes quantitatem et  
quantitatem rerum inter se, ratione cujus dicantur ad aliquod  
medium seu mediocritatem et mensurationem reduci, sed

<sup>1</sup> *Ethic.*, IV, cap. 7 (1123 b 12).

tota mensuratio et medium quod assumitur in his virtutibus est ex parte rationis et prudentiæ determinantis quid et quantum debet accipi vel operari.

1336 At vero materia justitiæ habet mensurationem et adæquationem penes quantitatem unius rei cum alia, sive absolutam\*, ut cum justitia commutativa reddit decem, quia abstulit decem, sive proportionalem, ut cum justitia distributiva reddit præmium pro meritis aut supplicium pro delictis secundum proportionem, non secundum absolutam æqualitatem. \*n. 1330

1337 Et præter hanc mensuram, qua ipsa materia et debitum justitiæ adæquatur, etiam quantum ad exercitium operandi\*, mensuratur actus justitiæ medio rationis, seu prudentia respiciente quomodo et quando debeat fieri justitia. \*n. 1332



#### RECESSUS A MEDIO AN SEMPER SIT PECCATUM?

1338 VII. — In recessu a medio rationis **non est difficultas** quod semper sit peccatum, quia receditur seu avertitur a regula rationis, nec mensuratur illa, et in hoc consistit peccatum, quod sit contra regulam rationis seu contra legem, vel ab illa recedat et avertatur.



1339 **Difficultas vero est in medio rei\***, quod attenditur a justitia. Constat enim non semper esse peccatum in \*n. 1332

excessu istius medii, sed in defectu, nam si quis debet alteri decem, peccabit quidem si non reddat nisi octo, sed non peccabit (saltem contra justitiam) si reddat plus quam decem, scilicet duodecim, vel plus : in hoc enim nullam injustitiam committit, si illud plus quod reddit, alienum non sit, sed proprium, et de quo habet facultatem disponendi, licet si nimium et excedens sit, et sine causa datum, poterit peccatum esse, non quidem injustitiæ, id est, contra alterum, sed prodigalitati\* contra rectam et debitam dispensationem bonorum. Non ergo in recessu a medio rei semper est peccatum, saltem oppositum illi virtuti quæ tale medium respicit et constituit. \*n. 1352



1340 VIII. — **Nihilominus**, cum D. Thomas, in articulo primo hujus quæstionis LXIV<sup>1</sup>, absolute et generaliter doceat virtutes morales\* consistere in medio, **dicendum est quod medium rei circa quod versatur justitia, potest dupliciter considerari.** **Primo\***, quasi physice et in abstracto, **secundo\***, moraliter et ut vestitus<sup>2</sup> debitis circumstantiis. \*n. 1355-1378  
\*n. 1341  
\*n. 1345



1341 **Primo\* modo**, verum est quod non semper excessus in medio rei est vitiosus per se solum, ut in justitia commutativa patet, quando aliquis solvit aliquod debitum, et dat aliquid ultra id quod debet : hoc enim de se non est peccatum saltem\* contra ipsam justitiam. \*n. 1340  
\*n. 1339

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 64, a. 1.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : vestitum aut vestitur.

1342 Sed tamen in iustitia distributiva, in ordine ad præmia, vel vindicativa, in ordine ad pœnas, quæ in superiori etiam pertinet ad distributivam, invenitur etiam peccatum\* in excessu præmiorum aut pœnarum. \*n. 1353

1343 Si enim aliquis accipiat præmium ultra proportionem et capacitatem suam, peccatum est, non solum ex eo quod alteri digniori denegatur, si sit plurium concursus, sed etiam quia indigno et improporcionado subjecto datur tale præmium aut talis dignitas cujus capax non est : ut si homini plebeio propter aliquem parvum laborem in pugna detur dignitas illustris aut patritia.

1344 Similiter si in irroganda pœna excedatur modus supplicii quantum ad quantitatem vel qualitatem pœnæ, peccatum est contra ipsam iustitiam, quia quantitas talis pœnæ non adæquatur culpæ.

o

1345 IX. — At vero si medium rei consideretur **secundo**\* modo, scilicet moraliter et ut vestitur debitis circumstantiis, sic etiam\* in iustitia commutativa contingit peccare per extremum, quia ad virtutem iustitiæ non solum spectat bonum facere et debitum solvere ex parte ipsius rei, sed etiam bene facere ex parte ipsius operantis\*, scilicet quando et ubi oportet, et qua intentione et animo oportet, id est, propter honestatem ipsius virtutis, quæ aliquando dictat non esse reddendum debitum illud cum talibus circumstantiis : ut si quis velit esse ita justus et punctualis, ut reddere velit et solvere quod debet etiam cum damno tertii, ut reddendo ensem furioso, pecuniam hosti, debitum uxori in

loco sacro vel publico. Hæc et similia sunt contra iustitiam per excessum.

1346 Verumtamen est quod in hoc non sistimus in ipso medio rei præcise, sed etiam aliquid de medio rationis attingimus, sed tamen prout tale medium rationis aliquo modo spectat ad medium rei, non nude et mere physice\* consideratum, sed *moraliter*, et cum circumstantiis quibus ab ipso operante\* debet attingi, eo quod medium rei non debet considerari a virtute ita nude, sicut ab arte, vel ab alia facultate faciente physicam æqualitatem et mensurationem inter aliqua duo, sed debet considerari æqualitas illa ut moralis et virtuosa, ita quod non solum fiat bonum, sed etiam bene\*, et talis æqualitas rei ut subest illis circumstantiis rationis, et non aliter, attingitur a virtute iustitiæ ut virtus est. \*n. 1340 \*n. 1325 \*n. 1345

\* \*

1347 X. — **Ex quo colligitur**, quomodo possit aliquis implere præceptum virtutis, etiamsi mala intentione id faciat, et non virtuoso et debito modo, verbi gratia, potest quis solvere debitum iustitiæ ex odio aut aliqua mala voluntate, et tamen implet præceptum restitutionis ; et potest jejuna ex vanitate, aut dare eleemosynam, et tamen præceptum implet, eo quod ista præcepta non\* cadunt super illam materiam nisi quantum ad executionem externam, non quantum ad intentionem et bonitatem animi : hoc enim est finis legis, non<sup>1</sup> materia præcepti. \*n. 1291

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 100, a. 9.

1348 Virtus autem non\* solum inclinatur in executionem \*n. 1572  
 materiæ, sed bonum<sup>1</sup> facit habentem, et sic respicit recti-  
 tudinem moralem actus secundum omnes circumstantias,  
 et non secundum nudam et physicam\* adæquationem rei, \*n. 1340  
 sed quatenus facit hanc adæquationem ut virtuosam, et  
 virtuose.

★ ★ ★

1349 XI. — Ad rationem\* dubitandi, patet ex dictis quod \*n. 1339  
 verum est in solo et præciso excessu solvendi quod debetur,  
 si consideretur ille excessus *physice*\*, non esse peccatum \*n. 1340  
 semper, saltem injustitiæ; si autem consideretur *moraliter*\* \*n. 1345  
 et secundum regulationem circumstantiarum ubi, et quo-  
 modo, et quando oportet, sic potest in illo excessu esse  
 peccatum, aliquando injustitiæ, ut quando ex nimio et  
 excessivo amore reddendi et solvendi quod debetur reddit  
 aliquis etiam quando non oportet, ut si furioso reddat  
 ensem, aut uxori reddat debitum in publico; quando vero  
 erit peccatum alterius speciei, verbi gratia, prodigalitati\*. \*n. 1339

◊

1350 Sed hoc ideo contingit, quia qui solvit ultra debitum,  
 censetur donare illum excessum, unde virtualiter facit duos  
 actus, alterum justitiæ, qui impletur in eo quod adæquatur  
 debitum, alterum donationis et liberalitatis, in eo in quo  
 est excessus.

1351 Quæ donatio si fuerit convenienter facta, nullus erit  
 excessus in illa redditione et solutione debiti, sed erit duplex

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 5 (1106 a 15-17) — D. Thomas, In II *Ethic.*,  
 lect. 6, n. 307 (Pirota).

actus virtutis, scilicet justitiæ, in ea parte quæ adæquat  
 debitum, et liberalitatis\*, in eo quod excedit, et sic negamus \*n. 493  
 tunc peccare per excessum.

1352 Si vero in eo excessu quem donat, non\* sit modus \*n. 1130  
 liberalitatis, sed prodigalitati, quia sine sufficienti causa  
 donat, erit ille excessus prodigalitas\*, et non injustitia, quia \*n. 1339  
 est quasi alter actus ibi virtualiter\* inclusus, et sic non \*n. 1350  
 mirum quod non opponatur justitiæ, sed liberalitati, quia  
 quod erat justitiæ debite impletum est.

1353 In justitia autem vindicativa et distributiva, etiam in  
 excessu secundum rem, potest esse peccatum injustitiæ,  
 ut explicatum\* est.

\*n. 1342 sq.

● ● ●

#### QUÆ VIRTUTES PROPRIE DICANTUR CONSISTERE IN MEDIO?

1354 XII. — Potest difficultas disputari per **tria genera  
 virtutum**, scilicet moralium, intellectualium, et theolo-  
 galium.

★ ★ ★

1355 XIII. — **DICO PRIMO : Directe et per se virtutes  
 morales consistunt in medio, ex parte suæ materiæ\***. \*n. 1327

\* \*

1356 *Ratio est*, quia omnis materia virtutis moralis est  
 regulabilis a prudentia secundum regulam et mensuram

rationis, qua regula remota, degenerat in peccatum, sive per excessum, sive per defectum ; ergo omnis virtus moralis ratione suæ <sup>1</sup> materiæ regulabilis consistit in medio, id est, in regulatione materiæ, a qua regulatio illa removeri potest, et sic cadere potest a regula aliquando per excessum, aliquando per defectum.

- 1357 *Antecedens* est certum, et *consequentia* patet, quia si materia virtutis moralis est regulabilis a prudentia et ratione, ergo illa materia nec secundum se est ipsa regula, quia est regulabilis, neque necessario annexa ipsi regulæ, quia est contingens et libera, atque adeo defectibilis a regula ; et quia latitudinem\* habet secundum varias circumstantias, <sup>\*n. 1361</sup> potest aliquando cadere a regula per excessum et abundantiam, aliquando per defectum. Ergo regulatio ejus, qua neque deficit neque excedit, in medio dicitur consistere.

\* \*

- 1358 XIV. — **Nec obstat** quod in primo <sup>2</sup> argumento in articulo primo objicit S. Thomas, quia potius debet dici quod virtus consistit in ultimo quam in medio, siquidem virtus dicitur ultimum potentiæ, ut dicitur in primo *De Cælo* <sup>3</sup> ; ergo potius debet dici quod virtus est in excessu et in ultimo quam in medio.

○

<sup>1</sup> Vivès : sua.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 1, obj. 1.

<sup>3</sup> Aristot., *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 11-12).

- 1359 **Sed respondet** <sup>1</sup> D. Thomas quod secundum diversas considerationes potest dici quod virtus est in ultimo, et in medio.
- 1360 Nam si in virtute consideretur id quod est rationis, sic est in ultimo\* et in extremo, id est, in optimo, quia optimum quod ratio potest virtus\* est. <sup>\*n. 199  
\*n. 376, 516</sup>
- 1361 Si autem in virtute consideretur id quod est materia regulabilis et defectibilis a regula, sic consistit in medio, quia materia illa ratione suæ latitudinis\* potest esse in <sup>\* 1357</sup> magis et in minus, et ita reducitur in medium ipsa materia ab eo quod est optimum in ratione. Et sic dixit Philosophus in secundo *Ethicorum* <sup>2</sup>, capite sexto, quod : « Virtus secundum substantiam (id est materiam) medietas est, secundum autem optimum et bene, est extremitas ».

\* \*

- 1362 XV. — **Quod si instes\*** : Nam adhuc ex parte materiæ, virtus aliqua moralis consistit in extremo, et non in medio ; ergo adhuc doctrina est falsa. <sup>\*n. 1366 sq.</sup>

- 1363 *Antecedens probatur*, in magnificentia, quæ non mediocribus, sed magnis et extremis sumptibus exercetur. — Virginitas quoque non solum abstinet ab illicito coitu, sed ab omni venere. — Humilitas quanto depressior in animo, tanto virtuosior. — Et pœnitentia non fit deterior in lugendo et detestando peccata secundum omnem excessum. Ergo

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> *Ethic.*, II, cap. 6 (1107 a 7-8).

istæ virtutes morales non consistunt in medio etiam ex parte materiæ\*.

\*n. 1327

1364 **Et confirmatur\***, quia ex parte operationis virtuosæ non datur aliquis terminus, sed potest in infinitum crescere et perfici, ut patet si quis magis ac magis intense operetur opera alicujus virtutis ; ergo si ex parte operationis non datur medium et determinata regula, neque dabitur ex parte materiæ regulabilis.

\*n. 1373 sq

1365 *Patet consequentia*, quia materia regulabilis est ipsa operatio, seu actus appetitus sensitivi, quem vocamus passionem ; ergo si in ista operatione non est dare medium, sed potest in infinitum crescere secundum intentionem<sup>1</sup>, etiam passio illa, verbi gratia, tristitiæ, vel timoris, aut concupiscentiæ, poterit crescere sine termino in infinitum, atque adeo materia ipsa virtutis, quæ est aliqua ex his passionibus, poterit manere sine medio, et salvari virtus cum abundantissima tristitia, vel timore, vel concupiscentia, cum tamen virtutes ponantur ad hujusmodi nimietates moderandas, etiam in intensione operationis.

o

1366 XVI. — **Respondetur\*** ex D. Thoma in hac quæstione LXIV<sup>2</sup>, articulo primo ad secundum et tertium, quod virtutes istæ, quæ aliquid magnum et quasi extremum operantur ex parte materiæ, tendunt quidem in aliquid quod absolute et in se consideratum est extremum, com-

\*n. 1362

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : intensionem.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 1 ad 2 et 3.

parative\* vero et relate ad circumstantias, quæ hic et nunc<sup>n. 1361</sup> occurrunt, non est extremum, sed medium seu mediocre, quia proportionatum illi. Et ita *in proportione* virtutes istæ respiciunt medium et constituunt illud, *in quantitate* respiciunt extremum. Et hoc est quod dicit Philosophus, IV *Ethicorum*<sup>1</sup>, capite tertio quod « magnanimus est quidem magnitudine extremus ; eo autem quod ut oportet, medius ».

1367 Nam, verbi gratia, in magnificentia, magnitudo\* sumptus, quæ in se absolute considerata magna est, si consideretur relate ad cultum Dei pro quo fit, ad personam a qua fit, verbi gratia, a rege, ad occasionem ex qua fit, verbi gratia, ob magnam victoriam aut ingens aliquod beneficium, non censetur excedens, sed proportionatum et debitum, et consequenter medium. In re enim morali idem est extremum et medium quod excedens vel proportionatum, debitum vel indebitum. Et sic id quod est magnum et extremum secundum unam considerationem, secundum aliam est parvum aut mediocre seu medium.

\*n. 1131

1368 Et idem est de magnanimitate\* respectu magnorum honorum, si isti subjecto proportionati sint.

\*n. 1334

1369 De virginitate\*, quæ abstinet ab omni venere ut serviat Deo, et cogitet<sup>2</sup> quæ Dei sunt, quod sine magna puritate, præsertim ab istis obscenis, esse non potest.

\*n. 1363

1370 Et paupertas relinquit omnia ut sequatur Christum, quia respectu istius sequelæ totus mundus est valde parum :

<sup>1</sup> *Ethic.*, IV, cap. 7 (1123 b 12).

<sup>2</sup> Cf. *I Cor.* 7, 34.

*Et omnia arbitror ut stercora, inquit<sup>1</sup> Paulus, ut Christum lucrifaciam.*

- 1371 Et humilitas\*, si valde deprimat animum, tamen respectu \*n. 1363 propriæ infirmitatis et defectibilitatis non est excessiva, sed proportionata annihilatio ante Deum.
- 1372 Pœnitentia\* vero non potest quidem habere excessum \*n. 1363 in lugendo peccata ex parte motivi principalis, quod est dilectio Dei super omnia et detestatio<sup>2</sup> peccati, sed potest habere excessum ex parte doloris sensibilis, ut si tantus sit quod desperet et non velit quietari, aut si satisfactiones assumptæ tales sint quod noceant vitæ vel saluti. Et Judas pœnitendo<sup>3</sup> peccavit, quia laqueo se suspendit<sup>4</sup>.
- 1373 XVIII. — **Ad confirmationem\***, respondetur quod \*n. 1364 sq. intensio et augmentum operationis virtutis potest esse duplex.
- 1374 *Vel* ex parte regulationis et motivi quod est formale, ut si quis intense et summo studio conetur ut prudenter se gerat et regulate. Et intensio talis in operatione non\* \*n. 1378 facit excessum in virtute, sed magis ac magis radicatur et perficitur in ea.
- 1375 *Vel* potest excessus et intensio ipsius operationis tenere se ex parte ejus quod materiale est in operatione, scilicet

<sup>1</sup> Philip. 3, 8.

<sup>2</sup> Cf. *Conc. Trident.*, sess. XIV, cap. 4 (Denz. 897). — Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIIa, q. 85, a. 3.

<sup>3</sup> Cf. *Mat.* 27, 3.

<sup>4</sup> Cf. *Mat.* 27, 5.

ex parte ipsius passionis ut mera passio est, verbi gratia, quod sit valde intensa tristitia in pœnitentia, excessiva audacia in fortitudine, etc. Sic enim istæ operationes degenerant in vitium ex nimietate\* intensionis, debetque \*n. 1378 moderari a prudentia.

- 1376 Unde et Paulus dicit II ad *Corinth.* <sup>1</sup> II, de illo incestuoso pœnitente: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne... abundantiori tristitia absorbeat qui ejusmodi est: ubi modum ponit pœnitentibus in objurgatione et in tristitia habenda.*
- 1377 Et II *Esdrae* <sup>2</sup> VIII, dixit Esdras populo flenti et lugenti propter verba Legis quæ audierat: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro; nolite lugere et nolite flere.*
- 1378 Itaque intensa nimietas in passionibus\* semper est \*n. 1375 reprimenda, quod est ponere medium ex parte materiæ\*; \*n. 1327 intensio vero ex parte regulationis et prudentiæ nunquam\* \*n. 1374 est nimia neque excessus, sed magis perfecta virtus.
- \* \* \*
- 1379 XIX. — **DICO SECUNDO: In virtutibus intellectualibus etiam datur medium et regulatio ex parte objecti: tum in virtutibus speculativis, tum in practicis.**

\* \*

<sup>1</sup> II *Cor.* 2, 6-7.

<sup>2</sup> II *Esdrae* 8, 9.



1380 Et quidem **in virtutibus speculativis**, medium est ipsa regulatio veritatis, quæ consistit in eo quod est vel non est, sive certo attingatur, sive probabiliter.

1381 Extrema autem sunt variæ falsitates et contrariæ opiniones, quæ possunt contra istam veritatem imaginari et dici, ut, verbi gratia, si quis dicat hanc veritatem : Christus incarnatus est. Contra illam potest quis dicere falsitatem per unum extremum, dicendo : Non est Christus incarnatus ; alius per excessum, dicendo ; Plures Personæ divinæ sunt incarnatæ. Et sic est in aliis veritatibus.

\* \*

1382 XX. — **In practicis** etiam id constat, quia practicæ virtutes, vel sunt artes circa factibilia, vel prudentia circa agibilia.

1383 Et quidem **artes** versantur circa materiam reducibilem ad mensuram et regulationem, et de se capacem excedendi illam regulam penes excessum et defectum ; ergo respiciunt aliquod medium, id est, aliquam mensurationem in illa materia a se præstandam.

1384 *Antecedens constat* inductione in singulis artibus, in quibus maxime attenditur regula et proportio secundum quam debet artificium fieri, ut, verbi gratia, in cathedra vel in veste faciendâ, ut non excedatur proportio talis artefacti, neque in plus, neque in minus, et idem est in aliis.

1385 **Prudentia** autem maxime consistit in medio, cum ipsa ponat medium et regulationem in aliis virtutibus, et sic

si ponit aliis medium, oportet quod ab ipso non declinet. Unde videmus quod circa prudentiam contingit peccare, et per defectum, ut imprudentia, et per excessum, ut astutia.

o

1386 Unde etiam *Romanorum XII* <sup>1</sup> dicitur : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, quod utique in omnibus virtutibus intellectualibus habet locum.

1387 Nec <sup>2</sup> oportet ad hoc ut virtutes istæ sint in medio quod eis imponatur regulatio ab aliis virtutibus, sicut morales virtutes accipiunt regulationem a prudentia, sed virtutes intellectuales regulantur ab ipsis objectis, quæ apprehendunt per se ; virtutes vero morales a ratione diriguntur, quia voluntas per apprehensionem dirigitur, nec per se immediate potest objectum percipere ut ab eo in se reguletur.

\* \* \*

1388 XXI. — **DICO TERTIO : Virtutes theologicæ per se et ex parte materiæ circa quam versantur non consistunt in medio. Per accidens\* autem et ex parte nostri possunt in medio consistere, et similiter ex parte objecti secundarii.** <sup>\*n. 1392</sup>

o

1389 Ita sumitur ex D. Thoma in quæstione LXIV <sup>3</sup>, art. IV, et in 2-2, quæst. XVII <sup>4</sup>, art. V ad secundum, et communiter auctores.

<sup>1</sup> *Rom.* 12, 3.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 3 ad 2.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 4.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 17, a. 5 ad 2.

1390 Nec absolute dissentit Scotus<sup>1</sup>, in III, dist. XXVI, quæstione unica, § *Ad primum argumentum*. Nam revera medium, quod agnoscit in fide vel aliis virtutibus theologicis, solum est medium ex parte nostri, licet hoc ipse appellet\* \*n. 1397 sq. medium simpliciter.

\* \*

1391 Cæterum S. Thomæ sententia simpliciter est verior, quia illa virtus habet medium per se et simpliciter quæ habet illud ex parte materiæ<sup>2</sup>. Et illa materia per se recipit medium quæ est capax habendi extrema, reducitur autem ad medium per aliquam regulam. Ubi ergo materia alicujus virtutis non est capax habendi extrema, non indiget regula. Virtutes autem theologicæ habent pro materia\* circa quam versantur ipsum\* Deum in se, seu finem ultimum supernaturalem; Deus autem est suprema regula rationis, non regulabile aliquid, neque capax deficientiæ, aut excessus a regula. Ergo non consistit talis virtus in medio ex parte materiæ, id est, non reducit illam ad medium et ad regulationem, sed attingit illam ut regulam omnium. Unde et S. Bernardus, in libro *De Diligendo Deo*<sup>3</sup>, dicit charitatis modum esse, sine\* modo diligere. \*n. 1396

\* \*

1392 XXII. — Quod vero **per accidens**\* possint virtutes theologicæ habere medium: *tum* ex parte subjecti et modi \*n. 1388

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 26, q. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 347 sq.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 64, a. 1 ad 1.

<sup>3</sup> *De Diligendo Deo*, cap. 1 (PL 182, 974).

operandi ex parte nostri, *tum* ex parte objecti secundarii, declaratur.

o

1393 Nam *in primis*, quod attinet *ex parte nostri*\*, constat in fide, quæ destrui potest per extremos errores et extreme contrarios, sicut aliqui<sup>1</sup> hæretici dixerunt Deum ita esse unum<sup>2</sup> est: alii<sup>3</sup>, e converso, sic multiplicari Personas in Deo quod etiam multiplicatur substantia. \*n. 1388, 1392

1394 Similiter ex parte nostri modi operandi, peccatur contra fidem per defectum, ut quando quis difficile credit, ita quod etiam stantibus debitis motivis renuit<sup>4</sup> credere: peccatur<sup>5</sup> etiam per excessum, ut quando etiam ex levissimis motivis credit, nam qui *cito credit, levis est corde*<sup>6</sup>.

1395 Similiter in spe datur medium inter præsumptionem et desperationem, ut qui nimium sperat, præsumendo quod sine meritis<sup>7</sup> poterit consequi gloriam, aut qui deficit, non sperando in misericordia divina.

1396 In charitate etiam potest quis excedere aut deficere ex parte objecti secundarii\*, ut si tantum vellet diligere creaturas, quod etiam dæmones vel damnatos diligeret, aut si deficeret, nolendo homines amare. \*n. 1391

<sup>1</sup> Scil. sabelliani.

<sup>2</sup> Vivès: usus.

<sup>3</sup> Scil. ariani.

<sup>4</sup> Vivès: tenuit.

<sup>5</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 1, disp. 2, a. 3, n. 5, VII (Vivès), p. 46.

<sup>6</sup> *Eccli.* 19, 4.

<sup>7</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 17, a. 1 ad 2.



1397 XXIII. — **Quomodo autem dicatur\*** hoc medium in virtutibus theologicis esse per accidens et ex parte nostri, cum tamen Scotus velit\* quod sit medium per se? \*n. 1392 sq. \*n. 1390

1398 *Facile hoc percipitur*, considerando quod circa Deum secundum se non est nimietas in credendo, sed secundum æstimationem nostram, quia male formamus æstimationem et apprehensionem de Deo. Fidei autem valde per accidens est quod nos talem vel talem apprehensionem de Deo formemus. Et similiter quod levibus\* vel gravibus motivis ducamur in credendi <sup>1</sup>. \*n. 1394

1399 Et in spe non est nimietas in sperando de misericordia divina in se, sed prout ducitur ex prava nostra æstimatione in <sup>2</sup> eo quod requiritur ex parte nostra, scilicet quod non sine meritis\* speremus, nec sinistre apprehendamus divinam misericordiam, quasi etiam sine meritis salvet. Hæc sinistra existimatio ex parte nostri se tenet, et per accidens se habet ad veram secundum se, et secundum propriam materiam, quæ est\* Deus in se. \*n. 1391

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : credendis vel credendo.

<sup>2</sup> Vivès : id.

## ARTICULUS II

### QUOMODO FIT CONNEXIO IN VIRTUTIBUS

1400 I. — **Secunda\* proprietas virtutum** est connexio inter ipsas. \*n. 1318

1401 Est autem connexio ista virtutum duplici modo considerabilis, *aut* aliquarum virtutum inter se, *aut* cum aliis.

1402 Cum enim sit <sup>1</sup> triplex ordo et linea virtutum, scilicet intellectualium, moralium, et theologiarum, potest in unoquoque genere et ordine considerari *dupliciter* ista connexio, *uno modo* inter se, id est, inter illas quæ sunt ejusdem ordinis et generis, verbi gratia, omnes intellectuales inter se, omnes morales ; [*alio modo* <sup>2</sup>], inter virtutes diversi generis, verbi gratia, intellectuales cum moralibus, vel theologicis, aut e contra.

1403 Et sic possunt diversæ combinationes fieri ex uno genere virtutum ad aliud, et e contra.



1404 Nomine autem connexionis intelligimus dependentiam unius virtutis ab alia, ita ut una non possit stare\* sine alia in subjecto. \*n. 1414

<sup>1</sup> Vivès : fit.

<sup>2</sup> Sic videtur legendum.

- 1405 Quæ dependentia et connexio potest esse, *vel* quantum ad essentiam et substantiam virtutum, *vel* quantum ad aliquam perfectionem et statum accidentalem : qui status accidentaliter et major perfectio, *vel* potest omnino accidentaliter et disparate se habere ad ipsam essentiam et substantiam virtutum, *vel* potest per se ad illam comparari perseitate subordinationis, sicut virtutes morales\*, quæ essentialiter\* sunt circa media, ex subordinatione ad finem perficiuntur et statum habent. \*n. 84 \*n. 1355-1378



## PRÆSUPPOSITA CERTA

- 1406 II. — **Tria sunt certa.**



- 1407 **Primum\***, circa virtutes intellectuales, neque inter se *omnes* esse connexas, neque cum virtutibus moralibus aut theologis. \*n. 1412 sq.

- 1408 Dico *omnes*, nam aliquæ sunt connexæ, sicut scientia<sup>1</sup> cum habitu principiorum, non e contra, sicut prudentia cum virtutibus moralibus, quarum rectas intentiones supponit, et media eis constituit et dirigit.



<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 3.

- 1409 III. — **Secundum\* certum est**, virtutes omnes theologicas inter se\* non<sup>1</sup> esse connexas necessario, in homine tamen justo pro hac vita omnes theologicae sunt connexæ. \*n. 1406, 1418 sq. \*n. 1402

- 1410 Non tamen sunt connexæ istæ virtutes theologicae cum intellectualibus\*, neque cum moralibus acquisitis, quantum ad substantiam\* virtutis. \*n. 1407 \*n. 1405, 1579-1644



- 1411 IV. — **Tertium\* certum est**, aut communiter receptum, virtutes morales infusas esse connexas<sup>2</sup> cum charitate aliisque virtutibus theologis, et charitatem cum ipsis, etiam inter se connexas esse. \*n. 1406, 1423 sq.



- 1412 V. — **Primum\* præsuppositum** est certum, nam qui habet unam scientiam vel artem non habet alias ; imo vix est homo qui omnibus scientiis possit esse exercitatus, aut omnes artes calleat. \*n. 1407 sq.



- 1413 Quæ sit autem causa cur artes et scientiæ in intellectu non sint connexæ, et virtutes in voluntate connecti possint.

- 1414 *Rationem* assignat S. Thomas in quæstione LXV<sup>3</sup>, art. I ad tertium et quartum, quia scientiæ et artes habent pro materia, aliqua quæ nec inter se colligantur, nec cum

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 4 et 5.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 2 et 3.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 3 et ad 4.

aliquo tertio, et ideo non dependet consistentia\* et perfectio unius ab alia : dependent autem omnes materiæ virtutum a prudentia, et prudentia non potest perfecte hominem dirigere nisi supponat\* tamquam primum principium rectam intentionem circa omnes materias virtutum circa quas potest operari ipsa prudentia. Et ista recta intentio in qualibet virtute elicitur ab ipsamet virtute\*, saltem tamquam per priorem actum, deinceps per prudentiam disponitur ad præstituendum\* medium hic et nunc ad eligendum.

\*n. 1404

\*n. 908, 1567

\*n. 1455, 1466

\*n. 1735,  
1745 sq.

1415 Et sic uniri possunt omnes virtutes in ipso actu prudentiæ, quia si prudentia perfecta est et firma, supponit omnes virtutes effecisse rectam intentionem, licet nondum cum actu electionis.

1416 Scientiæ autem non uniuntur in aliquo regulativo illarum, quia licet dependeant a principiis, non tamen ista principia præsupponunt ipsas scientias, sicut prudentia supponit rectas intentiones omnium virtutum. Et ideo neque scientiæ neque artes uniuntur, sicut connectuntur virtutes morales ut prudentia formetur.

1417 De quo amplius statim\* dicemus, agendo de connexionem virtutum moralium acquisitarum.

\*n. 1436-1560

\* \*

1418 VI. — **Secundum\* præsuppositum** etiam manifestissimum est, quia in peccatore manet fides et spes, et non manet charitas, et potest etiam manere fides sine spe in eo qui desperat, nullum articulum discredendo. Non ergo omnes theologicæ virtutes sunt inter se connexæ.

\*n. 1409 sq.

1419 E converso tamen charitas sine spe et sine fide stare non\* potest, quia : *Sine fide impossibile est placere Deo*<sup>1</sup> : qui autem est in charitate diligitur<sup>2</sup> a Deo et placet Deo.

\*n. 1409

◊

1420 Quod etiam non sint connexæ istæ virtutes theologicæ cum virtutibus intellectualibus et moralibus, constat in infantibus baptizatis, quibus charitas et aliæ virtutes theologicæ infunduntur\*, nec tamen habent aliquam virtutem acquisitam, sive moralem, sive intellectualem.

\*n. 1190-1201

1421 Et in adultis potest aliquis justificari in primo instanti usus rationis, in quo nullæ virtutes possunt esse acquisitæ, quia nondum possunt esse exercitæ.

1422 Et multi sunt justis, et habent virtutes theologicas, qui tamen pluribus artibus et scientiis carent\*.

\*n. 878

\* \*

1423 VII. — **Tertium\* præsuppositum** est certum apud omnes qui has virtutes morales per se infusas admittunt\*. Nam sicut virtutes morales acquisitæ non\* possunt stare sine recta intentione circa finem ultimum, ex qua dimanet recta dispositio et electio circa media, ita neque potest dari virtus moralis infusa, quæ versatur circa media supernaturalia, aut saltem modo supernaturali etiam si objectum naturalis ordinis sit, nisi supponendo intentionem rectificatam circa finem supernaturalem, et hoc non facit nisi

\*n. 1411

\*n. 1174 sq.

\*n. 1579-1644

<sup>1</sup> Heb. 11, 6.<sup>2</sup> Cf. Joan. 14, 23.

charitas\*, quæ diligit super omnia finem ultimum in se, qui est\* ipse Deus. \*n. 1561-1578  
\*n. 1391

1424 Sed neque charitas sine his virtutibus subsistere potest, quia non\* potest diligi finis ultimus super omnia nisi sit rectificatus affectus in diligendo ista omnia, quæ utique ipso Deo inferiora sunt, atque adeo pertinent ad media respectu illius finis. \*n. 1227-1244

1425 Hoc autem exigit charitas, quia est amor efficax in ordinando ad Deum, et consequenter dirigendo quod per media recte tendatur ad talem finem.

o

1426 VIII. — Sunt denique inter se connexæ istæ virtutes morales infusæ.

1427 *Tum quia* simul omnes quoad habitum infunduntur ubi infunditur gratia.

1428 *Tum quia* justificatio et rectificatio per gratiam est perfecta\* et simpliciter talis ; ergo debet relinquere hominem habitualiter perfectum in omnibus materiis, quibus ab hac rectificatione recedi potest, quæ sunt omnes materiæ morales, ita ut pro nulla recedere velit a Deo, quod non esset si habitualiter non esset inclinatus ad omne rectum in quacumque materia. \*n. 1227 sq.

1429 *Tum quia* charitas ordinat amorem Dei et proximi, proximus autem non amatur per charitatem, nisi etiam

quis amet se ipsum<sup>1</sup>, et corpus<sup>2</sup> suum propter Deum. Hoc autem stare non potest, nisi simul habeat adjunctas omnes virtutes quæ rectificant operationes quæ erga nos sunt per moderationem passionum : sine<sup>3</sup> his enim non amamus nos ordinate ad Deum ; et similiter operationes quæ sunt erga proximum, et pertinent ad justitiam\* et partes ejus, sine quibus proximus non diligitur. \*n. 929-930

1430 Omnes ergo virtutes, tam in ordine ad passiones quam in ordine ad operationes, debent esse simul inter se cum charitate, si charitas in subjecto sit.

1431 An vero deficiente charitate possint aliquæ virtutes infusæ morales manere in homine peccatore, et pro hac parte possint aliquando istæ virtutes infusæ separari et non esse connexæ inter se, statim\* dicemus. \*n. 1562



#### PUNCTUS DIFFICULTATIS ET RESOLUTIO

1432 IX. — **His suppositis\***, restant aliquæ difficultates circa connexionem\* virtutum acquisitarum inter se, et præsertim cum prudentia. \*n. 1406 sqq. \*n. 1436 sqq.

1433 Et **secundo\***, circa connexionem virtutum infusarum moralium cum charitate. \*n. 1561-1578

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 44, a. 7 ; q. 25, a. 4.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 25, a. 5.

<sup>3</sup> Vivès : fine.

1434 Et tertio\*, de connexion et dependentia virtutum acquisitarum a gratia et charitate, ut veræ\* virtutes sint. \*n. 1579-1644  
\*n. 1410

1435 Quas difficultates per dubitatiunculas breviter resolvemus.



### DUBIUM I

#### AN VIRTUTES ACQUISITÆ MORALES SINT INTER SE CONNEXÆ, ITA QUOD QUI HABET UNAM HABEAT RELIQUAS?

1436 X. — Respondetur valde commune esse axioma inter antiquos Philosophos et sanctos Patres et Scholasticos auctores, quod virtutes omnes connexæ sunt inter se, et qui unam habet, reliquas habere videatur.

1437 Unde S. Thomas in hac quæstione LXV<sup>1</sup>, art. I, dicit quod si accipiatur virtus moralis ut perfecta\* virtus inclinans in bonum opus bene agendum, « sic accipiendo virtutes morales, dicendum est eas connexas esse, ut fere ab omnibus ponitur ». — Et in argumento *Sed contra*, citat auctoritates Ambrosii, Augustini et Gregorii id aperte affirmantium. \*n. 1455

1438 Nam Ambrosius<sup>2</sup>, libro V super Lucam, ad illa verba : *Beati pauperes spiritu*, dicit : « Connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes ; ut qui unam habet, plures habere videatur. »

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1.

<sup>2</sup> *In Luc.*, Lib. V, super 6, 20 (PL 15, 1653).

1439 Et Augustinus<sup>1</sup>, VI *De Trinitate*, capite IV : « Virtutes, inquit, quæ sunt in animo humano, . . . nullo modo separantur ab invicem. »

1440 Et S. Gregorius, XXII *Moralium*<sup>2</sup>, capite primo, inquit quod « una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta ». Quæ est ipsamet sententia D. Thomæ<sup>3</sup>.

1441 Imo et S. Hieronymus, qui videtur aliquo modo in oppositam\* sententiam declinare in *Dialogo*<sup>4</sup> *contra Pelagianos*, cum objiceret virtutes sibi esse unitas et connexas, respondet sententiam hanc esse Philosophorum\*, non Apostolorum, et tamen admittit connexas esse has virtutes non participatione, sed proprietate : « Necessè est enim, inquit, ut singuli excellant in quibusdam. » \*n. 1444 sq.  
\*n. 1451, 1479 sq.

1442 Quibus verbis satis explicat\* S. Hieronymus se non negare has virtutes absolute connexas esse, sed non cum æquali excellentia et proprietate, licet secundum participationem omnes sint, quod potest intelligi secundum participationem\* prudentiæ, in qua omnes virtutes uniuntur. \*n. 1482  
\*n. 1483, 1538

1443 Nec enim (ut postea\* videbimus) omnes virtutes sunt connexæ secundum suam entitatem formaliter et secundum exercitium\* in sua propria materia, quam aliquando non habent, sed taliter sunt aliquæ virtutes in animo quod aliæ parvo studio possunt statim acquiri, ut docet S. Thomas, \*n. 1524-1560  
\*n. 1469, 1487 1508

<sup>1</sup> *De Trin.*, Lib. VI, cap. 4 (PL 42, 927).

<sup>2</sup> *Moral.*, Lib. XXII, cap. 1 (PL 76, 212).

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1.

<sup>4</sup> *Dial. adv. Pelag.*, Lib. I, 19 (PL 23, 512), — Cf. D. Thomas, *In III Sent.*, dist. 36, a. 1 ad 6.

quæstione hac LXV<sup>1</sup>, articulo primo ad primum, et hoc est esse non pro entitate\*, quia nondum propria earum \*n. 1483 entitas in subjecto est.

\* \*

- 1444 XI. — **Nihilominus** hanc communem sententiam negavit Scotus<sup>2</sup>, in III, dist. XXXVI, quæst. I, § *Quantum ad istum articulum*, qui absolute negat\* virtutes esse connexas, neque inter se essentialiter neque quoad statum perfectum et ratione prudentiæ. \*n. 1488-1523
- 1445 Quem sequuntur\* aliqui Nominales, Ocham<sup>3</sup>, Gabriel<sup>4</sup>, et alii, et Vazquez<sup>5</sup> hic, disp. LXXXVIII, cap. IV, ex parte Lorca<sup>6</sup> hic, disp. XX. \*n. 1538
- 1446 Sed Scotus supponit pro sua sententia tuenda prudentiam non esse unam\*, aut solum esse unam in genere, diversas<sup>7</sup> vero prudentias esse pro diversitate virtutum, et ita cum entitates virtutum ex propriis rationibus non sint connexæ, et alias ex parte prudentiæ non uniuntur\*, non habet in quo connectantur et uniantur. \*n. 1455-1469
- 1447 Lorca autem cum admittat unam tantum prudentiam, non plures, dicit virtutes solum debere esse connexas quando prudentia est in ultima sui perfectione\* et consummatione, \*n. 1458

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> In III *Sent.*, dist. 36, a. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 597-598.

<sup>3</sup> In III *Sent.*, q. 12, a. 13, *princ.*

<sup>4</sup> In III *Sent.*, dist. 36.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, disp. 88, cap. 4.

<sup>6</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, disp. 20, cap. 4 et 5.

<sup>7</sup> Cf. D. Thomas, In VI *Ethic.*, lect. 11, n. 1288 (Pirota).

eo quod prudentia habet dependentiam circa materias virtutum in quibus se exercet, et consummata prudentia exercetur circa materias omnium\* virtutum, et sic supponit connexionem earum sicut et exercitium. \*n. 1414

○

- 1448 Et in idem convenit solutio patris Vazquez loco citato\*, capite IV et V, respondens ad testimonium Aristotelis, qui expresse affirmat VI *Ethicorum*<sup>1</sup>, c. XIII, quod cum prudentia, quæ est una, simul intrant universa, inquit enim Vazquez quod intelligitur hoc de prudentia prout extensa\* ad omnes materias virtutum, quod est sumere prudentiam sicut Lorca\*, in sua ultima perfectione et complemento. Sed tamen quia absolute potest dari prudentia non extensa ad omnes materias virtutum, sed tantum exercitata in aliquibus materiis, potest stare cum vera et essentiali prudentia quod non omnes virtutes sint connexæ. \*n. 1445, 1458, 1447
- 1449 XII. — Et ad auctoritates\* ex sanctis Patribus allatas. \*n. 1437 sq., 1477 sq.
- 1450 Ad Ambrosium\*, respondet [Vazquez] quod non dicit qui habet unam omnes habere, sed plures. \*n. 1438, 1478
- 1451 Ad Hieronymum\*, non loqui ex propria sententia, sed illam sententiam de connexione virtutum docet esse Philosphorum, non Apostolorum. Et cum dicit esse omnes virtutes connexas participatione, non proprietate, intelligitur quod secundum generales\* modos, qui includuntur<sup>2</sup> in qualibet virtute, scilicet, ut firmiter, temperate, juste. \*n. 1441, 1479 sq., 983

<sup>1</sup> *Ethic.*, VI, cap. 13 (1145 a 1).

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 61, a. 3 et 4; q. 65, a. 1.



et prudenter procedat, sunt connexæ, non secundum proprias rationes.

- 1452 Ad Augustinum\*, dicitur vere fuisse in hac sententia \*n. 1439, 1484 in illo loco ex sexto *De Trinitate*<sup>1</sup>, obiter\* tamen ibi id \*n. 1484 dixisse, oppositum enim tenet in epistola\* XXIX Ad \*n. 1485 *Hieronimum*<sup>2</sup>.

\* \*

- 1453 XIII. — **Cæterum** neque istæ explicationes\* sanctorum \*n. 1477 sq. neque fundamentum Scoti\* a communi sententia, quam \*n. 1446, 1488-1523 cum Aristotele<sup>3</sup> magistro et D. Thoma<sup>4</sup> sequuntur fere\* \*n. 1437 omnes theologi, nos deterrent.

- 1454 *Et ratio est*, quia virtutes omnes fundantur in una\* \*n. 891-922, 1446 prudentia\*, et tendunt ad unum statum perfectum, quo \*n. 1455 sq. perficiant hominem sub<sup>5</sup> uno\* fine, qui est vivere secundum \*n. 901, 1470 sq. rationem<sup>6</sup>, qui status perfectus esse non potest sine omnibus virtutibus: et ideo quia de se et ex sua natura\* petunt \*n. 1492 connexionem, sine qua status ille obtineri non potest.

o

- 1455 XIV. — Et quidem **ex parte prudentiæ\*** petitur ista \*n. 1470 sq. connexio, quia prudentia est una\* virtus directiva omnium \*n. 891-922 actionum humanarum, præsupponensque rectam intentio-

<sup>1</sup> *De Trin.*, Lib. VI, cap. 4 (PL 42, 927).

<sup>2</sup> Epist. CLXVII Ad *Hieron.*, cap. 2 (PL 33, 735).

<sup>3</sup> Cf. *Ethic.*, VI, cap. 13 (1144 b 1 sq.).

<sup>4</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1; *De Virt. Card.*, a. 2.

<sup>5</sup> Vivès: suo.

<sup>6</sup> Cf. Pseudo-Dionys., *De Div. Nom.*, cap. 4, § 32 (PG 3, 733). — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 18, a. 5.

nem de fine. At\* non potest recta intentio de fine haberi \*n. 1459 sine rectificatione quæ fit per omnes virtutes\* morales. \*n. 1414 Ergo non potest dari una prudentia nisi habeant connexionem omnes virtutes cum ipsa. Et sic qui habet prudentiam, habet omnes virtutes, et qui caret prudentia, nullam habet virtutem perfectam\*; ergo perfectæ virtutes connexæ esse \*n. 1437 debent.

- 1456 *Major probatur*, quia quod prudentia sit una, ex supradictis\*, disputatione præcedenti constat, quia tota materia \*n. 891-922 agibilem unitur sub uno ordine ad finem moralem, ita quod sicut ars navigatoria dicitur una, licet diversis partibus constet, quia tractat de omnibus pertinentibus ad finem navigationis, et scientia dicitur una, licet tractet de diversis materiis, quia de omnibus illis agit sub eadem habitudine et formali ratione ad eadem principia, ita prudentia, quæ est directiva propriæ gubernationis et regiminis (ut omittamus\* prudentias gubernativas aliorum, ut regnativam, \*n. 918, 1007 militarem, œconomicam, etc.), oportet quod etsi tractet plures materias, omnes enim pertinent ad vitam humanam, et delinquendo<sup>1</sup> in una, simpliciter deficit a prudentia, quia deficit\* ab assecutione finis, et errat practice, quia omnis \*n. 1472 peccans est ignorans<sup>2</sup>, id est, imprudens, siquidem ad peccandum requiritur defectuosum dictamen.

- 1457 Oportet ergo quod prudentia ista sic rectificativa includat non unam tantum materiam moralem agibilem, sed etiam plures, et eadem ratio est de omnibus\*, quia sub \*n. 1414

<sup>1</sup> Cf. *Jac.* 2, 10.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, In III *Ethic.*, lect. 3, n. 410 (Pirota); *De Malo*, q. 2, a. 3 ad 9; *De Ver.*, q. 15, a. 3 ad 2 et ad 6; q. 22, a. 15 ad 1; *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 13, a. 1 ad 3; q. 78, a. 1 ad 1.

eodem fine\* continentur, scilicet, sub fine recte vivendi<sup>1</sup> \*n. 1454 conformiter ad rationem, et sic habet unam rationem formalem sufficientem ad unitatem prudentiæ: sicut sufficit similis unitas ad unitatem artis vel scientiæ, licet circa plures materias versetur.

- 1458 XV. — **Dices\***: Esto sit, tamen bene poterit prudentia \*n. 1459 talem statum habere, quod non\* extendatur ad omnes suas \*n. 1448 materias, licet de facto aliquas comprehendat: sicut potest dari scientia una quæ de se potest extendi ad plures conclusiones, de facto tamen non extenditur ad omnes, et sic poterit esse talis scientia sine connexionem omnium conclusionum; ergo et prudentia sine extensione ad omnes materias virtutum, et tunc non erunt annexæ<sup>2</sup> illi omnes virtutes. Et sic solum quando prudentia est extensa\* ad omnes \*n. 1466 materias, vel in sua ultima perfectione et complemento, petet connexionem omnium virtutum, quæ est sententia\* \*n. 1447-8, 1469 Vazquez et Lorca.

- 1459 XVI. — **Sed contra hoc\*** instatur, et urgetur ex \*n. 1458 probatione *minoris\**, in qua dicitur quod non potest recta \*n. 1455 intentio de fine (quæ præsupponitur<sup>3</sup> ad prudentiam) haberi sine rectificatione omnium\* virtutum. \*n. 1414

- 1460 Ex hoc enim constabit quod prudentia non respicit solum materias omnium virtutum, sicut scientia conclusiones, sed sicut principia\* a quibus dependet prudentia, ut generetur\*. \*n. 794, 1414 \*n. 1516

- 1461 Virtutes enim morales, etsi sint habitus electivi<sup>1</sup> et ad electionem recte faciendam tendant<sup>2</sup>, tamen necessario debent supponere rectam intentionem, non solum circa bonum in communi\*, sed in eadem materia virtutis in qua \*n. 1463 debet fieri electio, verbi gratia, ad eligendum hic et nunc temperate comedere, vel tentationi libidinis resistere, supponi debet non solum affectus et intentio ad bonum in communi, sed etiam affectus ad temperantiam et castitatem, ita ut pro nullo\* velit homo temperantiam aut castitatem \*n. 1515 amittere.

- 1462 Nisi enim ita fuerit firmatus affectus, nunquam poterit virtuose et efficaciter consiliari de mediis, aut eligere illa, aut præcipere, qui sunt actus\*<sup>3</sup> prudentiæ, nisi ineffaciter \*n. 470, 920 et tepide, sicque deficiet sæpe in electionibus et in mediis operandi virtutem, quia ex inefficaci amore alicujus finis in materia determinata non sequitur virtuosum et efficax imperium, neque in eligendo, neque in exequendo.

- 1463 Iste autem affectus, quo homo afficitur ad bonum rationis in hac vel illa materia determinata, intendendo\* \*n. 1738 sq. illam efficaciter, id est, taliter quod pro nullo velit illam relinquere, debet provenire ab aliquo principio determinato, et non a sola voluntate indifferenti, aut a solo appetitu seu voluntate boni in communi\*, quia nullum istorum sufficienter \*n. 1461 potest voluntatem inclinare in hoc bonum determinatum ut efficaciter illud intendat, cum solum sit de bono in communi, aut indifferenter ad bonum vel malum se habeat.

<sup>1</sup> Vivès: vincendi.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: connexæ.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 6.

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

<sup>2</sup> Vivès: tendat.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 8.

- 1464 Non<sup>1</sup> est autem aliud principium a quo proveniat illa intentio, nisi illa\* virtus quæ tractat de illa materia, verbi gratia, ad intendendum et afficiendum voluntatem ad castitatem, virtus castitatis; ad intendendum jura<sup>2</sup> et afficiendum ad justitiam, virtus justitiæ. \*n. 1414
- 1465 Ejusdem\* enim virtutis est in sua materia afficere ad bonam intentionem et inclinare ad bonam electionem moderarique illam, præsertim quia etiam in virtutibus quæ moderantur passiones inchoatur\* a voluntate habente affectum moderandi illas, consummaturque in appetitu eliciente passiones ipsas moderatas\*. \*n. 364-377  
\*n. 436-438
- 1466 XVII. — Ex hoc ergo probatur præcedere\* debere ante prudentiam rectificationem istam secundum intentionem in materiis omnium virtutum, ita ut tales rectæ intentiones se habeant ut principia\*, quibus generatur prudentia, et sic debent colligari omnes virtutes cum prudentia, non solum quando prudentia se extendit\* ad omnes materias virtutum, et in illis se exercet, sed etiam\* quando ipsa prudentia in sua substantia et specie generatur. \*n. 1414  
\*n. 794, 1460  
\*n. 1458  
\*n. 1469
- 1467 *Et ratio est*, quia prudentia est directiva mediorum in ordine ad electionem, et ad consiliandum de mediis in materia morali; ergo supponere debet rectam intentionem, quia hæc necessario antecedit electionem per modum principii\*, et similiter antecedit consilium: nemo enim\* consiliatur de mediis [nisi]<sup>3</sup> ex præsuppositione alicujus finis, iste autem habetur per intentionem. \*n. 1414

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 58, a. 5.

<sup>2</sup> Vivès: dura.

<sup>3</sup> Videtur addendum.

- 1468 *Rursus*, prudentia illa est virtus directiva omnium virtutum moralium, seu totius materiæ moralis et agibilis; ergo debet supponere intentionem rectificatam circa omnem materiam moralem, quia circa omne<sup>1</sup> illud debet supponi rectificata intentio circa quod potest esse directio prudentiæ; ergo ut generetur prudentia de se et ex sua formali ratione directiva omnium virtutum, debet præsupponi affectus et intentio rectificata circa omnes\* illas materias. \*n. 1414
- 1469 Non potest autem rectificari circa omnes materias intentio, nisi sint colligatæ omnes intentiones rectificantes circa tales materias, et consequenter omnes virtutes, quæ rectificant affectus et intentiones in suis materiis, licet non supponatur *exercitium*\* electionum omnium. Ergo colligatæ debent esse omnes virtutes, non solum quando prudentia est in ultima perfectione et complemento, seu in tota sua extensione\*, quantum ad *exercitium* electionum, sed etiam† quando ipsa prudentia habet ex sua specifica ratione formali esse directiva omnium electionum, et consequenter præsupponere omnem rectam intentionem in materiis virtutum, quod est ipsas esse colligatas *ex parte affectus*\*, et in proxima dispositione ut generentur et acquirantur modico exercitio, si materia occurrat\*, ut affirmat S. Thomas in hac quæstione LXV<sup>2</sup>, articulo primo ad primum. \*n. 1443, 1487, 1508  
\*n. 1458  
†n. 1466  
\*n. 1531  
\*n. 1511

o

- 1470 XVIII. — Et ex hoc deducitur\* **secunda ratio**, seu fundamentum supra\* insinuatam. \*n. 1455 sq.  
\*n. 1454

<sup>1</sup> Vivès: omnem.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1.

1471 Nam virtutes morales tendunt\* et dirigunt hominem ad\*<sup>n. 901</sup> obtinendum unum finem proprium hominis, qui est vivere secundum rationem<sup>1</sup>. Ergo necessario debet in hoc fine colligari omne illud sine quo talis finis obtineri et haberi non potest.

1472 Nam qui intendit unum finem, necessario unit et colligit in illo, et attingit omne medium sine quo talis finis haberi non potest. At qui non habet aliquam ex virtutibus, sed deficit in illa, deficit\* in aliquo sine quo talis finis haberi non potest : qui enim delinquit in uno *factus est omnium reus*<sup>2</sup>, eo quod ex defectu et peccato aliquo circa aliquam virtutem amittitur finis, tum supernaturalis, tum naturalis rectitudinis, quia manet aversus quis a Deo, et sine integritate rationis ; ergo ex amissione et defectu alicujus virtutis amittitur finis debitus et rectitudo ejus, et consequenter supposito fine recto, ad quem necessario tendit quælibet virtus, oportet quod omnes virtutes sint connexæ, quia ex cujuslibet defectu, deficit ille finis ad cujus integritatem per se et essentialiter ordinantur virtutes, et sine illis non habetur.

1473 XIX. — Ad quod etiam facit, quod virtus aliqua non solum potest corrumpi a suo contrario directo, verbi gratia, justitia ab injustitia, temperantia ab<sup>3</sup> intemperantia, sed etiam a vitio alteri virtuti opposito, ut patet cum aliqua mulier intemperate vivit, non ex amore libidinis (quam potius horret\*), sed ex motivo cupiditatis. Et judex, qui<sup>n. 1534</sup>

<sup>1</sup> Cf. Pseudo-Dionys., *De Div. Nom.*, cap. 4, § 32 (PG 3, 733). — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 18, a. 5.

<sup>2</sup> *Jac.* 2, 10.  
Vivès : ad.

corrumpit justitiam ex motivo avaritiæ, vel lasciviæ, non ex amore injustitiæ, vere injustus est, sicut illa mulier intemperans.

1474 Ergo ut virtus aliqua conservetur et non corrumpatur, non solum indiget præservari a suo contrario, sed etiam a vitiis contrariis aliis virtutibus. Qui autem se præservat ab illis vitiis, debet habere virtutes illas eis oppositas. Ergo ad conservationem unius virtutis, omnes aliæ necessariæ sunt, et sic connexæ esse debent omnes.

1475 XX. — **Dices** : Non potest materia unius virtutis moralis pertinere ad rectam intentionem\*, sed solum ad rectam electionem, quia objectum virtutis moralis seu materia non est finis (sicut est objectum virtutum theologalium<sup>1</sup>), sed est aliquid circa finem et eligibile ; ergo male ponimus pertinere ad virtutes morales intentionem in sua materia morali, et non solum electionem, et ratione intentionis præcedentis prudentiam\* uniri et connecti omnes virtutes. <sup>n. 1461-1465</sup> <sup>n. 1466-1469</sup>

1476 *Respondetur* virtutes morales versari quidem circa electionem mediorum, sed non repugnare quod illa media sint etiam fines, non quidem ultimi, sicut est finis circa quem versantur virtutes theologicæ, sed intermedii\*, et ratione hujus sunt capaces actus intentionis, non quidem intentionis quæ versetur circa ultimum finem, sed circa finem intermedium, eo quod materia moralis virtutis non est pure utilis, sed etiam bona in se, et ratione sui appetibilis<sup>2</sup>. <sup>n. 1232, 1739 sq.</sup>

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 63, a. 3 ad 2 ; q. 68, a. 4 ad 3.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia, q. 5, a. 6.

\* \*

1477 XXI. — **Explicationes\* sanctorum** quas affert Vazquez sunt nullius momenti. \*n. 1449 sq.

1478 Nam quod attinet ad S. Ambrosium\*, prius loqui de virtutibus indiscriminatim et indefinite, dicendo quod connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes, quæ locutio nullam virtutem excludit, sed omnes comprehendit, quia illa indefinita æquivalet universali. Cum ergo postea addit Ambrosius : « Ut qui unam habet, plures habere videatur », de eisdem pluribus loquitur de quibus antea locutus fuerat ; ergo si indefinite dixerat de virtutibus quod erant connexæ, ita et plures indefinite dicit habere ab eo qui unam habet, et hoc est idem atque habere omnes. \*n. 1450

1479 XXII. — Quod vero attinet ad S. Hieronymum\*, sciendum est ipsum docere hanc sententiam de connexione virtutum in commentariis super *Isaiam*, cap. XVI<sup>1</sup>, ad illa verba : *Super hoc venter meus quasi cithara sonabit ad Moab*, comparans consonantiam virtutum harmoniæ chordarum in cithara, et super caput LVI<sup>2</sup>, parum post initium. \*n. 1451

1480 In illo autem loco\* ex primo *Dialogo contra Pelagianos*<sup>3</sup>, introducit ibi Hieronymus duas personas colloquentes, Critobulum, nomine Pelagianorum, Atticum, nomine Catholicorum. Et Critobulus dicit : « Et quomodo legimus : qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes ? » Et \*n. 1441, 1451

<sup>1</sup> In *Isaiam*, Lib. VI, super 16, 11 (PL 24, 238).

<sup>2</sup> In *Isaiam*, Lib. XV, super 56, 1 (PL 24, 538).

<sup>3</sup> *Dial. adv. Pelag.*, Lib I, 19 (PL 21, 512).

respondet Atticus : « Participatione, non proprietate ». Sed quia dixerat Critobulus : « Et quomodo legimus, etc. » : quo verbo significare videbatur hoc legi in Scriptura, urget deinde Atticus, dicendo : « Hoc quod legisse te dicis, ubi scriptum sit nescio ». Et cum Critobulus respondisset hanc esse sententiam Philosophorum, respondet Atticus « sed non Apostolorum ».

1481 Non quia neget hanc esse veram sententiam, sed ut responderet illi dicto quod hoc non legebatur in Scripturis, quia Scriptura non exprimit omnes virtutes esse connexas.

1482 Cum autem responsio illa nomine Attici sit sententia Hieronymi, et in illa admittat omnes virtutes esse connexas participatione, non proprietate, potest intelligi\* quod participatione gratiæ habet omnes, non proprietate, id est, propriis viribus : hoc enim ibi intendebat Hieronymus contra Pelagianos. Sed hoc modo non solum omnes, sed nec unam habet homo proprietate, id est, ex propriis viribus, frustra ergo applicatur hoc omnibus. \*n. 1442

1483 Quare legitimus\* sensus Hieronymi ex ejus verbis colligitur, quia dicit sic : « Participatione, non proprietate. Necessè est ut singuli excellent in quibusdam » : illa enim causalis sensum declarat Hieronymi, quod non sunt omnes virtutes ita entitative connexæ ut in eodem gradu et æqualitate omnes habeantur, licet in participatione, saltem prudentiæ, et in proxima\* dispositione ut habeantur in proprietate et entitate simul sint connexæ, ut sequenti\* dubio explicabitur. \*n. 1442, 1538  
\*n. 1443  
\*n. 1524-1560

1484 XXIII. — Quod attinet ad Augustinum\*, *non potest dici* ibi solum obiter locutum, cum tam expresse loquatur. \*n. 1452

1485 In illa vero epistola\* XXIX, in principio admittit quidem Augustinus virtutes esse connexas; postmodum vero docere videtur unam virtutem posse haberi sine alia, sed tamen indicat se loqui de actibus potius quam de habitibus; actus autem constat non esse ita inter se conjunctos ut non possit unus elici sine alio, ut quotidie videmus quod exercetur quis in una virtute, sine hoc quod recordetur alterius. \*n. 1452

1486 Quod autem loquatur de actibus virtutum Augustinus potius quam de habitibus, patet ex ejus verbis<sup>1</sup>: « Ita, inquit, sunt animæ intentiones, sicut corporis membra, . . . quorum aliud illuminatur magis, aliud minus, aliud omnino caret lumine; . . . ita profecto illustratur magis piæ charitatis affectus in alio actu, in alio vero minus, in alio nihil, secundum quod potest dici habere aliam virtutem, et aliam non habere, et aliam magis, aliam minus habere. »

1487 Quod intelligitur de ipso exercitio et actu, scilicet, quod potest habere aliam virtutem, aliam non habere secundum exercitium, cum enim immediate ante loqueretur de actu in quo magis, vel minus, vel nihil illustratur piæ charitatis affectus, quando statim subdit illa alia verba: « Secundum quod potest dici habere aliam virtutem, et aliam non habere », *ly secundum quod* est restrictivum, et facit sensum quod secundum id quod dixerat, scilicet, secundum actum

<sup>1</sup> Epist. CLXVII *Ad Hieron.*, cap. 4 (PL 33, 739).

seu exercitium\* potest habere unam virtutem, et aliam non habere, non\* secundum habitum. \*n. 1469  
\*n. 1485

\* \*

1488 XXIV. — **Objicies ex Scoto\***: Nam virtutes ideo sunt connexæ inter se, quia integrant unum bonum rationis, seu statum perfectum vivendi secundum rationem; sed in his quæ integrant unum totum non\* est necesse quod singulæ partes sint connexæ, ut patet in toto corporali, quod ex suis partibus constat, ut corpus ex membris, et tamen non est necesse quod omnia membra sint connexa, quia potest corpus esse sine manu, aut sine oculo; ergo etiam totum spirituale seu morale potest esse sine aliqua parte seu virtute. \*n. 1444, 1453, 1496 sq.  
\*n. 1497

1489 XXV. — **Confirmatur primo\***, quia vitia non<sup>1</sup> sunt connexa inter se, etiam si homo in peccando habeat unum finem ultimum, scilicet se ipsum\*; ergo neque virtutes necessario connexæ sunt, etiam si ad unum finem rationis ordinentur. \*n. 1498 sq.  
\*n. 1500

1490 Et scientiæ et artes\* non sunt connexæ inter se, licet habeant eundem habitum principiorum a quo pendent. \*n. 1502

1491 Et multæ etiam virtutes\* non sunt actu existentes cum aliis, et consequenter neque connexæ, sicut virginitas\* deesse potest conjugatis, et tamen reliquas virtutes habere; et liberalitas et magnificentia\* desunt pauperi, et tamen habet alias virtutes. Et idem est si unus se exerceat circa materiam unius virtutis, et non alterius. \*n. 1504 sq.  
\*n. 1508 sq.  
\*n. 1508

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 73, a. 1.

- 1492 Defuerunt etiam Christo fides, spes et pœnitentia, et in Angelis non\* sunt pœnitentia, temperantia, castitas, fortitudo et aliæ virtutes quæ versantur circa passiones; ergo non sunt connexæ omnes virtutes ex sua natura et formali ratione\*. \*n. 1149-1169, 1506
- 1493 XXVI. — **Confirmatur secundo\***, quia ex opposita† sententia sequuntur duo magna inconvenientia. \*n. 1513 sq. †n. 1436, 1453
- 1494 **Primum\***, quod acquirantur omnes virtutes unico actu seu unica acquisitione unius virtutis, etiam si homo non se exercent nisi in una materia. Nam si omnes sunt connexæ, ergo una non stat sine alia; ergo cum acquiritur una, verbi gratia, liberalitas per aliquas donationes, statim erit ille homo castus, et iustus, et fortis, et religiosus, etc., quod est absurdum et contra experientiam. \*n. 1514 sq.
- 1495 **Secundum\* est**, quia si virtutes sunt connexæ inter se, prius erunt virtutes quam connectantur, siquidem quod connectitur cum alio virtus est, et rursum ad hoc connectuntur ut sint virtutes; ergo committitur circulus si ponitur ista connexio virtutum in ratione virtutis. \*n. 1523
- ◊
- 1496 XXVII. — **Respondetur\*** quod virtutes se habent ut partes componentes unum statum integrum et perfectum rationis, et sic ex sua formali et propria ratione et per se loquendo requirunt\* connexionem, et habent illam in ipsa ratione prudentiæ\*, et in proxima† dispositione acquirendi illam, licet per accidens\* et materialiter seu ex parte materiæ non semper illam habeant, ut statim dicemus dubio sequenti\*, \*n. 1488  
\*n. 1454  
\*n. 1455 sq.  
†n. 1469  
\*n. 1533 sq.  
\*n. 1535

et docet S. Thomas in hac questione LXV<sup>1</sup>, articulo secundo ad primum.

- 1497 Quare *sicut* partes et membra corporis\* de se habent et petunt connexionem in ipso composito ratione animæ et formæ in qua uniuntur, et quando corpus est in statu perfecto habent illam, licet per accidens ex defectu materiæ vel dispositionum possit aliqua pars deesse et non possit de novo acquiri: *sic* in virtutibus contingit quod ipsæ de se, ex sua formali ratione, petant connexionem in statu suo perfecto, et ratione prudentiæ regulantis illas, licet per accidens\* et in statu aliquo imperfecto possit aliqua deesse, vel etiam non acquiratur nec exercentur ex defectu materiæ non occurrentis, nec ex defectu formæ seu rationis formalis id postulantis. \*n. 1488  
\*n. 1533 sq.
- 1498 XXVIII. — **Ad primam\* confirmationem, respondetur.** \*n. 1489
- 1499 Et *primo* est disparitas<sup>2</sup> inter vitia et virtutes, quod vitia sunt defectus rationis a debita mensura, non perfectiones integrantes eam. Unde cum deficient ab unitate regulæ et mensuræ, non habent aliquam rationem in qua uniuntur, sed potius unde dissolvantur in multipliciter: sicut enim a veritate speculativa, quæ consistit in indivisibili, contingit deficere per multipliciter, ita in veritate practica et regulatione actionum proceditur, quod ad consummandam et integrandam istam regulationem fit reductio ad unitatem; quæ vero ab ista regulatione defi-

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 73, a. 1.

ciunt, etiam ab unitate et indivisibilitate recedunt, et sic ex ipsa ratione vitii, quod est deficientia a regula, vitia non dicunt connexionem et unitatem, sed dissolutionem et multipliciter.

1500 Et hoc magis constat, considerando quod vitia *neque ratione materiæ* uniuntur, cum possit quis exerceri in una materia peccati, verbi gratia, luxuriæ, et non in alia, verbi gratia, iniustitiæ. *Neque ex parte prudentiæ\**, quia vitia \*n. 1455 sq. non regulantur ab una prudentia, aut ab una regulatione, sed sine iudicio et consilio recto errando ducuntur. *Neque ex parte unius\* finis*, quia finis peccantis, qui est amor \*n. 1470 sq. proprius\*, non indiget ad sui consecutionem omni vitio, sed \*n. 1489 in quolibet potest stare.

1501 Denique contingit vitia esse contraria, ut prodigalitas, et avaritia, et de se non sunt in medio, sed in extremis per defectum, vel recessum; ergo non sunt connexa si sunt contraria.

1502 XXIX. — *Secundo\**, disparitas inter scientias et artes \*n. 1490 ex una parte, et virtutes ex alia, ponitur a D. Thoma in articulo primo<sup>1</sup>, solutione ad tertium, quia virtutes intellectuales versantur circa diversas materias, quæ ad invicem non sunt ordinatæ, quia una non infertur ex alia, nec dependet ab alia. Tota autem connexio in intelligibilibus est penes illationem\* et discursum. Unde quotiescumque \*n. 1408 inter unam veritatem intelligibilem et aliam non potest esse illatio, nec dependentia\* unius ex alia, non est connexio. \*n. 1404 Et sic cum diversæ veritates scibiles ita se habeant quod

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 1 ad 3.

multæ non inferuntur, neque dependent ex aliis, neque connexionem habent inter se, sicut veritates artis sutoriæ non dependent a carpentaria vel cæmentaria, neque veritates Arithmetiæ a Metaphysica, vel e contra.

1503 At vero virtutes morales dependent\* a regulatione prudentiæ, et rursus\* hæc recta regulatio prudentiæ dependet \*n. 1455-1469 a recta intentione circa omnes\* materias morales, quia ex \*n. 795 sq. cujuslibet\* corruptione potest corrumpi, et hoc ideo est, \*n. 1414 quia in istis regulationibus moralibus voluntas et intellectus \*n. 1472 ad invicem<sup>1</sup> se movent et ab invicem dependent, et ita connectuntur ad invicem, quia est mutua dependentia, nec potest stare illa regulatio et illa finis perfecti consecutio, si ex aliqua parte deficit, eo quod bonum et perfectio moralis consistit in integritate<sup>2</sup>, sicut dependentia veritatum in illatione\*, integritas autem vitæ ex quacumque depravatione \*n. 1502 destruitur, et sic omnium depravationem excludit; ergo omnes virtutes includit.

1504 XXX. — *Tertio\**, circa illas virtutes in quibus aliquis \*n. 1491 se non exercet, vel quarum materia sibi non occurrit\*, aut \*n. 1516, 1535 impossibilis redditur, ut virginitas corruptæ, fides beato, poenitentia Christo, **dicimus** quod connexio virtutum intelligitur semper in eo statu et modo quo sunt \*n. 1815 possibiles\*.

1505 *Aliquæ* enim virtutes sunt absolute possibiles subjecto, *aliquæ* solum pro aliquo statu vel ex aliqua suppositione, *alix* sunt omnino extraneæ aut impossibiles subjecto.

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 9, a. 1; q. 58, a. 5 ad 1.

<sup>2</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 71, a. 5 ad 1.



- 1506 Nam, verbi gratia, virtutes supernaturales non sunt connexæ in statu puræ naturæ, sed supposita elevatione ad illum finem; neque fides est debita, nisi pro statu viæ; neque lumen gloriæ, nisi pro statu patriæ; neque pœnitentia, nisi supposito peccato aut capacitate peccati in persona; neque virtutes moderativæ passionum, nisi in hominibus, non in Angelis; nec enim loquimur nisi de virtutibus humanis\*. \*n. 1108
- 1507 XXXI. — *Et in summa*, virtutes sunt connexæ in subjecto et statu capaci, et secundum terminos habiles, non extra illos.
- 1508 Quando autem subjectum est capax talis virtutis, sed deest materia in qua se exerceat, ut materia magnificentiæ\* \*n. 1491 in paupere, virginitatis in corrupta, tunc non potest acquirere habitum talis virtutis in actu ex parte exercitii\*, et ex parte \*n. 1469 ejus quod est *materiale* in virtute, sed potest acquirere ea virtute<sup>1</sup> quoad *formale*\* virtutis, scilicet quoad electionem \*n. 1516 internam\* et promptitudinem animi, quod est dispositus<sup>2</sup> \*n. 1511 ad exercendum se in illa materia si occurreret.
- 1509 Et hoc est quod dicit S. Thomas in articulo primo hujus quæstionis LXV<sup>3</sup> ad primum, quod potest quis habere virtutes morales sine hoc quod habitus aliquarum virtutum habeat actu, sed habet eas in potentia propinqua\*, \*n. 1535 ita quod occurrente materia earum, modico studio eas acquireret.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum: eam virtutem.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Videtur legendum: dispositio.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1.

- 1510 Intelligitur enim quod non habet eas actu, sed potentia, si non exerceat, neque actum internum\* electionis, neque \*n. 1508 actum et exercitium externum circa materiam talis virtutis quæ non occurrit, licet utrumque modico exercitio possit acquirere.
- 1511 Si tamen internum\* electionis actum exerceat, licet non \*n. 1508 externum ob defectum materiæ\*, sicut si pauper eligat facere \*n. 1535 magnos sumptus quando possit, de facto tamen non exerceat, quia deest materia, habebit quidem virtutem in actu\*, et \*n. 1491 non solum in potentia, sed impeditam ad exercendum actum externum, quod modico studio poterit facere si materia occurrat\*. \*n. 1469
- 1512 Unde etiam virginitas\*, ut est virtus interna, quoad \*n. 1491 suum *formale* resurgit in pœnitente, licet quoad *materiale* non possit restaurari, ut docet\* S. Thomas, 2-2, quæst. \*n. 1556 CLI<sup>1</sup>, art. III.
- 1513 XXXII. — **Ad secundam\* confirmationem, re-** \*n. 1493 sq. *spondetur* neutrum inconueniens sequi.
- 1514 **Non primum\***, quia virtutes non sunt connexæ nisi \*n. 1494 sint perfectæ\* secundum prudentiam ejusque directionem, \*n. 1530-1532 et talis perfectio non acquiritur unico\* actu regulariter \*n. 1517 loquendo (nam aliquando si fiat actus ex motivis plurium virtutum valde perfectis et intensis, non erit inconueniens unico actu æquivalente pluribus generari simul plures virtutes), nam consuetus et ordinarius modus est elici actus circa particulares materias ex motivis particularibus et ex

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 152, a. 3 ad 3.

- honestate tantum illius materiæ, et sic generatur habitus virtutis imperfectus, et adhuc in statu inchoationis\*. \*n. 1523
- 1515 Crescente vero frequentatione circa illam materiam vel circa alias virtutes, assuefit homo ad hoc ut amet honestatem virtutis vel virtutum, taliter ut pro nullo\* velit illam relinquere in nulla materia, et in hac intentione firmatur. \*n. 1461, 1530
- 1516 Inde vero generatur\* dictamen prudentiale ad eligendum media in quacumque materia morali, taliter quod in omni materia vult eligere quod honestum et virtuosum est, et tunc jam sunt connexæ omnes virtutes, saltem *formaliter*\*, ex ipsa formali ratione prudentiæ, et quasi in potentia proxima\*, licet aliquæ desint in actu quantum ad occurrentiam\* propriæ materiæ et exercitium in illa, hoc enim non est inconveniens, ut S. Thomas docet articulo primo<sup>1</sup> ad primum, et statim\* explicabimus. \*n. 1508  
\*n. 1509, 1535  
\*n. 1504  
\*n. 1524-1560
- 1517 XXXIII. — **An vero possit** quis primo et unico\* actu velle honestatem alicujus virtutis taliter<sup>2</sup> ut pro nullo velit illam relinquere, et sic unico actu in una tantum materia virtutis habito, generabit omnes habitus aliarum virtutum in quibus se non exercuit, quod est inconveniens. \*n. 1514
- 1518 *Respondetur* quod velle honestatem virtutis taliter quod pro nullo illam relinquat stat *dupliciter*.
- 1519 *Uno modo*, cum cognitione distincta cujuslibet materiæ occurrentis, et pro nulla illarum vult relinquere honestatem virtutis.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> *Vivès* : aliter.

- 1520 *Alio modo*, cum sola cognitione confusa et in communi faciendi bonum et non faciendi malum.
- 1521 Hoc *secundo modo* non sufficit ad habendam prudentem<sup>1</sup> perfectam, quæ uno tantum actu non\* acquiritur, et consequenter neque ex vi illius connectuntur omnes virtutes. \*n. 1514
- 1522 *Primo\* modo* generatur prudentia perfecta, et sunt omnes virtutes ; sed id non fit unico actu communiter loquendo, sed pluribus, quia est voluntas circa diversas materias, quæ de se petunt plures actus. \*n. 1519
- 1523 **Nec sequitur secundum\* inconveniens**, quia ille circulus nullo modo tenet : prius enim sunt virtutes quam connectantur, loquendo de virtutibus in esse et statu imperfecto et quasi inchoativo\* ; ad hoc autem connectuntur ut sint virtutes in statu perfecto, et sic non est circulus. \*n. 1495  
\*n. 1514

★ ★ ★

## DUBIUM II

### QUOMODO INTELLIGENDUM SIT ISTAS VIRTUTES CONNEXIONEM HABERE ITA QUOD SIMUL SINT IN SUBJECTO ?

- 1524 XXXIV. — Hoc est *an* ratione sui, ita quod ubi est habitus unius virtutis sit etiam\* habitus alterius actualiter et in re ; *an* ratione unius tertii in quo virtualiter et in potentia proxima continentur, scilicet ratione prudentiæ\*. \*n. 1494  
\*n. 1455-1469

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum : prudentiam.

1525 Et rursus *an* sint connexæ et simul istæ virtutes in quocumque statu et secundum substantiam\* consideratæ; \*n. 1405 *an solum* in statu perfecto, et quis sit ille status.

\* \*

1526 XXXV. — **Respondetur**, relictis multorum dictis et sententiis, in his duobus\* consistere totam explicationem \*n. 1529 difficultatis. Supposito enim quod virtutes sint connexæ ex oppositione\* ad vitia, quæ vel sunt contraria, vel disparata, \*n. 1499-1501 restat videre quomodo sint connexæ, et quo statu.

1527 Et quidem hæc duo tetigit D. Thomas in hoc articulo primo<sup>1</sup>, dicens in corpore articuli quod virtutes in statu imperfecto non\* sunt necessario connexæ, in statu autem \*n. 1514 perfecto sunt connexæ.

1528 Deinde in solutione ad primum<sup>2</sup> docet quod aliquæ virtutes, scilicet quæ petunt aliquem eminentiorem statum, non\* semper sunt simul in actu, sed sufficit quod sint in \*n. 1535 sq. potentia propinqua, ita quod modico exercitio possunt acquiri.

1529 In his duobus\* explicandis totus cardo hujus difficultatis \*n. 1526 vertitur.

o

1530 XXXVI. — **DICIMUS ergo quod nomine virtutis perfectæ non intelligimus nudum et merum habitum entitativum virtutis, seu inclinationem ad bonum**

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1

**in aliqua materia, puta temperantiæ, vel justitiæ, sed habitum inclinantem ad illud bonum ex ipsa honestate\* virtutis, et regulatione talis prudentiæ quod pro nullo\* velit facere oppositum.** \*n. 1461, 1546, 1615 \*n. 1515, 1546

1531 Quando inclinatio virtutis pervenit ad hunc statum et perfectionem, habet\* connexas alias virtutes, saltem \*n. 1514 secundum actum intentionis et affectum\*, licet non semper \*n. 1469 habeat eas in exercitio, quia hoc dependet a materia occurrenti\*, quæ non semper habetur. \*n. 1504

1532 Non autem requiritur ad hoc quod virtutes sint connexæ quod habeant alium statum perfectiorem, puta quod sint in gradu heroico, aut coordinatæ charitati, aut in aliqua magna intensione et exercitio, sed ex sua natura, hoc ipso quod subduntur illi dictamini prudentiæ\*, quod pro nulla \*n. 1455-1469 re velit homo oppositum virtutis, sed operari ex honestate illius, hoc ipso virtutes omnes sunt connexæ, et debent esse acquisitæ, saltem quoad bonum affectum et intentionem interiorem.

o

1533 XXXVII. — **DICIMUS SECUNDO quod in duobus casibus virtutes non sunt connexæ per accidens, et non ex ipsa natura virtutis.**

1534 **Primo, ob defectum inclinationis\* nondum perfectæ et firmæ in ratione virtutis, id est, quia nondum operatur ex sola honestate ipsius virtutis, taliter ut pro nullo\* velit oppositum facere, licet ex naturali\* dispositione vel particali affectu habeat quis inclinationem ad illam materiam** \*n. 1553 \*n. 1530 \*n. 1614

virtutis, puta ad castitatem vel mansuetudinem, potius quam ad ipsam honestatem virtutis, sicut contingit plures esse mansuetos, quia nolunt inquietari, sed accommodari, et plures esse castos, qui habent horrorem\* ad spurcitiam, non\* ex sola et mera honestate virtutis et bono rationis, quod in nullo casu et pro nulla re velint relinquere.

\*n. 1546, 1547,  
1614  
\*n. 1473

1535 **Secundo**, contingit virtutes non esse simul connexas et existentes in actu, etiam si quis habeat affectum firmum operandi ex honestate virtutis, *ob defectum materiæ\** *occurrentis\**, ratione cujus non potest exerceri in illa virtute, nec\* acquirere eam in actu, licet habeat illam quasi in debito et in potentia propinqua\*.

\*n. 1554 sq.  
\*n. 1504  
\*n. 1496  
\*n. 1509

1536 Et quia virtutes quæ pertinent ad communem statum hominis communiter etiam earum materia occurrit, ideo istæ semper acquiruntur, seu non desunt *ex defectu materiæ\** *occurrentis*. Solum ergo deesse potest materia in his quæ ad communem statum non pertinent, sed ad aliquem statum eminentem, ut docet S. Thomas, articulo primo<sup>1</sup> ad primum.

\*n. 1554 sq.

1537 XXXVIII. — Unde *aliud* est non esse omnes virtutes simul existentes in actu, *aliud* non esse connexas: sicut aqua potest non habere existens frigus in actu, et tamen habet connexionem cum frigore, quia est debitum illi, et exigit habere illud, et in proxima potentia habendi est.

1538 Et fere omnes auctores\* qui negant connexionem virtutum, est quia negant existentiam omnium virtutum semper dari, non debitum et exigentiam: qua ratione etiam in-

\*n. 1444 sq.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 1 ad 1.

telligo dictum S. Hieronymi supra\* relatum, quod qui habet omnes participatione, non proprietate, id est, non semper in actu proprio et existentes, sed semper in debito participandi.

\*n. 1441-1442,  
1483

1539 **Nec obstat** quod hac ratione etiam fides et spes charitatem exigunt, et connaturaliter\* se habent ad illam, et tamen non\* sunt connexæ.

\*n. 1409  
\*n. 1418

1540 *Respondetur* enim quod non<sup>1</sup> petunt\* charitatem ex propria et specifica ratione sui motivi, sicut virtutes morales, sed ex accidentali\* statu quo imperantur a charitate; virtutes autem morales exigere hanc connexionem ex sua formali ratione et motivo, statim\* ostendimus.

\*n. 1562  
\*n. 1405  
\*n. 1577

\* \*

1541 XXXIX. — **Utrumque\* hoc dictum constat**, legendo litteram D. Thomæ in hac quæstione LXV<sup>2</sup>, articulo primo.

\*n. 1527-1528

o

1542 Nam in corpore distinguit de virtute morali, quod potest accipi *perfecta*, vel *imperfecta*.

1543 Et *nomine imperfectæ\**, intelligit aliquam inclinationem ad faciendum aliquid de genere bonorum, sive hæc inclinatio sit a natura, sive ex assuetudine.

\*n. 1548, 1609

1544 *Perfecta\* autem virtus moralis* est habitus inclinans in bonum opus bene agendum.

\*n. 1530

<sup>1</sup> Cf. *Sum. Theol.*, IIa-II<sup>æ</sup>, q. 4, a. 3; q. 23, a. 8.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 1.

- 1545 Et primo modo, dicit non esse connexas virtutes morales, sed secundo\*. \*n. 1514
- 1546 Non ergo oportet discurrere quid D. Thomas intelligat nomine virtutis perfectæ, quid nomine imperfectæ, cum ipse manifeste declaret. Solum enim distinguuntur penes hoc quod est inclinari ad aliquod bonum præcise\*, vel inclinari ad bonum bene, et ly *bene* est ex motivo ipso honestatis\* ut proponitur et dirigitur a prudentia ; nullus autem ex honestate virtutis prudenter dirigitur et inclinatur nisi ita adhæreat honestati quod pro nullo\* velit illam dimittere : hoc enim ipsum postulat honestas virtutis ut omnibus anteponatur. \*n. 1534  
\*n. 1530, 1615  
\*n. 1518-1522
- 1547 XL. — Et inde est quod habitus virtutis ex natura sua, id est, ex ratione formali et motivo proprio virtutis est *difficile\* mobilis*, quia non solum debet inclinare ad bonum, sed ad bene agendum : non autem bene agit, nisi ita agat quod pro nullo honestatem\* virtutis relinquat. Inclinatio autem illa ad bonum, sed non bene, non est virtus formaliter, sed solum dispositive\*, quia nondum est ex sua natura et ex ratione formali *difficile mobilis*. \*n. 1611  
\*n. 1615  
\*n. 1578, 1601
- 1548 Et sic perfecta et imperfecta virtus hic\* a D. Thoma non sumitur pro perfecta ratione alicujus status accidentalis\*, sed ratione essentialis\* rationis et formalis motivi, scilicet quia imperfecta\* est solum inclinatio ad bonum opus, perfecta vero est inclinatio ad bonum et ad bene, id est, ad operandum ex ipsa honestate virtutis, ita ut pro nullo\* derelinquat illam. Distinctio autem inclinationum ex specifica et formali ratione, ita ut ex ipsa habeat firmitatem\*, \*n. 1541  
\*n. 1405  
\*n. 1611  
\*n. 1543, 1609  
\*n. 1530  
\*n. 1549

- et sit habitus *difficile mobilis*, est distinctio specifica et essentialis ab inclinatione non firma nec *difficile mobili*, quæ est dispositio, et non habitus.
- 1549 XLI. — Ex quibus plane deducitur quod firmitas\* virtutis in moralibus exigit connexionem omnium\* aliarum virtutum, quia habitus moralis in voluntate non redditur *difficile mobilis* eo modo quo habitus intellectualis, scilicet ex evidentia, qua cogitur intellectus ab objecto, sed habitus moralis inclinatur liberam et contingentem voluntatem in objectum ; unde non potest habere rationem *difficile mobilis* nisi ex firma apprehensione et dictamine quod honestas illa virtutis pro nullo relinquenda sit, et in hac intentione firmata voluntas etiam firmiter procedit ad electionem, quia ex firmo et efficaci amore\* finis firmatur voluntas circa media et executionem. \*n. 1548  
\*n. 1456, 1472  
\*n. 1611
- 1550 Hoc autem motivum ita firmum quod pro nulla re velit quis relinquere honestatem virtutis non potest haberi nisi circa omnes materias in quibus potest moraliter deficere firmatus, ne in illa velit relinquere honestatem virtutis, nam si in illa claudicat, etiam deficiet\* in alia, si illa concurrat cum ista, ut si quis claudicat in castitate, non exercebit fortitudinem aut justitiam, si hæc exercenda sit occurrente\* materia castitatis. \*n. 907, 1474  
\*n. 1473
- 1551 Quare ipsum motivum virtutis, ut sit *difficile mobile* atque adeo firmum et prudentiæ dictamini innixum, exigit connexionem cum aliis\* virtutibus, ne in aliqua materia illarum deficiat, et ex illo defectu, etiam in propria honestate alterius virtutis firmum non sit, licet per accidens\* ex defectu \*n. 1474  
\*n. 1535

materiæ aut alterius conditionis requisitæ possit stare exercitium unius virtutis sine exercitio\* alterius, et sine actuali acquisitione habitus ejus, ut statim\* dicemus. \*n. 1469  
\*n. 1554 sq.

o

1552 XLII. — **Secundum\* dictum** constat ex D. Thoma, eadem quæst. LXV<sup>1</sup>, articulo primo ad primum, et in corpore articuli. \*n. 1528, 1533 sq.

1553 Nam quod possint virtutes non esse connexæ *ex defectu\* inclinationis perfectæ*, patet ex dictis\*, quia potest quis disponi et inclinari ad bonum virtutis ex assuefactione vel inclinatione naturæ, puta in materia liberalitatis aut temperantiæ, et non in alia materia ad quam non ita est dispositus vel assuefactus; et quia non inclinatur ex firmo affectu ad honestatem\* virtutis, non est ita dispositus ut pro nullo velit non<sup>2</sup> relinquere illud bonum virtutis; unde non exigit connexionem aliarum virtutum ad hoc ut tale motivum sit virtuosum et firmum, sed operatur illud bonum rationis in illa materia ex motivo particulari quo illi afficitur, non ex generali, ut observetur honestas virtutis, quæ generalitas omnem virtutem connectit\*. \*n. 1534  
\*n. 1542 sq.  
\*n. 1548  
\*n. 1515-1516

1554 XLIII. — Quod autem possint virtutes aliquæ *ex defectu materiæ\**, quæ non occurrit, non generari neque acquiri, et sic sine illis dari alias, constat ex his quæ ibi docet<sup>3</sup> solutione ad primum. \*n. 1535

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1, et ad 1.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Superflua negatio, uti videtur.

<sup>3</sup> D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1 ad 1.

1555 Nam etsi operetur quis in aliqua materia firmiter ex honestate virtutis, si tamen materia ipsa ad se exercendum in virtute non occurrat\*, vel reddatur impossibilis, ut virginitas in corrupta, divitiæ ad magnificentiam in paupere, non poterunt exerceri operationes illius virtutis, et consequenter neque assuefactiones, atque adeo neque habitus. Ergo ex defectu occurrentis materiæ poterunt non esse in actu aliquæ virtutes, licet in potentia proxima sint ut acquirantur. \*n. 1504 sq.

1556 XLIV. — Sed tamen notandum est quod licet ex impossibilitate vel defectu materiæ non possint aliquæ virtutes acquiri per exercitium exterius, possunt nihilominus exerceri quoad actus internos et electionem ipsam, sicut pauper\* potest eligere et velle facere magnos sumptus cum debitis circumstantiis, si materia suppeteret; et carens virginitate corporis potest eligere et velle omni venere carere, etiamsi<sup>1</sup> nunquam expertus fuisset. Hac enim ratione virtus virginitatis potest per pœnitentiam recuperari\* (id est, voluntas servandi illam), licet integritas virginitatis non possit, ut docet S. Thomas 2-2, quæstione CLI<sup>2</sup>, articulo III. \*n. 1511  
\*n. 1512

1557 Hoc ergo modo potest quis habere virtutes istas etiam *in actu* quantum ad inclinationem et electionem internam\*, quamvis materia externa deficiat, sed non habebit illam in actu quoad usum exercitiumque\* externum. \*n. 1508  
\*n. 1469

1558 Potest etiam carere illa inclinatione et actu interiori, si non occurrat illa materia, etiam in interiori cognitione

<sup>1</sup> Sensus est: ac si.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 152, a. 3 ad 3.

et voluntate, sed<sup>1</sup> omittat illam. Et tunc nullo modo habebit in actu illam virtutem, sed in potentia tantum proxima\*. \*n. 1535

1559 XLV. — **Ex quibus colliges**, an etiam dici possit quod quolibet actu virtutis augeantur omnes virtutes in suo habitu, quia connexæ sunt.

1560 *Respondetur* enim eodem\* modo philosophandum esse de augmento, sicut de generatione: sicut enim non generantur unico actu omnes habitus virtutum, nisi quantum ad formalem rationem prudentiæ, quæ præsupponit\* re-ctificationem omnium virtutum quantum ad intentionem et affectum, quod totum unico actu non acquiritur, sed pluribus\* imperfectis, et quousque sint perfectæ virtutes, non\* sunt connexæ; ita dicendum est de augmento, quod unico actu non possunt omnes virtutes augeri quoad rationes particulares, licet augeatur illa ratio formalis prudentiæ a qua virtualiter\* pendent virtutes. \*n. 1296  
\*n. 1414 sq.  
\*n. 1514-1516  
\*n. 1533 sq.,  
1545  
\*n. 1455-1469



#### VIRTUTES MORALES INFUSÆ CONNEXÆ SUNT CUM CHARITATE

1561 XLVI. — Negavit hoc pater Vazquez, hic disp. LXXXVIII<sup>2</sup>, capite primo.

1562 Nec enim videtur esse aliqua ratio quæ efficaciter probet hanc connexionem, præsertim cum videamus\* ipsas virtutes \*n. 1418

<sup>1</sup> Ita Vivès. Legendum: si.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 2, disp. 88, cap. 1.

theologicas non esse semper connexas, nam datur\* fides et spes sine charitate, cur ergo non poterunt dari virtutes aliquæ\* morales infusæ sine charitate. \*n. 1540, 1575 sq.  
\*n. 1431

1563 Et idem urgetur in pia affectione\*, quæ est habitus in voluntate existens supernaturalis prærequisitus\* ad fidem, et ille manet etiam in peccatore, sicut ipsa fides. \*n. 1578  
\*n. 230

1564 Et in peccatore potest dari actus attritionis\* supernaturalis antequam justificetur, ut patet ex Concilio Tridentino<sup>1</sup>, sessione XIV, capite IV; ergo etiam habitus attritionis seu pœnitentiæ supernaturalis poterit dari, ut connaturaliter talis actus eliciatur; ergo eadem ratione poterit etiam aliqua alia virtus moralis infusa dari sine charitate, utpote in peccatore. \*n. 1578

★ ★ ★

1565 XLVII. — **OPPOSITUM SENTIT\*** S. Thomas in quæstione LXV, articulo II<sup>2</sup>, et articulo IV<sup>3</sup> ad primum, et communiter sequuntur Thomistæ. \*n. 1411, 1423-1431

1566 Et ratio D. Thomæ id convincit, quia virtutes morales infusæ sunt virtutes perfectæ\*, imo perfectiores quibuscumque acquisitis, quia ex altiori et firmitiori motivo quam quæcumque virtutes acquisitæ operantur, scilicet ex motivo supernaturali proposito per prudentiam\* etiam infusam et supernaturalem, siquidem proximum\* regulativum et directivum virtutum \*n. 1544, 1546-1548  
\*n. 1241, 1570  
\*n. 1571

<sup>1</sup> *Conc. Trident.*, sess. 14, cap. 4 (Denz. 898).

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 2.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 65, a. 4 ad 1.

moralium est prudentia, quæ determinat quid eligendum sit hic et nunc, et movetur ex consilio et iudicio supernaturali.

- 1567 Sed prudentia supponit\* rectam intentionem circa finem et adhæsiōnem ad ipsum : tum circa fines particulares in ipsis materiis agibilibus, tum a fortiori circa ipsum finem ultimum, a quo particulares fines dependent, et cui per se subordinantur ; ergo si supponunt prudentiam eique connectuntur virtutes morales, a fortiori supponunt\* charitatem sine qua non\* est recta intentio in fine ultimo supernaturali.

\* \*

- 1568 XLVIII. — Dices primo\* non requiri prudentiam ad regulandas virtutes istas morales, sed sufficere fidem, quæ eminenter est practica, quia per charitatem operatur<sup>1</sup> ; ergo est directiva operum nostrorum in materia virtutum.

◊

- 1569 Secundo\* dices non requiri ad prudentiam infusam unionem, sed intentionem assequendi, et hæc fit per spem, etiam sine\* charitate, quia spes respicit bonum divinum ut assequibile, et sic tendit in illud seu intendit.

\* \*

- 1570 XLIX. — Sed contra primum\* est, quia fides non est discursiva, sed tantum credit ob testimonium dicentis ; ad prudentiam autem pertinet consilium et inquisitionem facere, quod in nobis sine discursu et probatione non fit.

<sup>1</sup> Cf. Gal. 5, 6.

Ergo præter fidem requiritur alia virtus pure practica, quæ consiliari et inquirere possit practice circa agibilia, et hæc est prudentia\* infusa.

\*n. 1241, 1566

- 1571 Dicitur tamen fides eminenter practica<sup>1</sup>, quia dirigit spem et charitatem, et sic dicitur<sup>2</sup> quod per dilectionem operatur. Relinquit autem locum ad hoc ut aliæ etiam virtutes modo inferiori\* per discursum et inquisitionem possint dirigere et consiliari, quantum ad ea quæ agenda sunt hic et nunc, et secundum rectam intentionem finium particularium\*, fides autem dirigit ordinationem ad finem ultimum\*.

\*n. 1566

\*n. 1567

\*n. 1567

◊

- 1572 L. — Contra secundum\* autem instatur, quia prudentia dirigit ad procedendum bene\* et juste et secundum rationem, non\* solum ad faciendum bonum aliquod opus ; non potest autem bene et juste seu recte procedere, nisi supponat affectum ad finem ut rectificativum\* est, et non solum ut bonum quoddam desiderandum et assequendum.

\*n. 1569

\*n. 1348

\*n. 1461-1465,  
1475-1476

\*n. 1573

- 1573 Finis autem non rectificat per hoc solum quod desideratur, ut bonum ipsius hominis, sed quia diligitur appetitive super omnia in se, et hoc facit\* charitas, quæ diligit Deum in se ipso : spes autem solum appetit sibi bonum divinum, et sic non diligit super omnia. Unde non\* sufficit ad prudentiam diligere Deum amore concupiscentiæ ut bonum sibi\*, quod pertinet ad spem, sed ut bonum in se et appre-

\*n. 511, 1213,  
1391, 1423,  
1425

\*n. 1569

\*n. 1577

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 4, a. 2 ad 3.

<sup>2</sup> Cf. Gal. 5, 6.



tiative super omnia, quia sic diligitur recte et ut rectificans\*, \*n. 1572  
et consequenter ad recte eligendum media pro tali fine  
disponit per dictamen prudentiæ.

★ ★ ★

1574 LI. — Unde patet **AD FUNDAMENTA\* CONTRA-** \*n. 1561 sq.  
**RIA.**

\* \*

1575 **Ad id enim quod dicitur\*** de fide et spe quod possunt \*n. 1562  
esse sine charitate, *respondetur* ita\* esse, non tamen id sequi \*n. 1418-1419  
de virtutibus moralibus infusis.

1576 • Et rationem reddit S. Thomas in hac quæstione LXV<sup>1</sup>,  
articulo quarto ad primum, quia virtutes morales infusæ  
dependent a prudentia, et connexionem\* habent cum illa, \*n. 1455-1469  
prudentia vero a charitate, eo quod prudentia procedit  
dictando electionem rectam mediorum ex recta intentione  
finis, quia media per se dependent a fine, et electio ab  
intentione, et recta electio a recta intentione. Unde sicut  
non\* potest dari recta electio sine recta intentione, ita nec \*n. 1280, 1618,  
prudentia nisi supponat rectam intentionem, quia prudentia 1640  
dirigit electionem. Recta autem intentio sine recta dile-  
ctione ultimi finis a quo omnis alia intentio pendet haberi  
non potest, atque adeo nec\* sine charitate. \*n. 1573

1577 Cæterum fides\* et spes secundum se præcise non depen- \*n. 1409, 1540  
dent a recta intentione, neque a prudentia, quia ad cre-  
dendum sufficit pia affectio\* ad res creditas, quatenus sunt \*n. 1563

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 4 ad 1.

aliquid bonum sibi\*, et ad sperandum sufficit desiderium \*n. 1573  
quo concupiscuntur æterna, non\* autem requiritur dilectio \*n. 1540  
divinorum in se et appetitive super omnia, sed hæc solum  
invenitur in fide et spe viva, scilicet quæ per dilectionem\* \*n. 1571  
operatur<sup>1</sup>.

\* \*

1578 LII. — **Ad instantiam\*** de attritione<sup>2</sup> et pia affe- \*n. 1563-4  
ctione, *respondetur* istas non esse virtutes perfectas in genere  
supernaturali, sed imperfectum\*<sup>3</sup> quid in eo genere, et per \*n. 1207  
modum dispositionis\*, non virtutis, et sic non requirunt \*n. 1547-8  
connexionem cum aliis virtutibus, sicut nec\* virtutes im- \*n. 1534, 1545  
perfectæ<sup>4</sup> connexæ sunt inter acquisitas.

● ● ●

#### VIRTUTES ACQUISITÆ ESSENTIALITER POSSUNT ESSE VIRTUTES SINE CHARITATE, NON PERFECTIVE

1579 LIII. — **In triplici statu** possumus considerare virtutes  
acquisitas.

1580 **Primo\***, secundum se, et quatenus possunt esse in \*n. 1585 sq.  
statu puræ naturæ.

<sup>1</sup> Cf. *Gal.* 5, 6.

<sup>2</sup> Vivès : attentione.

<sup>3</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 1, disp. 3, a. 3, VII  
(Vivès), p. 86-90.

<sup>4</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 1.

1581 **Secundo\***, in statu hominis elevati ad finem supernaturalem, cui etiam subministrare possunt virtutes acquisitæ, et subordinari illi superiori fini eique deservire. \*n. 1584

1582 **Tertio\***, in statu peccati. \*n. 1589 sqq.

★ ★ ★

1583 LIV. — De ipsa ergo re in duobus **non potest esse dubitatio.**

\* \*

1584 **Primum est**, quod in statu isto elevato\*, si virtutes acquisitæ sine charitate sint in peccatore, amittunt illam perfectionem qua perficiuntur deserviendo et subjiciendo se fini supernaturali. Hoc enim sine dubio magna perfectio est, sicut gratia naturam perficit<sup>1</sup>. \*n. 1581

\* \*

1585 **Secundum est**, quod in statu puræ naturæ, virtutes morales quæ acquirerentur possent habere essentialem rationem virtutum *per se loquendo*, possentque simpliciter dici virtutes. \*n. 1580, 1639

1586 Et dico *per se loquendo*, quia per accidens, ex ignorantia Dei, vel præceptorum ejus, bene possent multi carere debita observantia legis, et consequenter veris virtutibus.

1587 Probatur ergo hoc præsuppositum, quia in tali statu, etiam remoto omni respectu ad finem supernaturalem, homo

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 2, a. 3.

haberet legem et præcepta obligantia et inducentia ad bonum et punientia peccata ; hoc enim totum naturale est homini, qui ducitur ratione<sup>1</sup> in suis operibus humanis. Ergo si in tali statu et ordine, homo eliceret actus istos conformes rationi proponenti et legi præcipienti, eliceret actus bonos ; et si in illis assuefieret, generaret habitus bonos, id est, inclinantes ad similes actus a quibus generati sunt ; ergo sunt virtutes, id est, habitus electivi boni. Nec enim requiritur ad virtutem, nisi quod sit habitus electivus<sup>2</sup> bonus.

1588 Nec tollitur in illo statu in talibus virtutibus ordo ad ultimum finem bonum, quia non est necesse quod in statu naturæ sit aliquis semper in peccato, potest enim esse sine peccato conversus ad Deum finem naturalem, et ad ejus præcepta et legem ; ergo tunc habitus illi virtuosi et eorum operationes non habent ex aliqua parte aliquem defectum, nec illis deest aliquod prædicatum vel aliqua habitudo aut ordo, ratione cujus non possint dici virtutes simpliciter, quia ad hoc sufficit ut quis faciat bonum, ita ut adimpleat legem et præcepta, et habeat ordinem ad ultimum finem bonum, ita quod ab eo non sit aversus : quod potest utique haberi in statu puræ naturæ, etiam si non\* habeat charitatem et gratiam, quia non est elevatus ad finem supernaturalem. \*n. 1626 sq.

★ ★ ★

1589 LV. — **DIFFICULTAS ergo est in hoc statu præsentis\***, in quo non potest quis carere gratia et charitate \*n. 1581-1582

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *De Div. Nom.*, cap. 4, lect. 22, n. 592 (Marietti, 1950).

<sup>2</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

nisi propter peccatum, et consequenter cum aversione ab ultimo fine, quæ aversio non potest esse ab ultimo fine supernaturali quin sit etiam\* a fine ultimo naturali, siquidem omne peccatum est <sup>1</sup> contra naturam rationalem, quod non esset, si maneret peccator conversus et conjunctus Deo fini naturali, qui est finis rationalis naturæ, ex cujus recto amore maneret rectificatus in ordine naturali. \*n. 1620

- 1590 Supposito ergo quod absentia charitatis in hoc statu\* in quo homo est elevatus ad finem supernaturalem non\* potest stare sine aversione a Deo fine ultimo tam supernaturali quam naturali, **restat quæstio**, an virtutes naturales et acquisitæ ratione talis aversionis etiam in suo ordine maneat ita debilitatæ et imperfectæ quod rationem virtutis non retineant essentialiter\* aut simpliciter et denominative ; vel quid tandem sit illud\* quod in peccatore remota charitate amittit virtus acquisita. \*n. 1581 \*n. 1589 \*n. 1410 \*n. 1623

\* \*

- 1591 LVI. — In hac parte differunt D. Thomas et Scotus.

o

- 1592 Nam D. Thomas in hac quæstione LXV<sup>2</sup>, articulo secundo, et in *Secunda Secundæ*, quæstione XXIII<sup>3</sup>, articulo VII, sentit sine charitate posse dari virtutes acquisitas, quæ sint veræ et essentielles virtutes in suo genere, sed non

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 94, a. 3 ad 2 ; *De Ver.*, q. 15, a. 3 ad 4.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 2.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 23, a. 7. — Cf. etiam D. Thomas, *De Virt. Card.*, a. 2.

virtutes simpliciter, sed secundum quid, eo quod non perficiunt hominem in ordine ad bonum finem, qui simpliciter sit ultimus finis.

- 1593 At vero Scotus, in III, dist. XXXVI<sup>1</sup>, quæst. I, § *De tertio articulo*, et § *Contra hoc*, et alii censent virtutes sine charitate esse veras virtutes et perfectas in illo genere, quales sunt virtutes de quibus tractat Aristoteles in libris *Ethicorum*, et agnoverunt philosophi gentiles, qui de gratia et charitate supernaturali nihil perceperunt, et quales possent esse in statu puræ\* naturæ, licet non sint illæ virtutes ita perfectæ sicut supernaturales, aut supernaturali respectu præditæ. \*n. 1585 sq.
- 1594 Cajetanus<sup>2</sup> autem super locum citatum\* ex *Secunda Secundæ* utrumque conciliat, dicens quod virtutes acquisitæ sine charitate dici possunt virtutes philosophice loquendo, non theologice, quia in ordine ad finem quem theologus considerat, qui est supernaturalis, non conducunt virtutes illæ sine charitate, in ordine autem ad naturalem finem, quem philosophus respicit, sufficientem rationem habent virtutis. \*n. 1592

- 1595 Alii addunt quod in peccatore, amissa charitate, et conversione etiam ad finem naturalem, virtutes acquisitæ non manent simpliciter virtutes, etiam quantum ad intrinsecam virtutis perfectionem, quia remoto ordine et conversione ad rectum finem, non potest manere virtus quæ simpliciter rectificet erga media, quod utique intrinsecum

<sup>1</sup> In III *Sent.*, dist. 36, q. 1, *Opera Omnia*, XV (Vivès), p. 684-685.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 23, a. 7, n. 1 (Comment.).

est virtuti. — Ita significat Gregorius Martinez <sup>1</sup>, super hanc quæstionem LXV, art. II, dubio primo, conclusione tertia, si ejus probationes attendamus.

o

- 1596 LVII. — Ut resolutionem tradamus, tollenda est æquivocatio illius termini *simpliciter*.
- 1597 *Aliquando* enim simpliciter tale est idem quod omnibus\* \*n. 1601 modis tale, et tunc etiam debet esse tale ratione status accidentalis\*, et non solum ratione essentialis prædicati. \*n. 1405
- 1598 *Aliquando* vero simpliciter tale est idem ac vere seu absolute et essentialiter tale.
- 1599 Quam distinctionem tradit S. Thomas, III *Parte* <sup>2</sup>, quæstione L, articulo V.
- 1600 Item virtus acquisita potest amittere in peccatore rationem essentialem virtutis, et absolute esse talem ex defectu charitatis, *vel directe*\*, attendendo solum ad id quod amittit ex sola conjunctione charitatis, *vel indirecte*\*, attendendo etiam ad id quod amittit et in quo vulneratur virtus ex defectu ordinis et conversionis ad finem ultimum naturalem\*. \*n. 1589

\* \*

- 1601 LVIII. — **DICO ergo quod ex defectu charitatis in peccatore virtus acquisita amittit DIRECTE\* quod sit** \*n. 1600, 1622 sq.

<sup>1</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 2, dub. 1, concl. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIIa, q. 50, a. 5. — Etiam *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 58, a. 10 ad 2.

**virtus simpliciter, id est, omnibus\* modis; non tamen directe amittit quod sit virtus simpliciter, id est, essentialiter et absolute. Bene tamen INDIRECTE\*<sup>1</sup> et ex consequentia\* amittit essentialem rationem virtutis quantum ad rationem habitus difficile mobilis, et induit rationem dispositionis\* bonæ, quæ est virtus imperfecta\*.** \*n. 1597  
\*n. 1620 sq.  
\*n. 1611 sq.  
\*n. 1609  
\*n. 1547 sq.

- 1602 Itaque ex defectu charitatis per peccatum in nobis *indirecte* vulnerantur <sup>2</sup> virtutes acquisitæ, et mutant\* rationem habitus difficile mobilis, et sic non sunt veræ virtutes existente peccato, licet ex sola et nuda absentia charitatis, si esset\* sine peccato et sine vulneratione naturæ in conversione ad finem ultimum naturalem\*, non† amitteretur vera virtus acquisita. \*n. 1611  
\*n. 1585 sq.  
\*n. 1589  
†n. 1410

o

- 1603 Ita intelligi potest communis sensus Patrum et D. Thomæ\* in hac parte. \*n. 1592
- 1604 Nam plures ex sanctis Patribus absolute negant sine fide aut charitate veras virtutes non <sup>3</sup> esse.
- 1605 Augustinus enim in XIII *De Trinitate* <sup>4</sup>, capite ultimo, versus finem, dicit non posse esse veras virtutes sine fide et charitate. Et in quarto *Contra Julianum* <sup>5</sup>, capite

<sup>1</sup> Vivès : directe.

<sup>2</sup> Cf. S. Beda, *In Luc.*, Lib. III, cap. 10 (PL 92, 468); S. August., *Quæst. Evang.*, Lib. II, q. 19 (PL 35, 1340). — D. Thomas, *De Malo*, q. 16, a. 6 ad 12.

<sup>3</sup> Hæc negatio, uti videtur, est superflua.

<sup>4</sup> *De Trin.*, Lib. XIII, cap. 20 (PL 42, 1036).

<sup>5</sup> *Contra Julian.*, Lib. IV, cap. 3 (PL 44, 746).

tertio : « Profecto, inquit, si veram justitiam non habent infideles <sup>1</sup> ; nec alias virtutes comites ejus et socias ». Et videri etiam potest in quinto *De Civitate*, XII <sup>2</sup>, et libro XIX <sup>3</sup>, capite XXV. Et Glossa <sup>4</sup> super XIV ad *Romanos*, quæ est desumpta ex libro *Sententiarum* <sup>5</sup> Augustini ad illa verba : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, inquit : « Ubi deest agnitio veritatis, falsa est virtus etiam in bonis moribus. »

1606 Videri etiam potest Hieronymus ad *Galatas* <sup>6</sup> V, ad illa verba <sup>7</sup> : *Fructus autem Spiritus est charitas*.

1607 Et latissime Lactantius, libro quinto *Divinarum Institutionum* <sup>8</sup>, capite XV.

1608 LIX. — Item S. Thomas concludens decisionem hujus difficultatis, citato\* loco ex *Secunda Secundæ*, quæstione <sup>n. 1592</sup> XXIII, articulo VII, in calce corporis, inquit <sup>9</sup> : Si bonum particulare quod respicit particularis virtus verum bonum sit, ut est liberatio patriæ in actu fortitudinis, vel quid simile, erit quidem vera virtus, sed imperfecta sine charitate, quia deficit ordinatio in verum\* ultimum finem, et hac ratione <sup>n. 1589-1590</sup> non est vera virtus simpliciter sine charitate.

<sup>1</sup> Migne : impii.

<sup>2</sup> *De Civit. Dei*, Lib. V, cap. 12, n. 4 (PL 41, 156).

<sup>3</sup> *De Civit. Dei*, Lib. XIX, cap. 25 (PL 41, 656).

<sup>4</sup> *Glossa Ordin.*, In *Rom.* 14, 23 (PL 114, 516).

<sup>5</sup> *Prosp. Aq., Sent.*, Sent. 106 (PL 51, 441).

<sup>6</sup> In *Gal.*, Lib. III, super 5, 22 (PL 26, 418).

<sup>7</sup> *Gal.* 5, 22.

<sup>8</sup> *Div. Institut.*, Lib. V, cap. 15 (PL 6, 595-598).

<sup>9</sup> Non citatur ad ipsissima verba.

1609 Ubi prius concedens quod est vera virtus imperfecta, postea quod non est vera simpliciter satis significat nomine veræ virtutis imperfectæ\* intelligere eam quæ se habet ut <sup>n. 1548</sup> vera secundum quid et dispositive\* solum, non essentialiter <sup>n. 1601</sup> et habitualiter.

1610 Explicans enim in hac quæstione LXV <sup>1</sup>, articulo secundo ad primum, auctoritatem Prosperii <sup>2</sup>, quod virtus absque charitate potest esse communis bonis et malis, inquit D. Thomas quod accipit virtutem « secundum imperfectam rationem virtutis. Alioquin si virtus moralis secundum perfectam rationem accipiatur, bonum facit habentem ; et per consequens in malis esse non potest ».

o

1611 LX. — Ex quibus verbis sumitur fundamentum nostræ sententiæ, incipiendo ab **ultima\* parte** nostræ conclusionis, <sup>n. 1601</sup> quia peccator remota charitate ita amittit conversionem ad verum finem ultimum supernaturalem et naturalem\* <sup>n. 1589</sup> quod non potest quæcumque virtus facere bonum habentem <sup>3</sup>, neque firmum motivum habere in bono quod facit, nam motivum operandi bonum bene\* et firmiter sumitur ex <sup>n. 1544</sup> amore\* finis, ex quo firmatur quis in amore et efficacia <sup>n. 1549, 1573, 1627</sup> mediorum : amisso autem amore finis, languide fertur circa media, sicut amisso assensu principiorum, non\* potest firmiter <sup>n. 1618</sup> assentiri conclusionibus. Ergo virtus illa seu inclinatio ad aliquam materiam seu objectum bonum, quæ manet in peccatore, non\* est inclinatio difficile mobilis ex specie et <sup>n. 1547</sup>

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 65, a. 2 ad 1.

<sup>2</sup> *Sent.*, Sent. 7 (PL 51, 428).

<sup>3</sup> Cf. *Aristot., Ethic.*, II, cap. 5 (1106 a 15 sq.).

motivo suo formali, sed ex aliqua accidentali assuefactione, et sic specie\* differt a virtute perfecta, id est, quæ ex sua perfectione specifica difficile postulat\* moveri et radicata est, et sic mutatur\* per peccatum in quamdam imperfectam virtutem, quæ solum pertinet ad genus dispositionis\*, non ad habitum difficile mobilem ex sua specifica ratione.

1612 LXI. — **Dices\*** : Bene potest ille qui est in peccato operari opus perfectæ virtutis, si ex ipsa operis honestate\* et bono fine faciat aliquod opus bonum, verbi gratia, eleemosynam\* aut jejunium, et non moveatur ex fine pravo ad quem est conversus ; ergo etiam erit capax habitus qui sit perfecta\* virtus, id est, quæ inclinet ad operandum ex bono fine ultimo : qui enim est capax actus, etiam et habitus, qui ex frequentatione\* actuum generatur.

1613 **Confirmatur\***, quia alias uno actu peccati omnes virtutes acquisitæ destruerentur, et amitterent speciem et quidditatem suam, et sic desinerent eo modo quo charitas et aliæ virtutes infusæ, quæ unico actu peccati mortalis destruuntur ; cum tamen non possit unum peccatum esse contrarium omnibus virtutibus, sed tantum illi in cujus materia peccatur, ut intemperantia temperantiæ, etc.

1614 LXII. — **Respondetur\*** peccatorem quamdiu manet in peccato posse operari actum aliquem perfectæ virtutis, perfectione se tenente *ex parte operis*, non ex parte operantis\*, quia ita exercet bonum opus in hac materia propter bonum finem debitum illi, quod tamen ex parte voluntatis non vult reddere a propria voluntatis<sup>1</sup> ; unde si occasio se

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : recedere a propria voluntate.

offerat implendi propriam\* voluntatem, relinquet opus illud bonum quod faciebat, et adhærebit voluntati suæ : sicut mulier ex propria inclinatione\* temperans et casta, sed nimis timida, exercere quidem potest actum castitatis bonum, sed non perfecte virtuosum, quia si offeratur occasio timoris, potius illi cedit, quam castitatem servet, et sic erit bonum opus castitatis ex parte operis, non\* virtuosum et perfectum ex parte operantis, qualis requiritur ad virtutem, et ad connexionem virtutum.

1615 Sic qui facit eleemosynam\* ex fine honesto, sed non est firmiter affectus ipsi honestati\* potius quam propriæ voluntati, quia habet propriam voluntatem pro fine, etsi in isto particulari actu non operetur ex illa, simpliciter non est firmus et difficile\* mobilis in ipsa honestate, et sic non operatur ex honestate ut perfecta\* et virtuosa in illo opere.

1616 LXIII. — **Ad confirmationem\***, *respondetur* unico actu posse tolli virtutes acquisitas *quantum ad formale*, quod tenet se ex parte prudentiæ\* et connexionis virtutum et firmitatis motivi, quod requiritur\* ut virtutes sint quoad specificationem habitus difficile mobiles : hoc enim pendet tamquam ex per se requisito\* a recta intentione finis ultimi, quæ tollitur\* per peccatum mortale<sup>1</sup>.

1617 Non autem tolluntur virtutes per contrariam assuefactionem *in sua materia* : hoc enim non fit nisi multiplicatis actibus, sicut, verbi gratia, si temperantia tollatur per intemperantiæ vitium. Sed tamen *quando\** sic tollitur virtus per suum vitium oppositum, non remanet inclinatio virtutis

<sup>1</sup> Vivès : morale.

opposita, neque quantum ad habitum virtutis in ratione difficile mobilis, neque quantum ad inclinationem virtutis per modum dispositionis\*, sed totum convellitur per oppositam assuefactionem vitii. \*n. 1534

- 1618 LXIV. — *Quando\* autem sine generatione habitus vitiosi*<sup>1</sup>, per solam aversionem peccati mortalis<sup>2</sup>, destruitur motivum virtutis in ratione difficile\* mobilis, tunc destruitur virtus acquisita ex defectu formalis motivi, quod sit ex sua specie difficile mobile, sed remanet inclinatio illi similis ex assuefactione præterita, quæ non ex sua specie sit difficile mobilis et ex suo formali motivo, sed per modum dispositionis\* diuturnæ se habeat, minus tamen firmo motivo fundata, quia deficit firmitas finis, quæ est principium\* firmitatis in electione : sicut destructo principio, destruitur firmitas assensus circa conclusionem, licet possit quis illi assentiri ex aliqua assuefactione aut credulitate, vel probabili motivo circa illam. \*n. 1617  
\*n. 1616  
\*n. 1547 sq.  
\*n. 1576, 1611

- 1619 Nec est difficile istas species dispositionis et habitus facile transmutari mutato motivo, quia ex assuefactione præterita est homo proxime habilis ad prorumpendum in similem affectum, si occurrat illa materia, etiamsi cesset formale et specificum motivum sic difficile mobile ex parte finis, quod ante occurrebat.

- 1620 LXV. — Quod autem ista destructio essentiæ virtutum ex absentia charitatis sit **indirecta\***, *constat*, quia peccatum quod fit in una materia, verbi gratia, in materia tempe-

<sup>1</sup> Vivès : virtuosus.

<sup>2</sup> Vivès : moralis.

rantia, non opponitur directe nisi virtuti quæ versatur circa eandem materiam, verbi gratia, temperantiæ ; virtuti autem quæ versatur circa aliam, verbi gratia, justitiæ vel liberalitati, non opponitur directe et immediate, sed mediate et indirecte\*, quatenus opponitur conversioni ad ultimum finem, quæ fit per charitatem, et ex consequenti\* opponitur conversioni quæ fit ad ultimum finem\* ordinis naturalis, quia non\* stat manere conversum et rectificatum in uno ordine, et non in alio. \*n. 1639  
\*n. 1639  
\*n. 1472  
\*n. 1589, 1638

- 1621 Sublato autem ordine et conversione ad finem ultimum, non potest manere firmus\* et difficile mobilis ordo ad electionem medii in quacumque alia materia ordinabili ad talem finem et deducibili ab illo : quod totum se habet mediate et ex consequenti\* atque *indirecte* respectu peccati in alia materia commissi vel directe facti contra supernaturale objectum. \*n. 1616  
\*n. 1472

o

- 1622 LXVI. — Ex hoc vero deducitur et explicatur **prima\*** pars conclusionis, quod **directe** ex destructione charitatis per peccatum mortale non tollatur essentialiter virtus seu simpliciter quantum ad essentiam, sed solum\* directe tollatur quantum ad aliquem statum\* virtutis, quod est non manere simpliciter, id est, omnibus\* modis, constat. \*n. 1601  
\*n. 1616, 1618  
\*n. 1405  
\*n. 1597

- 1623 Nam *directe* ex ablatione charitatis solum tollitur a virtutibus acquisitis id quod charitas præstabat\* illis virtutibus ; charitas autem non præstabat illis prædicatum aliquod essenziale et proprium talium virtutum : *tum* quia virtutes acquisitæ solum habent prædicata ordinis naturalis, \*n. 1590

charitas autem totum quod præstat supernaturale est\*, quia \*n. 1635  
ipsa est supernaturalis; *tum* quia charitas neque præstat  
virtutibus acquisitis objectum, neque elicentiam.

1624 Ergo neque dat specificationem seu prædicatum spe-  
cificum, quod desumitur ab objecto, neque exercitium et  
individuationem, quod desumitur a subjecto et elicentia  
seu effectiva causalitate, quia charitas non elicit illum actum  
virtutis acquisitæ, sed solum imperat et deservire\* sibi facit, \*n. 1581  
utpote ordinans ad suum finem.

1625 Hæc autem ordinatio est aliquid accidentale\*, et pertinens \*n. 1405  
ad statum\* virtutis, non ad essentiam et quidditatem, quia \*n. 1597, 1622  
tenet se ex parte finis ipsius operantis\*, qui utique est \*n. 1614, 1642  
circumstantia actus, non natura neque quidditas, cum finis  
solum moveat ad existentiam et assecutionem rei: movet  
enim efficientem ut efficiat, non ipsam quidditatem dat,  
hoc enim pertinet ad objectum\*. \*n. 1109

1626 LXVII. — Ex hoc autem sequitur quod absentia cha-  
ritatis præcise, et prout inveniri potest in puris naturalibus\*, \*n. 1585 sq.  
non destruit virtutes acquisitas, sicut quando est absentia  
charitatis ex culpa et peccato, quia illa prima absentia  
est pura negatio, et non facit aversionem a fine ultimo  
bono, sed est solum physica carentia charitatis, non moralis  
seu culpabilis.

1627 Si autem sit carentia ex culpa, tollit\* conversionem ad \*n. 1589, 1620  
ultimum finem bonum, quia charitas non tollitur nisi ex  
aversione a Deo<sup>1</sup>, et ex consequenti destruit firmitatem in

<sup>1</sup> Vivès: deo.

eligendo media ad talem finem, quod est proprium opus  
virtutis moralis, quia sine amore\* finis non potest firmiter \*n. 1611  
procedi ad electionem mediorum ordinatorum ad talem finem.

1628 Et ideo in puris naturalibus\*, ubi virtus haberet coor- \*n. 1602  
dinationem ad ultimum finem naturalem, virtus illa haberet\* \*n. 1585-1588  
totum quod requiritur ad essentialem suam firmitatem, et  
denominaretur simpliciter virtus in illo genere et in illo  
ordine, licet deesset illi status\* quem habet nunc cum \*n. 1597, 1622  
charitate, scilicet subordinari\* et ministrare illi. \*n. 1581

1629 Quem statum *directe*\* amittunt virtutes ex quacumque \*n. 1618, 1622  
carentia charitatis, sive privativa et morali, sive pure  
negativa et physica.

★ ★ ★

1630 LXVIII. — Ex dictis **manent solutæ rationes** et fun-  
damenta opposita.

\* \*

1631 Nam **primo\* objici potest**, quia virtutes acquisitæ \*n. 1637 sq.  
remota charitate non amittunt nisi illud quod a charitate  
possunt accipere; a charitate autem solum accipiunt aliquid  
extrinsecum et accidentale, quod pertinet ad ordinationem  
in talem finem, non ipsam intrinsecam et veram essentiam  
virtutis acquisitæ, sed motionem qua moventur ab imperio  
charitatis; ergo neque per remotionem charitatis amittunt  
veram rationem virtutis.

⊙



- 1632 **Confirmatur\***, quia charitas non intrat in definitionem virtutis acquisitæ; ergo sine ipsa salvatur tota et vera essentia virtutis. \*n. 1639 sq.
- 1633 *Antecedens constat* ex definitionibus quas tradit Aristoteles<sup>1</sup> de virtutibus, in quarum nulla\* intrat charitas. \*n. 1640
- 1634 *Nec dici potest* intrare charitatem non pro prædicato essentiali et definitivo, sed pertinente ad statum\* virtutis. \*n. 1405, 1622, 1625
- 1635 *Nam contra est*, quia hic status est extra proprium genus et ordinem virtutis acquisitæ, pertinet enim ad supernaturalitatem. Intra suum tamen genus et naturalem ordinem habet\* totam suam perfectionem, quæ debetur virtuti, hæc autem non dependet a charitate, quæ solum dat id quod supernaturale est\*; ergo sine charitate retinere potest totam essentialem et perfectam rationem virtutis. \*n. 1641  
\*n. 1623

o

- 1636 **Confirmatur secundo\***, nam potest ille qui existit in peccato operari opus bonum\* et perfectum virtutis, verbi gratia, dare eleemosynam propter suam honestatem, quod est operari opus bonum et bene; ergo si multiplicet tales actus, producet habitum inclinantem ad operandum bona et bene; ergo erit perfecta virtus. \*n. 1642 sq.  
\*n. 1612

\* \*

<sup>1</sup> « Virtus est ultimum potentia: » : *De Cælo*, I, cap. 11 (281 a 14-19).  
« Virtus est dispositio perfecti ad optimum » : *Physic.*, VII, cap. 3 (246 b 23-24). « Virtus est quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit » : *Ethic.*, II, cap. 5 (1106 a 15-17).

- 1637 **LXIX. — Respondetur\*** quod virtutes acquisitæ remota charitate amittunt *directe\** id quod a charitate accipiunt, nempe statum accidentalem\* virtutis, qui convenit ei per subordinationem\* et respectum ad finem supernaturalem. \*n. 1631  
\*n. 1601, 1622 sq.  
\*n. 1405  
\*n. 1581
- 1638 *Indirecte\** tamen et ex consequenti amittunt intrinsecam firmitatem virtutis acquisitæ, et rationem motivi difficile mobilis ex specie sua, quatenus amittunt etiam\* conversionem ad finem ultimum naturalem, cujus conversio et rectificatio non subsistit remota conversione et rectificatione supernaturali charitatis, et sine consistentia et amore\* finis recti non\* est firmus amor mediorum ad talem finem ordinatum, circa quæ versatur electio virtutum. \*n. 1601, 1611 sq.  
\*n. 1589, 1620  
\*n. 1549, 1611  
\*n. 1627

o

- 1639 **LXX. — Ad primam\* confirmationem, respondetur\*** salvari veram et essentialem rationem virtutis acquisitæ et ejus definitionem sine charitate per se et directe loquendo, ut essent in statu perfecto puræ\* naturæ. Non tamen salvatur sine conversione ad ultimum finem naturalem, quæ indirecte\* et per accidens tollitur† ex amissione charitatis per peccatum. \*n. 1632  
\*n. 1585 sq.  
\*n. 1620  
†n. 1589

- 1640 Et quando dicitur\* quod in nulla definitione virtutum includitur charitas, *respondetur* in nulla includi per se et directe, includi tamen ordinem ad finem ultimum naturalem, qui tollitur per peccatum\*, quo amittitur charitas, siquidem hoc ipso quod virtus definitur quod sit habitus electivus<sup>1</sup>, \*n. 1633  
\*n. 1589

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

in electione involvitur essentialiter ordo et dependentia a fine, quia electio est circa media<sup>1</sup>, quorum efficax et firmus amor dependet\* a fine, sicut assensus conclusionis dependet a principiis\*.

\*n. 1576, 1642

\*n. 1611, 1618

1641 Quod vero dicitur\* intra suum genus naturale virtutem acquisitam esse perfectam, *respondetur* esse quidem remanente et stante ordine et conversione ad rectum finem sui ordinis et generis, eo autem remoto sicut removetur\* per peccatum oppositum charitati, nullo modo remanet ipsa specifica ratio firmitas<sup>2</sup> in virtute.

\*n. 1635

\*n. 1589, 1620

○

1642 LXXI. — Ad secundam\* confirmationem, *jam supradictum\* est* quod existens in peccato et cum aversione a fine ultimo potest operari opus bonum morale nulla circumstantia vitiatum. Et si multiplicaverit tales actus, generabit inclinationem seu assuefactionem quamdam ad tale opus per modum dispositionis, non\* tamen per modum habitus difficile mobilis ex specie sua, quia non habet firmitatem ortam ex amore\* finis ad quem toto corde<sup>3</sup> et ex parte operantis\* sit conversus.

\*n. 1636

\*n. 1614 sq.

\*n. 1547 sq.

\*n. 1549, 1611

\*n. 1614, 1625

1643 Sine isto autem amore perfecto et firmo ipsius finis, nunquam est intrinsece et ex specifica ratione firmus ipse amor circa media, quæ attinguntur ab electione virtutis,

<sup>1</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, III, cap. 2 (1111 b 27).

<sup>2</sup> Forsan legendum : firmitatis.

<sup>3</sup> Cf. *Mat.* 22, 37.

licet accidentaliter<sup>1</sup> et ex aliqua dispositione sit illa inclinatio assuefacta difficile\* mobilis.

\*n. 1547

1644 Unde qui habet virtutem acquisitam in statu peccati, non operatur firmiter et delectabiliter quantum est per se et ex specifica ratione sui motivi, quod sine fine est inefficax, licet possit ex aliqua accidentali motivo vel ratione delectabiliter operari, quia sic sibi\* placet, non quia ratio gaudium implet.

\*n. 1614

<sup>1</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 49, disp. 13, a. 3, n. 4 et 7, VI (Vivès), p. 271-272.

## ARTICULUS III

QUOMODO VIRTUTES DICANTUR INTER SE  
ÆQUALES VEL INÆQUALES

- 1645 I. — Ut tradat D. Thomas in quæstione LXVI<sup>1</sup> totum quod pertinet ad æqualitatem<sup>2</sup> vel inæqualitatem virtutum, supponit D. Thomas duo.
- 1646 **Primum\* est**, absolute loquendo aliquam virtutem<sup>\*n. 1648 sq.</sup> esse majorem et inæqualem altera loquendo secundum speciem et quidditatem virtutum.
- 1647 **Secundum\* est**, quod secundum proportionem et<sup>\*n. 1665 sq.</sup> connexionem quam habent virtutes, habent æqualitatem, sicut digiti manus secundum proportionem crescunt æqualiter, licet in se inæquales sint quantitative.

\* \* \*

- 1648 II. — **Primum\*** de se manifestum est.<sup>\*n. 1646</sup>
- 1649 Nam Scriptura loquendo de virtutibus theologicis dicit I ad *Corinth.*<sup>3</sup> XIII: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.*

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66.<sup>2</sup> Vivès: qualitatem.<sup>3</sup> I *Cor.* 13, 13.

- 1650 Item de ipsa justitia hominis in qua omnes virtutes comprehenduntur, dicitur *Matth.*<sup>1</sup> V: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum, et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; ergo una justitia est major altera, et consequenter virtutes quibus justificatio componitur.

- 1651 Et juxta hoc etiam dicitur *Proverb.*<sup>2</sup> XV: *In abundantia justitia virtus maxima est*; ergo datur virtus magis abundans et major altera.

- 1652 Denique de fide est unum peccatum esse majus alio, et inter ipsa peccata inæqualitatem dari, juxta illud *Joan.* XIX<sup>3</sup>: *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet*; ergo etiam virtutes debent esse inæquales, et una major altera, quia peccatum dicitur tale per oppositionem ad virtutem.

\* \*

- 1653 III. — Ratio etiam D. Thomæ in articulo primo<sup>4</sup> id convincit, quia in virtutibus inveniuntur causæ inæqualitatis; ergo invenitur inæqualitas.

- 1654 *Antecedens probatur*, quia virtus est perfectio quædam mensurata per rationem, et participatur in subjecto proportionato et habili ad virtutem. Unde inæquali existente mensuratione rationis\*, et inæquali existente participatione virtutis in subjecto\*, oportet quod ipsa virtus inæqualis sit.<sup>\*n. 1655 sq. \*n. 1659 sq.</sup>

<sup>1</sup> *Mat.* 5, 20.<sup>2</sup> *Prov.* 15, 5.<sup>3</sup> *Joan.* 19, 11.<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 1.



- 1655 Est autem *inæqualis mensuratio rationis*\* in virtutibus. \*n. 1654  
Nam quædam plus de ratione participant quam aliæ.
- 1656 Prudentia enim magis\* habet de ratione, quia est ipsa \*n. 1050  
discretio, quæ regulam et mensuram virtutibus imponit.
- 1657 Similiter justitia, religio, pœnitentia, pietas, aliæque  
virtutes in voluntate existentes, magis participant de ratione,  
quia ipsa voluntas ejusque objectum magis rationabilitatem  
habent, quia magis ad intellectum et rationem accedunt.
- 1658 Virtutes etiam quæ sunt in\* appetitu sensitivo inæqua- \*n. 331-461  
liter rationem participant, quia ea quæ pertinent ad irasci-  
bilem, ut fortitudo, magis habent de ratione et laude quam  
quæ pertinent ad concupiscibilem, cujus defectus et vitium  
turpius est et bestialius et magis probrosum.



- 1659 IV. — Quod etiam sit inæqualitas *ex parte subjecti*\* \*n. 1654  
participantis constat, quia hæc participatio attenditur  
secundum diversam dispositionem subjecti, *vel intentionem*\*<sup>1</sup> \*n. 1661  
operantis, *vel causæ influentis*\*. Et hæc omnia inæqualiter \*n. 1662  
se habent.
- 1660 Nam quidam sunt magis apti et idonei ex naturali\* \*n. 1534  
dispositione ad unam virtutem quam alii, verbi gratia, ad  
temperantiam, vel fortitudinem.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Videtur legendum : intensionem.

- 1661 Similiter in exercendis actibus virtutum aliquando fit  
intensior operatio, aliquando minus intensa ; ex actibus  
autem intensioribus fit et generatur intensior habitus, qui  
est virtus ; ergo datur inæqualitas in virtutibus ex parte  
intensionis.
- 1662 Ex influxu etiam causæ operantis seu efficientis datur  
inæqualitas, quia causa influens potest esse *vel* donum gratiæ  
divinæ, *vel* efficacia et perspicacia rationis seu intellectus.
- 1663 Et gratia non eodem modo omnibus datur, sed : *Secun-*  
*dum mensuram donationis Christi*, ut dicitur ad *Ephes.* <sup>1</sup> IV.
- 1664 Perspicacia etiam et efficacia rationis et intellectus non  
est eadem in omnibus. — Ergo ex omni parte datur causa  
inæqualitatis in virtutibus.
- \* \* \*
- 1665 V. — **Secundum\* quod supposuimus**, scilicet quod \*n. 1647  
virtutes quæ habent connexionem inter se dicuntur æquales  
esse, non secundum absolutam quantitatem et perfectionem,  
sed secundum proportionem, sicut dicuntur digiti manus  
æqualiter crescere æqualitate proportionis, *declaratur* ex  
D. Thoma in articulo secundo <sup>2</sup>.
- 1666 Nam in primis loquitur de virtutibus habentibus  
connexionem, quales sunt virtutes morales, ut patet in illis  
verbis corporis articuli : « Hujusmodi æqualitatis oportet

<sup>1</sup> *Eph.* 4, 7.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 2.

eodem modo rationem accipere, sicut et connexionis : æqualitas enim est quædam connexio virtutum secundum quantitatem. »

1667 In aliis autem virtutibus, puta in intellectualibus<sup>1</sup>, constat quod una scientia vel ars potest existere vel crescere in subjecto, alia non existente, nec\* aliquo modo crescente, neque absolute, neque proportionaliter. \*n. 1407-1408, 1412-1417

1668 Et in virtutibus theologicis potest crescere fides, non crescente aut non existente charitate in subjecto, licet quantum ad statum virtutis accidentalem\*, qui provenit ex charitate, crescente ipsa crescit etiam fides\* in ratione virtutis quantum ad illum statum. \*n. 1405 \*n. 1419

1669 Virtutes ergo habentes\* connexionem dicuntur proportionaliter æquales, ita quod crescente una proportionaliter crescit alia, quatenus ipsa ratio prudentiæ in qua\* fit connexio virtutum una\* est, et quando est perfecta, non attingit unam virtutem tantum quin etiam attingat alias, quatenus perfecta prudentia ab omnibus\* virtutibus dependet, nec potest firmiter circa unam virtutem se habere nisi circa omnes alias materias etiam firmetur, ita quod ex deficientia circa unam materiam deficiat<sup>2</sup> erga aliam. Ergo oportet quod crescente firmitate et affectu circa unam virtutem, proportionabiliter crescat firmitas circa alias, licet non sit necesse quod absolute et entitative crescant æqualiter omnes virtutes, quia non exercetur in omnibus æqualiter, sed cum firmatur in una, crescit in alia quantum est necesse ne ex

<sup>1</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>e</sup>, q. 65, a. 1 ad 3.

<sup>2</sup> Vivès : non deficiat.

defectu firmitatis in ista deficiat in priori : firmitas enim actualis et formalis in una virtualiter et proportionaliter petit firmitatem in aliis.



### INÆQUALITAS COMPARATIVA INTER VIRTUTES EXPENDITUR

1670 VI. — **His suppositis\*** circa inæqualitem virtutum absolute et in communi consideratam, **restat** specialius istam inæqualitatem considerare et declarare, determinando quænam virtus sit major et perfectior altera : quod determinari non potest nisi comparando et conferendo unam virtutem cum altera, sic enim apparere poterit quænam ex illis sit major et perfectior, et quæ minor. \*n. 1645-1669

\* \*

1671 VII. — Potest autem inter virtutes comparatio seu combinatio fieri.

1672 **Primo\***, inter ipsa genera virtutum, quodnam genus sit perfectius. \*n. 1679 sqq.

1673 **Secundo\***, in quolibet genere, quænam species perfectior et major sit. \*n. 1750 sqq.

1674 Genera virtutum, sunt tria, intellectuales, morales, theologicæ.

1675 Species in quolibet genere dividuntur juxta varia objecta seu materias virtutum.

1676 Et potest attendi perfectio ista major aut minor, *vel* physice et entitative secundum objectum, *vel* moraliter et secundum usum, quod appellari solet in esse entis, vel in esse virtutis.

1677 Species autem virtutum multæ et variæ sunt in quolibet genere, sicut in genere *theologicalium* sunt fides, spes et charitas; in genere *moralium* quatuor virtutes cardinales, et aliæ illis annexæ; in genere *intellectualium*, sapientia, scientia, ars, prudentia: et in istis<sup>1</sup> diversæ etiam species reperiuntur.

1678 Assignato\* autem genere perfectiori, et viso ac determinato quænam species perfectior\* sit, constare etiam poterit quænam species virtutis sit simpliciter omnibus melior.

★ ★ ★

1679 VIII. — DICO ERGO PRIMO: Genera\* virtutum sic graduantur, quod primum et perfectissimum genus virtutum [est genus virtutum theologicarum]<sup>2</sup> tam in ratione entis quam in esse et statu virtutis. Deinde secundo loco sunt virtutes intellectuales, loquendo de perfectione simpliciter et in genere entis\*; postremo virtutes morales: At vero quantum ad rationem et statum virtutis e converso se habet,

<sup>1</sup> Hic non loquitur de virtute intellectus, sed jam non excludit (n. 1770).

<sup>2</sup> Hoc videtur supplendum.

**quod virtutes morales perfectiores sunt in ratione et statu virtutis quam intellectuales.**

1680 Hæc **secunda\*** pars conclusionis est expressa apud S. Thomam in hac quæstione LXVI<sup>1</sup>, art. III, licet ejus probatio et veritas aliquam difficultatem\* patiat. \*

\* \*

1681 **Prima vero pars** de virtutibus theologis, includendo totum genus earum, nullam habet difficultatem, et affirmatur a D. Thoma supra quæstione LXII<sup>2</sup>, art. I et II, et in hac quæstione LXVI<sup>3</sup>, art. VI, et adhuc expressius infra, quæst. LXVIII<sup>4</sup>, art. VIII, ubi præfert virtutes theologicas donis Spiritus Sancti: dona autem præfert virtutibus intellectualibus et moralibus; ergo a fortiori ipsis virtutibus intellectualibus et moralibus præferuntur theologicæ, et in universum excellentiores sunt omni alio habitu, tam donorum Spiritus Sancti, quam virtutum.

◉

1682 IX. — Et *ratio* est facilis quantum ad hanc primam partem conclusionis, quia virtutes theologicæ sunt altioris ordinis et objecti quam cæteræ virtutes, tam intellectuales quam morales, imo et dona Spiritus Sancti; ergo antecedunt ipsas in perfectione.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 62, a. 1 et 2.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 6.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 68, a. 8.

- 1683 *Consequentia patet*, quia major vel minor perfectio<sup>1</sup> virtutis sumitur *ex perfectione objecti*\* a quo specificatur, \*n. 1685 et *ex altiori ordine*, ut supernaturalis virtus est altior et perfectior naturali, eo quod est altior et propior participatio divinitatis.
- 1684 In utroque autem excedunt virtutes theologicæ reliquas (et sic probatur antecedens\*), nam *ex parte ordinis*† virtutes theologicæ sunt supernaturales et infusæ a Spiritu Sancto, ut constat ex Concilio Tridentino<sup>2</sup>, sessione VI et ibi: « Unde in justificatione . . . simul hæc infusa accipit homo . . . fidem, spem et charitatem, etc. » Et ex aliis locis, quibus supra\* probavimus non posse negari quod istæ virtutes sint infusæ et supernaturales. Et ex ipsa ratione, quia ordinant hominem in beatitudinem supernaturalem, et disponunt immediate ad justificationem supernaturalem, quæ fit per gratiam, qua reddimur consortes<sup>3</sup> divinæ naturæ; ergo sunt supernaturales. \*n. 1682 †n. 1683
- 1685 X. — *Ex parte autem objecti*\*, constat quod excedunt omnes alias virtutes et dona, quia immediate\* tangunt Deum in se tamquam objectum suum et materiam circa quam versantur et a qua specificantur, et tangunt illum ut auctorem supernaturalem, id est, ut salvatorem per gratiam, et glorificatorem per beatitudinem. \*n. 1683 \*n. 507, 1075 1228, 1391
- 1686 Reliquæ virtutes et dona<sup>4</sup> non tangunt ipsum Deum in se ut materiam et objectum specificativum immediate,

<sup>1</sup> Vivès : profectio.

<sup>2</sup> *Conc. Trident.*, sess. 6, cap. 7 (Denz. 800).

<sup>3</sup> Cf. *II Pet.* 1, 4.

<sup>4</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In Ia-IIæ, q. 68-69, disp. 18, a. 8, n. 31, VI (Vivès), p. 710.

- sed versantur circa aliquid creatum, quod ordinatur ad istum finem.
- 1687 Et si aliquæ virtutes tangunt Deum, solum est quasi in connotato et in obliquo, sicut religio respicit cultum Dei, timor reverentiam Dei et quasi contractionem<sup>1</sup> quamdam animi respectu eminentiæ divinæ, et sic de aliis.
- 1688 Theologicæ ergo virtutes eminent super reliquas omnes, et non solum in ratione entis\*, quia perfectiorem entitatem habent in ordine\* supernaturali et specificatione objecti†, sed etiam in statu et ratione virtutis, quia charitas dat perfectissimum statum virtutibus, movendo et dirigendo eas in finem suum, fides autem regulat charitatem et spem, quia per dilectionem operatur<sup>2</sup>, et sic in ratione movendi et disponendi ad ultimum finem etiam excellunt reliquas virtutes. \*n. 1676 \*n. 1684 †n. 1685
- \* \*
- 1689 XI. — **Secunda\* vero pars** conclusionis, licet difficultatem aliquam patiat, et diversimode explicetur a diversis, tamen summa totius difficultatis reducitur ad hoc ut explicemus\* quid intelligat D. Thomas, quando dicit in articulo tertio<sup>3</sup> hujus quæstionis sextæ<sup>4</sup> quod virtutes intellectuales sunt simpliciter perfectiores, quia ex sua specie et objecto perfectiores sunt; virtutes autem morales sunt perfectiores secundum quid, quia sunt perfectiores in ordine ad actum\*. \*n. 1679 \*n. 244-248, 251-255, 871 \*n. 1719 sq.

<sup>1</sup> Cf. *Ps.* 31, 9. — D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 44, a. 1.

<sup>2</sup> Cf. *Gal.* 5, 6.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.

<sup>4</sup> Ita Vivès. Legendum: sexagesimæ sextæ.

1690 Unde deducitur quod intellectuales sunt perfectiores in ratione entis\*, morales in esse et ratione virtutis, vel, ut dicit D. Thomas, intellectuales sunt perfectiores habitus\*, morales vero sunt perfectiores virtutes.



1691 Ex quo aliqui\* dixerunt intellectuales esse perfectiores secundum rationem genericam et communem\*, morales vero secundum rationem specificam.

1692 Omitto opinionem Scoti<sup>1</sup>, quam refert Cajetanus<sup>2</sup> hic, quod morales sunt simpliciter perfectiores intellectualibus, eo quod existimat voluntatem esse perfectiorem intellectu. Sed cum in hoc fundamento non conveniamus (ut alibi ostensum est, id est, in libris *Animæ*<sup>3</sup>), non oportet modo de hac sententia agere, sed solum sensum D. Thomæ explicare, sic enim tota difficultas cessabit.



1693 XII. — Veritas ergo est, quod in virtute est duo considerare.

1694 **Primo**, specificationem\*, quæ sumitur penes attinentiam objecti\*.

1695 **Secundo**, executionem in operando et movendo\* et assequendo finem, et hoc attenditur penes efficaciam et impulsus quo quis movetur et utitur actionibus suis.

<sup>1</sup> In IV *Sent.*, dist. 49, q. 4, *Opera Omnia*, XXI (Vivès), p. 123-125, 140-141, 151-152, 154-155, 162-164.

<sup>2</sup> In *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3, n. 10 (Comment.).

<sup>3</sup> *Curs. Phil.*, Phil. Nat., IV P., q. 12, a. 5, III (Reiser), p. 403-408.

1696 Et licet utrumque concurrat in virtute, illudque **primum** sit simpliciter principalius\*, quia ad constituendam quidditatem pertinet, tamen hoc **secundum** magis attenditur quantum ad denominationem\* virtutis, eo quod tunc aliquid dicitur virtuosum, quando est activum et efficax in executione actionum: hoc enim quod est attingere objectum et specificari ab eo, quibuscumque\* habitibus et potentiis et actibus convenit, sive perfectis, sive imperfectis.

1697 Virtus autem in sua determinatione et statu dicit aliquid perfectum oppositum infirmitati\* et debilitati, juxta illud I ad *Corinth.* <sup>1</sup> XV: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Infirmitas autem et debilitas non dicuntur penes respectum ad objectum et specificationem ab illo, sed penes enervationem et evacuationem virium in operando et exequendo: ordo siquidem et tendentia ad objectum (ut diximus\*) communis est omni potentiae et actui, sive sit virtus, sive non. Dicitur ergo virtus prout opponitur infirmitati et debilitati consistere\* in perfectione secundum efficaciam et activitatem operandi\*, quia in hoc deficit infirmitas et debilitas, quia aut vix aut tepide operatur, et ita virtus est quasi robur\* et vigor.



1698 XIII. — Ex qua doctrina et notatione, **clare constare** potest sensus\* D. Thomæ<sup>2</sup> certus et legitimus, simulque probatio conclusionis\*.

<sup>1</sup> I *Cor.* 15, 43.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.



- 1699 Nam attenda **specificatione\***, quæ ex objecto desumitur, perfectior specificatio et perfectius <sup>1</sup> genus est genus intellectualium virtutum, quia objectum intellectus seu rationis nobilius est quam objectum appetitus. \*n. 1694
- 1700 *Tum* quia ratio apprehendit aliquid in universali, appetitus vero tendit in res, quæ habent esse particulare : quæ est probatio D. Thomæ in hac quæstione LXVI <sup>2</sup>, art. III.
- 1701 In qua aliqui difficultatem inveniunt, eo quod etiam voluntas attingit res in universali, et sic falso id negat D. Thomas voluntati quod concedit intellectui.
- 1702 Sed tamen D. Thomas non negavit voluntatem attingere res universales, sed dixit appetitum tendere in res, quæ habent esse particulare ; rationem vero apprehendere res in universali.
- 1703 Quod est dicere quod intellectus tendit in rem universalem etiam sistendo in ipsa universalitate et abstractione, quia intelligit quidditatem et speciem rei sine esse et sine individuatione, et sic objectum ejus est abstractius et immaterialius : appetitus autem tendere potest in rem universalem, sed non sistendo in ipsa universalitate, sed concernendo esse et individuationem, quia respicit rem ut amabilem et fruibilem et assequibilem, quod supponit rationem boni et perfecti prout in esse et individuatione, nec enim assequi volumus aut frui re aliqua in communi, sed ut practice considerata et in re.

<sup>1</sup> Vivès : perfectus.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.

- 1704 *Tum etiam* quia, ut dicit S. Thomas infra quæstione LXVIII <sup>1</sup>, art. VIII, virtutes intellectuales regulant morales, etenim morales regulantur ratione, et ideo tanto perfectiores sunt virtutes morales, quanto magis accedunt ad rationem\*, et de ea participant. Ergo ipsæ virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sive speculative, sive practice, perfectiores sunt ex genere\* suo. \*n. 1655 sq.
- 1705 XIV. — Cæterum si attendamus in virtutibus non præcisam rationem specificationis\*, sed ipsam **vim executionis\*** et efficaciam motionis, perfectiores sunt virtutes morales, quia tenent se ex parte appetitus et voluntatis, quæ est potior\* in movendo et exequendo, cum se habeat ut inclinatio et pondus seu impulsus movens et dans efficaciam in operando. \*n. 1694 \*n. 1695 \*n. 83
- 1706 In hoc ergo eminent virtutes morales supra intellectuales, sicut voluntas eminent super intellectum in efficacia movendi et impellendi, intellectus autem in immaterialitate et modo specificandi.
- 1707 XV. — *Et quia* ea quæ in unaquaque virtute et habitu pertinent ad specificationem\* et quidditatem, pertinent ad principalem\* perfectionem et substantiam, reliquæ vero ad motionem et executionem sunt accessoria, quia motio et efficacia et executio sunt quasi operatio et quid consecutum, specificatio autem et quidditas tamquam essentia et substantia ipsius actus seu habitus, qui est virtus, *ideo simpliciter\** et absolute virtutes intellectuales nobiliores\* sunt moralibus, quia ex parte specificationis et objecti præminent ; morales \*n. 1598 \*n. 1719

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 68, a. 8.

autem solum secundum quid\* perfectiores sunt, scilicet quoad  
essentiam<sup>1</sup> vel executionem, ex qua tamen magis sumitur  
denominatio\* virtutis.

\*n. 1710, 1728

\*n. 82-83,  
1696-1697,  
1726

o

1708 XVI. — Statim autem se offerebat **difficultas\***, quia  
si hæc doctrina esset vera, sequeretur quod nulla virtus  
quæ est in voluntate possit simpliciter et entitative esse  
perfectior aliqua virtute intellectuali. *Consequens* est  
falsum ; ergo.

\*n. 1711 sq.

1709 *Sequela probatur*, quia (ut diximus\*) morales seu appe-  
titivæ virtutes ex suo genere imperfectiores sunt intelle-  
tualibus, intellectuales autem perfectiores ; ergo nulla spe-  
cies contenta sub illo genere ignobiliore potest entitative\* et  
simpliciter excedere speciem alterius nobilioris, siquidem  
species continentur sub genere, et in illo radicantur\*. Non  
potest autem ex ignobiliore radice pullulare species nobilior  
altero genere magis nobili, ut etiam inductione patere potest  
in omnibus generibus.

\*n. 1704

\*n. 1676

\*n. 1713

1710 *Minor vero probatur*, quia charitas est simpliciter\* et  
absolute nobilior fide, quæ est in intellectu, et consequenter  
aliis habitibus intellectualibus\* fide ipsa inferioribus, dicit<sup>2</sup>  
enim Apostolus : *Manent fides, spes, charitas, tria hæc ;*  
*major autem horum est charitas*, quod utique non potest  
exponi de nobilitate<sup>3</sup> secundum quid\*, sed simpliciter, cum  
absolute et simpliciter dicatur.

\*n. 1757

\*n. 1717

\*n. 1707

<sup>1</sup> Ita Vivès. Melius legeretur : efficaciam.<sup>2</sup> I Cor. 13, 13.<sup>3</sup> Vivès : moralitate.

1711 XVII. — **Respondetur** negando sequelam\*. \*n. 1709

1712 Et ad probationem, *dicimus* non repugnare quod sub  
genere ignobiliore ponatur aliqua species ita perfecta quod  
excedat multas species alterius generis magis perfecti, sicut  
genus corruptibile est ignobilius genere incorruptibili, et  
tamen non repugnat dari aliquam speciem contentam sub  
genere corruptibili, verbi gratia, hominem, et esse perfe-  
ctiorem quam quæcumque species corporis incorruptibilis,  
scilicet corporis cœlestis.

1713 Nec obstat ratio in contrarium, quia perfectio speciei  
non radicatur\* in ipso genere quasi in principio actuali, sed  
quasi in potentiali, principium autem actuale est differentia,  
a qua sumitur determinatio et nobilitas speciei. \*n. 1709

1714 Non repugnat autem quod principio potentiali igno-  
biliore jungatur forma eminentior et superior aliis formis  
quæ junguntur materiæ seu principio potentiali nobiliori,  
sicut materiæ primæ sublunari junguntur formæ viventes,  
et inter eas anima rationalis, quæ non jungitur materiæ  
cœlesti, quæ est perfectior.

1715 Et ita sicut non repugnat materiam primam igno-  
biliorem esse capacem nobilioris formæ quam aliam materiam  
primam nobiliorem, sic non repugnat genus minus perfectum  
esse capax differentiæ specificæ nobilioris quam genus magis  
perfectum.

1716 Et similiter genus volibile, quod est imperfectius\* genere  
intelligibili, capax\* est altioris et perfectioris differentiæ et  
speciei quam multæ species intellectualium habituum sint. \*n. 1699 sq.  
\*n. 1767-8

- 1717 Nec\* tamen intellectuales virtutes omnes inferiores sunt charitate, nam in genere supernaturali, lumen gloriæ, a quo immediate producitur ipsa visio beatifica, altius et nobilior\* est charitate. \*n. 1710  
\*n. 1764
- 1718 XVIII. — Ex dictis intelliguntur **aliquæ difficultates**, quæ opponi solent discursui D. Thomæ in hac resolutione.
- 1719 Nam in primis dicit<sup>1</sup> quod virtus intellectualis, quia sumit suam perfectionem ab objecto, simpliciter est nobilior\* virtute morali, sed si consideretur virtus in ordine ad actum\*, sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cujus proprium est movere in ordine ad actum, nobilior est. \*n. 1707  
\*n. 1689, 1723-1727
- 1720 Videtur hoc difficile.
- 1721 *Tum* quia non minus essentialis et intrinsecus est ordo ad actum quam ad objectum; ergo si in ordine ad actum est nobilior virtus moralis, simpliciter aut non minus erit nobilior quam virtus intellectualis. \*n. 1723 sq.
- 1722 *Tum etiam* quia non minus habitus intellectuales dicunt ordinem ad actum quam morales, cum omnis potentia et habitus specificetur ab actu, et actus ab objectis, ut docet S. Thomas, *Prima Parte*, quæstione LXXVII<sup>2</sup>, art. III; ergo si non probat D. Thomas actum virtutis intellectualis esse nobiliorem actu virtutis moralis, non probat esse simpliciter nobiliorem; imo si, considerando virtutem in

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia, q. 77, a. 3.

- ordine ad actum, est nobilior virtus moralis, simpliciter ista nobilior erit.
- 1723 XIX. — **Sed respondetur\*** ex dictis quod ordo ad actum in virtutibus potest esse duplex: *vel* ordo ad actum proprium et elicited, *vel\** ordo ad actum a se motum et imperatum, qui magis est effectus virtutis quam actus, pertinetque ad efficaciam et executionem virtutis in movendo potius quam ad specificationem actus ejusque elicentiam. \*n. 1720 sq.  
\*n. 1725
- 1724 Si consideretur actus proprius et elicited, sic ordo ad ipsum intrinsecus et essentialis\* est habitui, nec ponit in numero quantum ad specificationem actus et objecti, quia habitus specificatur\* ab actu, quatenus versatur circa tale objectum\*. Et sic ordo ad actum in virtutibus moralibus est imperfectior ordine ad actum in virtutibus intellectualibus. \*1721  
\*n. 1722  
\*n. 1699-1704
- 1725 At vero ordo ad actum *secundo modo\** consideratum non pertinet ad specificationem virtutis, sed ad efficientiam seu efficaciam et motionem\*, atque adeo accidentaliter convenit virtuti quantum ad suum exercitium, licet radix et exigentia istius efficaciam et motionis sine dubio essentialiter conveniat virtuti morali, sicut homini essentialiter convenit risibilitas radicalis, formalis vero accidentaliter: est enim proprium voluntatis movere et efficaciter impellere, et virtutes morales essentialiter sunt voluntariæ. \*n. 1723, 1727  
\*n. 1705-1706
- 1726 Sed tamen quia ista motio effectiva est, non specificativa, nec formalis, idcirco penes illam non\* attenditur nobilitas simpliciter, quæ est essentialis et quidditativa, sed solum \*n. 1699-1704

illa quæ ad executionem et efficaciam spectat, quæ tamen denominat\* virtutem in statu et ratione virtutis.

\*n. 1696, 1707, 1733

- 1727 Et quod D. Thomas in hoc sensu loquatur, et de hoc ordine\* ad actum, patet ex ejus verbis<sup>1</sup>: « Si consideretur virtus in ordine ad actum, sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cujus est movere alias potentias ad actum, nobilior est. » Sumit ergo ordinem ad actum pro ordine ad actum moventem alias potentias, et habentem rationem efficaciam et executionis, non rationem formalis specificationis\*.
- 1728 XX. — Unde etiam constat non\* contradicere sibi D. Thomas, cum supra quæst. LVI<sup>2</sup>, articulo III, affirmat virtutes morales esse virtutes simpliciter, intellectuales autem secundum quid, hic<sup>3</sup> autem oppositum\* docet.
- 1729 Et sæpius etiam repetit D. Thomas perfectiores esse virtutes morales in esse virtutis\*, ut supra quæst. LXI<sup>4</sup>, art. I ad tertium, et in præsentī quæstione LXVI<sup>5</sup>, art. III. Esse autem virtutis est ejus ratio et quidditas.
- 1730 Sed respondetur\* quod quando D. Thomas attribuit perfectiorem rationem virtutis ipsis moralibus, ita ut dicat eas simpliciter esse virtutes, non intellectuales, loquitur de simpliciter quoad statum et denominationem\* virtutis in ratione efficaciam et motionis, non de simpliciter quoad

\*n. 1725

\*n. 1724, 1730

\*n. 871-2, 884 sq.

\*n. 1707

\*n. 1676

\*n. 1728, 885 sq.

\*n. 1696, 1726

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 56, a. 3.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 61, a. 1 ad 3.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3.

specificationem\* et quidditatem, sicut dicitur homo simpliciter, qui est in statu operandi operationes perfectas sentiendi et generandi, licet hoc operari non sit specificativum hominis, sed perfectivum quoad statum.

- 1731 XXI. — Secundo\* sequitur quid intelligat D. Thomas quando dicit<sup>1</sup> esse virtutes intellectuales perfectiores habitus\*, rationem tamen virtutis magis competere moralibus. Unde aliqui\* dixerunt intellectuales esse perfectiores secundum rationem communem habitus, morales vero secundum specificam rationem virtutum.
- 1732 Sed non est intelligendum in eo sensu quod intellectuales sint perfectiores in ratione generica et communi, morales autem in ratione specifica: hoc enim impossibile est, cum ratio specifica sumatur ex objecto, et ratione objecti dicantur virtutes intellectuales perfectiores\* moralibus, et perfectiores simpliciter, quod stare non posset si solum in ratione generica sint perfectiores, non in specifica.
- 1733 Dicuntur ergo virtutes intellectuales nobiliores habitus simpliciter, id est, in substantia et essentia habitus, non solum generice, sed etiam specificè, quantum est de se. Virtutes autem morales dicuntur habere magis rationem virtutis quoad statum modumque virtutis, et quantum ad ejus denominationem\*, quæ attenditur penes efficaciam et motionem executivam. In hac enim consideratione habet virtus moralis magis\* rationem virtutis quam intellectualis, quia majorem vim et efficaciam habet ad movendum, intellectualis autem in dirigendo.

\*n. 1727

\*n. 1719

\*n. 1690

\*n. 1691

\*n. 1699-1704

\*n. 1696, 1707, 1726, 875

\*n. 83

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 3: textus non citatur ad verbum.

1734 Et ideo intellectualis est nobilior habitus *specificative*\*, \*n. 1694  
moralis autem est magis virtus *motive*\*. Proprie autem \*n. 1695  
attribuitur specificatio habitui, quia specificari est commune\* \*n. 1696  
omni habitui, et non solum virtuti. Movere autem et  
efficaciam habere ad exequendum, proprium\* est virtutis \*n. 1696-7  
seu vigoris.

○

1735 XXII. — **Nec obstat**,\* quod virtutes morales dicuntur \*n. 1738 sq.  
præbere principia prudentiæ, quæ est virtus intellectualis,  
quatenus rectificant\* intentionem erga fines, prudentia vero \*n. 1414-5  
præstituit\* medium ipsis virtutibus moralibus, ut docet D. \*n. 1414,  
Thomas supra quæst. LVIII<sup>1</sup>, art. V, et in 2-2, quæst. 1745 sq.  
XLVII<sup>2</sup>, art. VI et VII.

1736 Licet oppositum\* videatur docere in hac quæstione \*n. 1745 sq.  
LXVI<sup>3</sup>, art. III ad tertium, ubi docet prudentiam non  
solum dirigere virtutes morales in eligendo ea quæ sunt  
ad finem, sed etiam in præstituendo finem.

1737 Si autem verum est quod dicit D. Thomas prioribus  
locis\*, et non sibi contradicit, prudentia versatur circa \*n. 1735  
objectum ignobilius\*, scilicet circa media ; virtutes autem \*n. 1743  
morales circa objectum perfectius, id est, circa finem.

1738 XXIII. — **Respondetur**<sup>4</sup> ex Cajetano, 2-2, quæst.  
XLVII<sup>5</sup>, art. VI, quod virtutes morales præbent\* principia \*n. 1735

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 58, a. 5.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 6 et 7.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3 ad 3. — Cf. Cajet., h. l., n. 11-14 (Com-  
ment.).

<sup>4</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 57, a. 5 ; q. 58, a. 4 et 5 ; q.  
65, a. 1.

<sup>5</sup> In *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 6, n. 5 (Comment.).

prudentiæ ex parte intentionis rectæ circa finem, quæ  
necessario præsupponitur\* ad rectam electionem. Pruden- \*n. 1459, 1560  
tia autem versatur circa media per electionem attingenda  
directive et regulative, quia dirigit et regulat quale\* medium, \*n. 1242, 1414  
et quomodo eligendum sit determinate hic et nunc.

1739 Finis autem quem intendunt virtutes morales non\* est \*n. 1745-6  
finis ultimus, hic enim pertinet ad charitatem\*, sed finis \*n. 1576, 1627  
proximus\*, scilicet qui pertinet ad materiam moralem in \*n. 1741, 1476,  
sua specie, verbi gratia, finis temperantiæ est temperate 1232  
vivere, et fortitudinis, fortiter agere.

1740 Et hoc debet intendere\* virtuosus ut prudenter agat ; \*n. 794  
deinde\* ex tali intentione movetur prudentia ad determi- \*n. 1414  
nandum media hic et nunc, quibus temperate vivat et  
fortiter agat.

1741 Quare medium quod præstituit prudentia ad eligendum,  
et finis intermedius seu proximus\* aut proprius, quem \*n. 1739  
intendit\* virtus, non differunt nisi sicut magis vel minus \*n. 1740  
determinatum\* in eadem materia, quia virtus moralis \*n. 1742  
intendit temperate agere, et hoc est finis ejus, quæ intentio  
antecedit directionem prudentiæ respectu mediorum. Ea-  
dem autem virtus moralis eligit hic et nunc temperate agere  
in tanto et tali cibo vel potu, etc., prout occurrit cum his  
vel illis circumstantiis.

1742 Unde ex parte rei attacktæ non differunt medium eligen-  
dum et finis proximus virtutis moralis, nisi sicut magis vel  
minus determinatum\*, sicut temperate vivere, ut objectum \*n. 1741  
secundum se, vel ut vestitum istis vel illis circumstantiis

determinate : nec enim est novum quod possint coincidere et esse *idem materialiter* finis intermedius et medium ad finem, quia finis intermedius ad finem refertur.

- 1743 Et sic non est objectum nobilius\* id quod intendit virtus ut finem proximum, et id quod prudentia præstituit ut medium ad finem ex parte rei attackæ *materialiter* consideratæ. \*n. 1737
- 1744 At vero *formaliter* seu ex parte rationis formalis perfectius objectum attingit prudentia, seu perfectiori modo, quia prudentia regulando\* et dirigendo, virtus autem moralis ut regulata et directa, intendendo et eligendo. \*n. 1050 sq., 1408
- 1745 XXIV. — **Quod vero objicitur\*** de contradictione in dictis D. Thomæ, *respondetur* nullam esse, quia verum est quod prudentia præstituit medium\* ad eligendum in ipsis virtutibus, non\* vero finem ut intendendum, quia intentio finis præcedit consilium de electione, et electionem ipsam. \*n. 1736, \*n. 794, 1414, \*n. 1739
- 1746 Dicit tamen D. Thomas hic<sup>1</sup> quod prudentia dirigit virtutes morales in præstituendo finem, non\* prout intendendum, sed prout exequendum, seu in executione assequendum : hoc enim in ipsis mediis involvitur, ad hoc enim proponuntur media a prudentia, et eliguntur a virtute, ut assequamur finem. \*n. 1739, 1749
- 1747 Et hoc ex ipsis verbis S. Thomæ potest colligi. Dicit enim in hac quæstione LXVI<sup>2</sup>, art. III ad tertium\* quod : \*n. 1736

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 3 ad 3.

« Prudentia non solum dirigit virtutes morales in eligendo ea quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem. Est autem finis uniuscujusque virtutis moralis attingere medium in propria materia : quod quidem medium determinatur secundum rectam rationem prudentiæ. »

- 1748 Ubi ly « attingere » est assequi finem, seu attingere in executione\*, et hoc præstituitur a prudentia, dum præstituitur medium. \*n. 1745-6
- 1749 Hoc autem non contrariatur\* ei quod dicit<sup>1</sup> prudentiam non præstituere finem virtutibus, scilicet *ut intendendum\**, bene tamen ut *exequendum* et in re. \*n. 1735, 1737, \*n. 1739, 1745-6

★ ★ ★

#### QUÆ SIT PERFECTOR SPECIES IN QUOLIBET GENERE VIRTUTUM

- 1750 XXV. — **DICO SECUNDO :** In genere virtutum **theologicalium, perfectior species virtutum tam in esse virtutis\* quam in esse entis est charitas ; in genere virtutum intellectualium, principalior virtus est sapientia ; in genere virtutum moralium appetitivarum, principalior est justitia.** \*n. 1676
- 1751 Hæc conclusio est D. Thomæ, in hac quæstione LXVI<sup>2</sup>, art. IV, V et VI.
- 1752 Ea tamen non potest hic latius ostendi.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 47, a. 6.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 4, 5 et 6.

- 1753 De charitate enim quod sit principalior\* reliquis virtutibus, agitur 2-2, quæst. XXIII<sup>1</sup>, art. VI. \*n. 1756 sqq.
- 1754 De sapientia\*, supra† egimus tractando de virtutibus intellectualibus. \*n. 1769 sqq. †n. 717-773
- 1755 De justitia\* quomodo sit nobilior cæteris, et de qua justitia intelligendum sit<sup>2</sup>, agitur in *Secunda Secundæ*, quæst. LVIII<sup>3</sup>, et in tractatu *De Religione*, quæst. LXXXI<sup>4</sup>. \*n. 1785 sqq.

\* \*

1756 XXVI. — Breviter dicimus constare de **principalitate\* charitatis** inter virtutes theologicas ex illo I ad *Corinth.*<sup>5</sup> XIII : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas.* \*n. 1753

1757 Non potest autem major esse inter has virtutes nisi nobilior et principalior sit, non solum secundum quid, sed etiam simpliciter\* : *tum* quia simpliciter et sine ullo addito id profert Scriptura ; *tum* quia Paulus infert charitatem esse majorem fide et spe ex comparatione quam facit cum fide, scientia, prophetia, misericordia, martyrio, aliisque excellentissimis donis, quæ sublata charitate nihil omnino prosunt, et nihil esse dicuntur, ut patet in illis verbis antecedentibus<sup>6</sup> : *Si habuero prophetiam, et noverim mysteria*

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 23, a. 6.

<sup>2</sup> Vivès : fit.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 58, a. 12.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 81, a. 6.

<sup>5</sup> *I Cor.* 13, 13.

<sup>6</sup> *I Cor.* 13, 2.

*omnia, et omnem scientiam ; et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Sed dona quæ nihil sunt aut nihil prosunt ad vitam æternam sine charitate, et charitas per se solam prodest ad vitam æternam, perfectior debet esse simpliciter, et non solum secundum quid cæteris donis ; ergo.

1758 *Minor patet*, quia vita æterna simpliciter, et non solum secundum quid, est nobilior cæteris donis ; ergo charitas, quæ per se solam aliquid est ad vitam æternam, simpliciter melior est cæteris donis, quæ nihil sunt ad vitam æternam.

o

1759 XXVII. — **Nec potest dici**, quod hoc\* solum probat quod charitas est aliquid in ratione meriti et in genere moris, in quo genere nihil sunt aliæ virtutes sine charitate, non autem probat quod simpliciter et in genere entis\* aliæ virtutes nihil sunt sine charitate, aut charitas excellit illas in genere entis. \*n. 1757-1758 \*n. 1676

1760 *Contra enim est*, quia si charitas per se est meritoria vitæ æternæ, et ex ejus participatione et influenza id habent aliæ virtutes, ita ut sine ipsa nihil sint in ratione meriti ; ergo charitas per seipsam habet immediatam proportionem et valorem cum vita æterna, reliquæ vero virtutes sine charitate talem valorem et proportionem non habent ; sed valor et proportio cum vita æterna est aliquid excellentius in genere entis\* et simpliciter, quia ipsa vita æterna non solum in ratione præmii, sed etiam in ratione entis est simpliciter excellentior cæteris virtutibus ; ergo illa virtus, \*n. 1676

quæ fundat valorem et proportionem cum ipsa ad merendum ipsam de condigno, excellentior est in genere entis et absolute et simpliciter quavis alia virtute non habente talem proportionem et valorem meriti de condigno, quia ista condignitas et valor seu proportio cum re ita excedente in ratione entis omnia alia dona, etiam in ipsa charitate, supponit perfectionem excedentem in ratione entis cætera dona. Illa enim major proportio et condignitas cum vita æterna non potest non esse perfectior<sup>1</sup> aliqua entitativa seu physica\* \*n. 1761 cæteras virtutes excedens, quia vita æterna cum qua habet immediatam<sup>2</sup> proportionem est in entitate nobilior cæteris.

o

1761 XXVIII. — Et hinc sumitur **fundamentum**, quia in his virtutibus supernaturalibus, non\* solum desumenda est \*n. 1712, 1716 et discernenda perfectio physica ex ipso genere in quo sunt, verbi gratia, quia est in genere voluntarii aut intellectualis, sed maxime et propriissime ex ipsa elevatione\* qua elevat \*n. 1765 naturam ad altiolem participationem divinæ naturæ, et propinquius se habet ad ipsam : quæ est ratio D. Thomæ in hac quæstione LXVI<sup>3</sup>, art. VI.

1762 Constat autem quod charitas de se attingit divinam naturam sine ulla\* distantia ab ipsa, sed per intimam unionem, quia in Deo manet<sup>4</sup>, et Deus in nobis ; fides autem et spes sunt cum quadam distantia a Deo, quatenus fides est de non viso, et spes de non possessio.

<sup>1</sup> Ita Vivès. Forsan legendum : perfectio.

<sup>2</sup> Vivès : mediatam.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 6.

<sup>4</sup> Cf. *I Joan.* 4, 16.

1763 Unde ulterius habetur quod charitas per se et ex sua natura petit sequi ad lumen gloriæ et visionem beatam, nam cum ipsa perseverat\*<sup>1</sup>. Ad fidem autem non sequitur \*n. 1806 per se et ex natura sua, sed ratione status, quatenus est charitas viatoris et in statu viæ, in qua servit fides.

1764 Et sic charitas est inferior\* lumine gloriæ, quia ad ipsum \*n. 1717 per se sequitur, et ab eo regulatur in tota sua perfectione ; ad fidem autem non per se sequitur ex sua natura et perfectione, sed ratione status imperfecti, et sic regulatur ab ipsa non absolute, sed ut est charitas viæ<sup>2</sup> et sub statu imperfecto.

1765 Secundum se autem est altioris\* elevationis<sup>3</sup> quam \*n. 1761 fides, quia intimius unit Deo, et respicit pro principio et radice propria sui non fidem, sed visionem gloriæ, licet pro hoc statu imperfecto reguletur a fide, ut subrogata et vicaria<sup>4</sup> visionis gloriæ. Unde non mirum quod sit altioris elevationis.

1766 Spes autem solum potest oriri a fide\*, et non a visione, \*n. 1562, 1575-1577 et sic est inferior fide, et multo magis charitate.

1767 XXIX. — **Nec obstat** quod genus fidei est genus intellectuale, et potentia in qua est fides est intellectus, genus autem charitatis est genus voluntarium, et potentia in qua existit est voluntas.

<sup>1</sup> Cf. *I Cor.* 13, 8.

<sup>2</sup> Vivès : vitæ.

<sup>3</sup> Vivès : elevatione.

<sup>4</sup> Cf. D. Thomas, Op. LXX *De Trin.*, q. 5, a. 4 ad 8.



1768 .Jam enim supra\* ostendimus bene posse in genere \*n. 1712 sq.  
ignobiliori dari speciem aliquam nobiliorem, et in subjecto  
seu materia imperfectiori recipi formam altiorem.

\* \*

1769 XXX. — **Quod attinet ad sapientiam\***, *dicimus* esse \*n. 1754  
perfectiorem\* cæteris virtutibus intellectualibus. \*n. 717-739

1770 *Quod patet*, quia habet objectum formale altius et  
excellentiùs, scilicet attingere et judicare de rebus per  
altissimas causas, præcipue per causam primam. Scientia  
autem attingit per causas inferiores et proprias. Prudentia  
versatur circa actiones humanas ex regulis humanis. Ars  
circa factibilia et per regulas proximas ipsis artefactis.  
Intellectus principiorum per notitiam ex ipsis terminis\*. \*n. 1779  
Qui termini non sunt nobis magis noti, nisi sint valde  
communes\*, non si sint valde reconditi, sicut ipsæ altissimæ \*n. 1772  
causæ, ad quas non nisi longo studio pervenitur.

◦

1771 XXXI. — **Unde non obstat**, quod sapientia est dis-  
cursiva, non intellectus<sup>1</sup> principiorum. Et iterum sapientia  
versatur circa conclusiones, intellectus vero principiorum  
est ratio et causa\* manifestativa conclusionum, et sic potior \*n. 1781  
est lumine versante circa conclusiones.

1772 *Sed respondetur* quod licet sapientia sit discursiva,  
tamen plus assequitur de objecto, et sub altiori ratione

<sup>1</sup> Vivès : intellectu.

procedit, quam intellectus principiorum sine discursu, cum  
ea imperfectione\* qua est in nobis, qui non comprehendimus \*n. 1770  
sicut Angeli in unico intuitu principiorum omnes conclusiones.

1773 Et ita licet intellectus principiorum versetur sine dis-  
cursu circa veritates cognitæ ex terminis, non tamen circa  
objectum altius et elevatius quam ipsa sapientia, quæ de  
eodem\* objecto cognoscit per discursum, quod intellectus \*n. 1775  
principiorum sine discursu.

1774 Versatur enim sapientia circa ens in communi et affe-  
ctiones entis, et circa eos terminos ex quibus componuntur  
principia : de his enim omnibus sapientia agit discurrendo  
et defendendo\* ipsa prima principia, et ipsos terminos ex \*n. 740-773  
quibus ea constant.

1775 Unde prima principia ex quibus procedit sapientia, et  
conclusiones quæ ex eis deducit, non sunt diversæ nobilitatis  
et altitudinis, sed ejusdem, et easdem veritates quas intelle-  
ctus principiorum attingit, etiam\* attingit sapientia refle- \*n. 1773  
ctendo super eas et defendendo, et judicando de eis, licet  
non probando, quia prima principia indemonstrabilia\* sunt, \*n. 750-1  
probat tamen defensiones\* eorum. \*n. 1776

1776 XXXII. — Et sic procedit ex primis principiis ad  
conclusiones dupliciter : *quasdam* probando et inferendo ex  
principiis, sicut aliæ scientiæ suas conclusiones probant,  
sic enim in Metaphysica et in Theologia multæ conclusiones  
inferuntur et probantur ex principiis ; *quasdam vero* veritates  
non probando, nec per discursum inferendo, sed per discursum  
defendendo et explicando, et in quantum defensas\* \*n. 1775

inferendo : et sic agit de ipsis principiis, defendendo ea et disputando contra negantes, ut ait D. Thomas in hac quæstione LXVI<sup>1</sup>, art. V ad quartum.

1777 Et tunc ex eisdem\* principiis per se notis et non probatis procedit ad eadem principia, non ut probanda, sed ut defendenda, sicut si quis negaverit omne totum esse majus sua parte, arguit metaphysicus ex definitione totius et partis, et comparatione unius cum alio, non posse stare illam positionem, quæ diceret aliquid totum esse æquale parti. \*n. 1773, 1775

1778 Et sic eadem principia serviunt ad inferendam hanc defensionem, et sub diversa consideratione et respectu, eadem veritas secundum se est principium, et ut defensa est conclusio\*. \*n. 1776

1779 Unde nobilior\* est sapientia intellectu principiorum, siquidem ad eadem\* principia defendenda se extendit, eaque habet pro objecto, non solum ut ex terminis\* nota, sicut habitus principiorum, sed ut defensa et explicata, et profundius penetrata. \*n. 1782  
\*n. 1773, 1775,  
1777  
\*n. 1770

1780 Quod aliæ scientiæ non\* habent, quæ ad sua principia non se extendunt, sed ad conclusiones ex principiis illatas et probatas. \*n. 724-731

o

1781 XXXIII. — Et quando instatur\*, quod sapientia ad suas conclusiones, sive\* quæ probantur et inferuntur, sive quæ solum defenduntur et explicantur, utitur habitu princi- \*n. 1771  
\*n. 1776

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 66, a. 5 ad 4.

piorum ut causa\* et lumine unde illas veritates<sup>1</sup>, aut probat, aut defendit. \*n. 1783

1782 *Respondetur* ita esse, sed tamen cum lumen sapientiæ derivatum a lumine principiorum non sit solum illativum et probativum conclusionum, sed explicativum et defensivum eorundem principiorum, redditur ex hac reflexione nobilior\*, quatenus defendit et explicat ipsa principia, quæ a solo principiorum habitu nec defendi possunt nec explicari, sed præcise attingi in se. \*n. 1779

1783 Non est autem inconveniens quod ex lumine principiorum oriatur lumen sapientiæ perfectius, et excedatur a tali lumine orto ex se, quia lumen principiorum non est totalis causa\* luminis sapientiæ, sed ipsa potentia intellectiva, quæ perfectior et radicalior<sup>2</sup> est utroque habitu, et ipsa cum lumine intellectus agentis, id est, cum speciebus ab eo productis, potest uti lumine principiorum ad producendum perfectius lumen, scilicet sapientiæ, quæ sit iudicativa et defensiva\* principiorum. \*n. 1781  
\*n. 1776-1779

1784 Sapientia autem supernaturalis, quæ est donum Spiritus Sancti, non causatur\* a lumine principiorum, sed infunditur a Deo, et sic potest esse altius donum. \*n. 1783

\* \*

1785 XXXIV. — Quod denique attinet ad justitiam\*, quam dicimus esse potiore inter virtutes morales, in \*n. 1755

<sup>1</sup> Vivès : verites.

<sup>2</sup> Cf. *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>æ</sup>, q. 63, a. 2 ad 3.

**primis** non loquimur comparative ad prudentiam, sed ad virtutes morales *appetitivas*.

1786 Nam prudentia, quæ immediate perficit rationem, præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus, quæ perficiunt vim appetitivam, ut dicit D. Thomas in hac quæstione LXVI<sup>1</sup>, art. I, et justitiam<sup>2</sup>; ideo præfert aliis in articulo quarto<sup>3</sup>, quia propinquior\* est rationi; ergo cum prudentia sit intra ipsammet rationem, præferenda est justitiæ. Et hoc patet, quia prudentia regulat\* omnes alias morales virtutes, etiam justitiam, reliquæ autem virtutes dicuntur regulatæ et mensuratæ a prudentia. Semper autem in genere regulabili præfertur<sup>4</sup> regulans regulato.

o

1787 XXXV. — **Deinde** loquendo de virtutibus moralibus appetitivis, justitia præfertur aliis loquendo de justitia in tota sua latitudine, prout complectitur omnes partes et species justitiæ, et comparando totum ejus genus ad reliquas virtutes, quæ ad justitiam non pertinent, ut est temperantia et fortitudo, et partes illis annexæ. Sic enim de justitia loquitur S. Thomas in hoc articulo quarto citato\*.

1788 Et secundo loquimur de justitia et aliis virtutibus ex specie et objecto suo præcise. Sic enim constat objectum justitiæ esse nobilius, quia dirigit operationes\* hominis ad alterum, tam erga Deum, quam erga bonum commune,

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 1.

<sup>2</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: justitiæ.

<sup>3</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 4.

<sup>4</sup> Vivès: præferunt.

quam erga privatos. Quod objectum est excellentius et divinius reliquis objectis aliarum virtutum, quæ versantur circa moderantiam passionum.

1789 Sed tamen in aliquo accidentali, sive in circumstantia, sive in effectu, non repugnat aliquam virtutem esse excellentiorem justitia, sicut accidens secundum quid est dignius substantia, scilicet in ornando\* et perficiendo et complendo.

1790 Et sic humilitas potest esse perfectior in removendo prohibens, quia tollit superbiam\*, quæ bonis operibus insidiatur<sup>1</sup>.

1791 Et fortitudo in conservando bonum commune, quatenus descendit<sup>2</sup> et repellit nociva, aut sustinet molesta, quod est opus perfectum complete et consummative, cum substantialiter adæquationem boni communis faciat justitia, quam defendit et propugnat fortitudo.

1792 Et magnanimitas intendit honorem magnum debitum virtuti, qui utique est ornatus et splendor virtutum easque supponit.

1793 Et sic facile est videre in aliis virtutibus, quæ accessionem faciunt ad perfectionem justitiæ, et supponunt adæquationem hominis ad alios homines, ad bonum commune, et ad Deum, tamquam fundamentum suarum perfectionum.

<sup>1</sup> Cf. S. August., *Epist. CCXI De Reg.* (PL 33, 960).

<sup>2</sup> Ita Vivès. Forsan legendum: defendit.



1794 XXXVI. — **Quod si instetur** in misericordia, quam D. Thomas dicit esse præstantissimam inter virtutes quæ respiciunt hominem aut proximum, ut patet in *Secunda Secundæ*, quæst. XXX<sup>1</sup>, articulo IV.

1795 *Respondetur* quod misericordia est duplex: *altera* in appetitu sensitivo, quæ moderatur compassionem\*, id est, tristitiam de malo proximi. Et hæc est inferior ad justitiam, quæ est in voluntate et respicit debitum ad alterum, nec de illa loquitur D. Thomas<sup>2</sup>. *Altera* est in voluntate, et est affectus sublevandi alienam miseriam. Et hæc secundum se petit esse maxima inter virtutes, quia petit maximam potentiam ad succurrendum omnibus miseriis, et maximam bonitatem ad id volendum, et sic « est<sup>3</sup> proprium Dei misereri semper et parcere. » \*n. 409, 940

1796 At vero prout *in nobis*, qui non possumus omnes misérias sublevare, non est ita perfecta sicut justitia, quæ reddit debitum aliis, sed est sicut liberalitas, quam D. Thomas dicit esse sicut ornamentum\* justitiæ, in hac quæstione LXVI<sup>4</sup>, articulo IV ad primum. \*n. 1789, 412



1797 XXXVII. — Inter ipsas autem partes justitiæ vel ejus species, quænam perfectior sit.

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 30, a. 4.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 30, a. 4.

<sup>3</sup> *Orat.* post Litánias Sanctorum.

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 66, a. 4 ad 1.

1798 **Respondetur** esse religionem, ut tradit S. Thomas, 2-2, quæst. LXXXI<sup>1</sup>, articulo VI, et ibi<sup>2</sup> latius probandum est, includendo etiam in religione pœnitentiam, quæ vel a religione non distinguitur<sup>3</sup>, vel illi annexa est.

1799 Nam justitia **vel** respicit bonum commune in ratione debiti adæquando se illi, et hæc est justitia legalis quæ *architectonice* est in principe, qui disponit et providet bono communi, *ministerialiter* autem in subditis, quatenus adæquantur et subduntur bono communi, ut proviso a principe. **Vel** respicit bonum et debitum privatum, et hoc dupliciter, scilicet, *vel* prout exercetur inter privatum et privatum per contractus et dationes vel repassiones, et sic est justitia commutativa; *vel* inter superiorem et privatum, et sic est justitia distributiva. **Vel** denique respicitur bonum altius omni privato et communi, et hoc est bonum divinum et increatum, cui debemus summam reverentiam et cultum, et hoc facit religio; vel si peccamus, debemus expiationem\* et satisfactionem\*, et hoc facit pœnitentia. \*n. 410  
\*n. 1022

1800 Inter hæc debita, certum est quod debitum privatum est infimum<sup>4</sup>, cum hoc subjiatur debito boni communis. Et certum est bonum commune esse inferius divino, quia bonum commune creatum est et divino subjiatur. Ergo illa virtus quæ reddit debitum bono divino altior est illa

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, IIa-IIæ, q. 81, a. 6.

<sup>2</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 81, a. 6, disp. 19, a. 6, n. 9-18, VII (Vivès), p. 693-697.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, In IV *Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5. — Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 81, disp. 19, a. 6, n. 28-37, VII (Vivès), p. 700-704. — Cajet., In *Sum. Theol.*, IIIa, q. 85, a. 2.

<sup>4</sup> Vivès: infirmum.

quæ reddit debitum bono communi, qualis est justitia legalis, vel bono privato, ut commutativa.

1801 XXXVIII. — **Nec obstat** <sup>1</sup>, quod justitia legalis etiam dictat et ordinat de cultu Dei, etiam ordinando illum in bonum commune.

1802 *Dicimus enim* quod justitia legalis non ordinat cultum Dei ad bonum commune, ut ad finem cujus gratia <sup>2</sup>, sed ut ad finem effectum, quatenus conservatio boni communis dependet a cultu et reverentia Dei, et si hæc conservatur, etiam conservatur bonum commune.

1803 Unde non imperat proprie justitia legalis religioni, sed ministrat, quatenus providet quod ea quæ divini cultus sunt in republica bene disponantur et observentur.

1804 Sicut cum religio dictat votum esse faciendum de actu fidei, non imperat fidei, sed ei ministrat, quatenus per votum procurat firmari in exercitio fidei, fides autem altiori modo dirigit religionem ad supernaturalem finem.

<sup>1</sup> Cf. tamen Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 81, a. 6, disp. 19, a. 6, n. 9-18, VII (Vivès), p. 693-697.

<sup>2</sup> Vivès : gratiæ.

## ARTICULUS IV

### QUID DE DURATIONE VIRTUTUM?

1805 I. — Hæc est ultima\* proprietas virtutum de qua S. <sup>n.</sup> 1316-1320 Thomas agit quæst. LXVII <sup>1</sup>, quomodo videlicet virtutes durent post hanc vitam : quod potest controversi in virtutibus theologicis, in intellectualibus, et moralibus.



1806 II. — **De duratione virtutum theologalium** non agimus in præsentī, quia in *Secunda Secundæ*, in materia de fide <sup>2</sup> et spe <sup>3</sup> late ostendimus non manere has virtutes in patria, neque quoad habitum, neque quoad actum, charitatem autem manere\*, quia <sup>4</sup> : *Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ . . . cessabunt, sive scientia destruetur.* <sup>n.</sup> 1763



1807 III. — **De intellectualibus <sup>5</sup> virtutibus**, etiam parum difficultatis habet quod maneant post hanc vitam, supposita

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67.

<sup>2</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 5, disp. 5, a. 1, n. 11-12, VII (Vivès), p. 109-111.

<sup>3</sup> Cf. Joan. a S. Thoma, *Curs. Theol.*, In IIa-IIæ, q. 18, a. 2, disp. 11, a. 1, VII (Vivès), p. 358-364.

<sup>4</sup> *I Cor.* 13, 8.

<sup>5</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 2.

sententia quam tradit S. Thomas, I P., quæst. LXXXIX <sup>1</sup>, quod species intelligibiles manent in anima post hanc vitam, quia non habent a quo destruantur, licet non maneant quoad dependentiam a phantasmatibus, quod materiale\* est <sup>n. 1808</sup> in ipsis, et hac ratione dicitur <sup>2</sup> destruenda\* esse scientia <sup>n. 1806</sup> post hanc vitam, scilicet quoad modum sciendi, sicut modo est in nobis cum ista confusione et occurrentia phantasmatum: tunc enim inclinabuntur <sup>3</sup> umbræ, quæ utique a corporibus et corporalibus causantur.

1808 Neque ista conversio ad phantasmata\* dicitur esse <sup>n. 1285</sup> materiale\* in his virtutibus et habitibus intellectualibus, <sup>n. 1807</sup> quasi sit materia circa quam versantur: hæc enim est veritas ipsa objectiva quam attingunt, sed dicitur esse materiale, seu ex parte materialis se tenere, quia sensus ministrant materiam, unde intellectus accipit species et notitias suas, et phantasmata ad sensus interiores pertinent.

★ ★ ★

1809 IV. — De virtutibus moralibus <sup>4</sup>, restat difficultas\*, <sup>n. 1831 sq.</sup> an remaneant post hanc vitam, eo quod materia circa quam versantur istæ virtutes sunt *vel* operationes\* ad alterum <sup>n. 929-932</sup> in contractibus et justitiis, *vel* passiones moderandæ et refrænandæ, et ad mediocritatem <sup>5</sup> reducendæ.

1810 Utrumque autem cessat post hanc vitam in anima separata, et sic non restat aliqua ratio unde tales virtutes

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia., q. 89, a. 5.

<sup>2</sup> Cf. *I Cor.* 13, 8.

<sup>3</sup> Cf. *Cant.* 4, 6.

<sup>4</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

<sup>5</sup> Cf. Aristot., *Ethic.*, II, cap. 6 (1106 b 36 sq.).

remaneant, nec unde exerceant actus suos deficiente\* totali <sup>n. 1832 sq.</sup> materia talium virtutum.

1811 Hoc enim sufficit ut totaliter destruaturspes et fides\*, <sup>n. 1835</sup> quia tollitur omnis materia illarum, scilicet non visum et non possessum; ergo ob eandem rationem destruetur\* <sup>n. 1830</sup> omnis virtus moralis, quia non remanet earum materia, neque in operationibus ad alterum per modum debiti adæquandis, neque in passionibus continendis, quia non sunt.

1812 Et saltem tunc non\* possunt de novo acquiri in anima <sup>n. 1829,</sup> separata, quæ hic virtutes non acquisivit, ut in anima <sup>1836-7</sup> pueri\* qui est in limbo; ergo neque exerceri ibi poterunt, <sup>n. 1829, 1837</sup> quia si possent exerceri, possent etiam de novo acquiri.

1813 Et saltem in nostra sententia, qui cum D. Thoma ponimus virtutes morales quæ moderantur passiones inhæ- <sup>n. 339 sqq.</sup> rere\* appetitui sensitivo, clarum est eas non posse manere, <sup>n. 1827 sq.</sup> etiam quoad habitum in anima separata, quia non\* manet <sup>n. 1818</sup> in ea appetitus sensitivus\*, qui est earum subjectum. De- <sup>n. 1818</sup> structo autem subjecto, destruuntur omnia quæ inhærent illi.

\* \*

1814 V. — De hac re supra\* latius diximus tractando de <sup>n. 1149 sqq.</sup> virtutibus purgati animi et exemplaribus, quales existunt in beatis et in Angelis.

⊙

1815 *Breviter dicimus* ex D. Thoma in hac quæstione LXVII <sup>1</sup>, articulo primo, manere virtutes morales in alia

<sup>1</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

vita, unaquæque juxta subjectum\* quod exigit, et juxta modum qui in illo statu possibilis\* est. \*n. 1827  
\*n. 1504 sq.

1816 Itaque non solum remanent in alia vita *habitus* istarum virtutum in subjectis capacibus earum, et in quibus natae sunt inhærere, sed etiam *actus* earum quantum ad suam rationem formalem, alio tamen modo exercentur quam hic propter diversam dispositionem materiae.

1817 Est etiam hæc sententia communior inter theologos, præsertim inter Thomistas, eamque tenent Montesinos, Lorca, Valentia, Salas, et alii super hunc locum<sup>1</sup>.

1818 Quamvis non desint qui oppositum opinentur, existimantes non manere has virtutes in patria, saltem quoad usum et actum, et præsertim loquendo de illis quæ sunt in appetitu sensitivo\*. \*n. 1813

\* \*

1819 VI. — **Nihilominus** conclusio et sententia nostra probatur fundamento D. Thomæ<sup>2</sup>, quia in illo statu ratio erit perfectissima, et omnes potentiae perfectissime movebuntur secundum rationem (loquimur de beatis, nam damnati in perpetua aversione a Deo et horrore<sup>3</sup> rationis erunt), et tunc exercebuntur operationes istarum potentiarum secundum regulam rationis, ejusque rectitudinem; ergo necessario ponendæ sunt aliquæ virtutes morales in illo statu.

<sup>1</sup> Scilicet, *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-IIæ, q. 67, a. 1.

<sup>3</sup> Cf. *Job* 10, 22.

1820 *Pateet consequentia*, quia virtutes morales sunt inclinationes et perfectiones potentialium, quæ rationi subjectæ sunt ad operandum recte secundum regulam rationis. Sed in alia vita erunt istæ potentiae operativæ secundum rationem, scilicet intellectus et voluntas et appetitus, et earum operationes erunt rectæ et regulatæ secundum rectas regulas rationis. Ergo aliqua principia habebunt proxime inclinantia ad tales operationes rectas, et istæ erunt virtutes morales.

1821 Nec solum erunt virtutes morales infusæ, sed etiam acquisitæ, quia non solum operabuntur istæ potentiae operationes rectas ordinis supernaturalis, sed etiam ordinis naturalis\* quia etiam in ordine naturali rectificabiles sunt istæ potentiae et in eodem ordine operativæ; ergo inclinationes et virtutes habebunt in eodem ordine rectificantes potentias. Et sic ut omni modo rectificationis potentiae rectificabiles sint, oportet in omni ordine virtutes habere. \*n. 1837

1822 VII. — **Nec dici potest**, quod istæ virtutes non poterunt esse ejusdem rationis et speciei cum nostris virtutibus moralibus, quas in hac vita habemus: nam alias etiam virtutes infusæ et dona Spiritus Sancti et charitas ipsa non essent ejusdem speciei in patria et in hac vita, quia diverso modo ibi operantur et hic.

1823 *Sed intelligendum est* quod virtutes istæ circa eandem materiam, verbi gratia, circa concupiscentias vel timores, operantur ex eadem ratione formali, scilicet ex prudenti regulatione rationis, sed diversimode, quia hic cum refræ-

natione passionum excedentium vel deficientium, ibi<sup>1</sup> cum totali dominio et subjectione passionum. Unde et in statu innocentiae et in Christo Domino fuerunt istae virtutes morales, licet nullum fomitem passionum sentirent nec rebellionem.

1824 Justitia etiam, licet mutet materiam, quia non erunt contractus, neque venditiones aut emptiones, quae sunt materia justitiae in hac vita, erunt tamen actus justitiae in reddendo debitum subjectionis Deo, debitum pietatis et observantiae superioribus, debitum mutui gaudii et coelestis convenientiae omnibus in his in quibus sibi communicabunt\*<sup>n. 1833</sup> juxta felicitatem status illius inenarrabilis<sup>2</sup>. Et praeterea habebit actum implentem praecipuum negativum nemini damnum inferendi.

1825 Unde pulchre Augustinus, libro XIV *De Trinitate*<sup>3</sup>, cap. IX, relatus hic a D. Thoma<sup>4</sup>: « Prudentia, inquit, ibi erit sine ullo periculo erroris; fortitudo, sine molestia tolerandorum malorum; temperantia, sine repugnantia libidinum. Ut prudentiae sit nullum bonum Deo praepone vel aequare; fortitudinis, ei firmissime adherere; temperantiae, nullo defectu noxio delectari. De justitia vero manifestius est quem actum ibi habebit, scilicet esse subditum Deo: quia etiam in hac vita ad justitiam pertinet esse subditum superiori ». — Ita ex Augustino D. Thomas<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Vivès: ubi.

<sup>2</sup> Cf. *I Cor.* 2, 9.

<sup>3</sup> *De Trin.*, Lib. XIV, cap. 9 (PL 42, 1046).

<sup>4</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>ae</sup>, q. 67, a. 1.

<sup>5</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>ae</sup>, q. 67, a. 1.

1826 VIII. — Igitur cum in alia vita etiam lex Dei impleatur, et praecipua Decalogi, tam certum est ibi remanere virtutes istas quam illa Decalogi praecipua adimpleri\*, quod utique<sup>n. 1832</sup> per rectas operationes fit<sup>1</sup>.

1827 IX. — **Notanter autem diximus in conclusione,** quod manet unaquaqueque virtus secundum subjectum\* suum,<sup>n. 1815</sup> propter id quod S. Thomas advertit in hac quaestione LXVII<sup>2</sup>, articulo primo ad tertium, quod ante resurrectionem in anima separata non possunt manere *formaliter*\* et<sup>n. 430, 1155</sup> in actu virtutes\* appetitus sensitivi, quia non manet iste<sup>n. 1836</sup> appetitus in anima separata, siquidem corporeus est, et ita sublato illo non\* possunt manere virtutes quae in eo sub<sup>n. 1813</sup>jectantur.

1828 Manent tamen illae virtutes *radicaliter*\*, quatenus in<sup>n. 1836</sup> ratione et voluntate sint seminaria<sup>3</sup> istarum virtutum, id est, syndæresis, prudentia, et inclinatio voluntatis ad bonum, tam intendendum, quam eligendum.

1829 Unde reassumptis\* corporibus in resurrectione, et<sup>n. 1837</sup> restaurato appetitu, ex ipsa ratione et voluntate, ubi radicaliter et virtualiter manserunt, repullulabunt in appetitu statim ad primos actus quos in passionibus eliciendis exercuerint, quia cum magna perfectione illos elicient, etiam pueri\* baptizati qui nunquam eos habuerant. Et tales actus<sup>n. 1812, 1837</sup> propter summam suam perfectionem generare\* poterunt<sup>n. 1812, 1836-7</sup> habitus perfectos, et illi statui operationibusque in exercendis conformes.

<sup>1</sup> Vivès: sit.

<sup>2</sup> *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>ae</sup>, q. 67, a. 1 ad 3.

<sup>3</sup> Cf. D. Thomas, *Sum. Theol.*, Ia-II<sup>ae</sup>, q. 63, a. 1.



1830 Unde non\* est necesse quod eadem numero virtutes \*n. 1811  
repullulent, quæ fuerunt in hac vita, quia istæ desierunt,  
nec nisi per miraculum reproduci possunt, sicut neque in  
aqua calida cum redit ad pristinam frigiditatem, non redit  
idem numero frigus, sed aliud.

\* \*

1831 X. — Ad dubitationes motas a principio\*, *respondetur*. \*n. 1809 sq.

o

1832 Ad primam\*, *dicimus* quod non deficit totaliter \*n. 1810  
materia istarum virtutum in patria, sed mutatur. Sunt  
enim ibi actus et operationes voluntatis et appetitus con-  
formes legi, et impletivi mandatorum\* Dei. Et hæc est \*n. 1826  
sufficiens materia istarum virtutum.

1833 Mutatur vero materia, quia *hic* versatur iustitia circa \*n. 1829  
emptiones rerum consumptibilium ad usum hujus vitæ  
spectantium, et circa contrapassum, id est, circa injurias  
et circa honores temporales, et corruptibili modo factos.  
*Ibi* autem cessant commercia vitæ corruptibilis et temporarii  
honores; succedunt vero honores cœlestes et communica-  
tiones spiritualium bonorum, in quibus etiam ad invicem  
communicant\* et debitum honorem reddunt. \*n. 1824

1834 Passiones vero elicientur post resurrectionem ab appe-  
titu, non circa delectationes gustus et tactus, vel circa  
timores mortis, aut circa alia pertinentia ad vitam corru-  
ptibilem, sed in summo gaudio et tranquillitate et pace circa

omnia sensibilia cum omnimoda conformitate ad legem Dei,  
ut sit Deus omnia in omnibus<sup>1</sup>.

1835 In fide\* autem et spe totaliter deficit conditio requisita \*n. 1811, 1806  
scilicet non visum et non possessum in materia adæquata  
fidei et spei, scilicet in possessione et visione Dei, et eorum  
quæ ad Deum ejusque materia credita pertinent.

o

1836 XI. — Ad secundam\*, *respondetur* non posse acquiri \*n. 1812  
in anima separata virtutes pertinentes ad appetitum sensi-  
tivum et passiones, quia hæc in anima separata non sunt.  
Et similiter non possunt continuari isti actus, nec\* remanere \*n. 1827  
habitus virtutum remoto appetitu in anima separata. Sed  
remanent seminaria\* istarum virtutum *radicaliter* in in- \*n. 1828  
tellectu et voluntate.

1837 Reassumptis\* autem corporibus in resurrectione, pote- \*n. 1829  
runt non solum in adultis, qui habuerunt virtutes, sed etiam  
in pueris\* baptizatis et in non baptizatis, acquiri virtutes \*n. 1812, 1829  
istæ per actus ordinis naturalis\*, quos secundum legem et \*n. 1821  
regulas rationis tunc exercuerint.

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 15, 28.

## INDEX BIBLICUS

---

<b>GEN.</b>	<b>CANT.</b>
4, 7 : 360, 426	4, 6 : 1807
29, 23-24 : 165, 235	5, 4 : 1141
<b>EXOD.</b>	<b>SAP.</b>
14, 21 : 1139	8 : 1223
	8, 7 : 975, 1188, 1212, 1223, 1224
<b>NUM.</b>	<b>ECCLI.</b>
25, 1-3 : 907	1, 16 : 1079
	19, 4 : 1394
<b>II ESDR.</b>	<b>IS.</b>
8, 9 : 1377	11, 2-3 : 1264
	16, 11 : 1479
<b>JOB</b>	<b>THREN.</b>
2, 4 : 1005	3, 3-4 : 1140
10, 22 : 1819	
<b>PS.</b>	<b>EZECH.</b>
4, 7 : 547	18, 23 : 1236
23, 10 : 1182	
31, 4 : 1139	<b>I MAC.</b>
31, 9 : 1687	3, 19 : 1183
36, 27 : 922	
39, 5 : 1279	<b>MAT.</b>
47, 7-8 : 1139, 1279	5, 20 : 1650
118, 120 : 1121, 1139, 1234, 1277	5, 48 : 1107
118, 121 : 1185	19, 17 : 1287, 1290
136, 9 : 1278	19, 19 : 302
	22, 37 : 1642
<b>PROV.</b>	27, 3 : 1372
15, 5 : 1651	27, 5 : 1372

<b>LUC.</b>	5, 22 : 1606
7, 47 : 1192	5, 23 : 1184
<b>JOAN.</b>	<b>EPH.</b>
14, 23 : 1419	2, 19 : 1133
19, 11 : 1652	3, 17 : 1031
	4, 7 : 1663
<b>ACT.</b>	<b>PHILIP.</b>
17, 28 : 325	3, 8 : 1370
<b>ROM.</b>	<b>COL.</b>
1, 21 : 269	1, 11 : 1182
2, 14 : 547	<b>I TIM.</b>
2, 15 : 547	2, 4 : 1236
6, 19 : 15	<b>II TIM.</b>
8, 14 : 1243	2, 25 : 1236
12, 3 : 1386	<b>HEB.</b>
12, 12 : 388	6, 19 : 1031
<b>I COR.</b>	11, 6 : 1419
2, 9 : 1824	<b>JAC.</b>
2, 15 : 728	2, 10 : 1456, 1472
3, 10 : 719	5, 20 : 1192
3, 11 : 1031	<b>I PET.</b>
7, 34 : 1369	4, 8 : 1192
9, 25 : 1270	5, 8 : 1163
9, 27 : 1271	<b>II PET.</b>
13, 2 : 1757	1, 4 : 238, 1205, 1684
13, 8 : 1763, 1806, 1807	3, 9 : 1236
13, 13 : 513, 1649, 1710, 1756	<b>I JOAN.</b>
15, 12sq. : 749	2, 27 : 1225
15, 43 : 1697	4, 16 : 1762
<b>II COR.</b>	
2, 6-7 : 1376	
<b>GAL.</b>	
3, 5 : 1182	
5, 6 : 1568, 1571, 1577, 1688	
5, 17 : 163	

## INDEX ONOMASTICUS

<b>A</b>	<b>D</b>
ALMAINUS (Jacobus), 550	DURANDUS DE S. PORTIANO, 550, 1176
AMBROSIVS (S.), 976, 1438, 1478	
ARISTOTELES, 25, 30, 298, 344, 346, 347, 350, 351, 353, 378, 381, 434, 593, 625, 626, 631, 637, 638, 663, 665, 670, 681, 689, 690, 694, 718, 720, 728, 785, 812, 837, 899, 1111, 1144, 1154, 1324, 1334, 1361, 1366, 1448, 1633	<b>G</b>
AUGUSTINUS (S.), 5, 12, 26, 163, 435, 443, 976, 1185, 1439, 1452, 1485, 1486, 1605	GABRIEL (Biel), 278, 337, 1176, 1445 GLOSSA ORDINARIA, 1605 GREGORIUS I P. (S.), 976, 1440
AZORIUS (Joannes), 336	<b>H</b>
	HENRICUS (Gandavinus), 1176 HIERONYMUS (S.), 1441, 1479, 1480, 1538, 1606
<b>B</b>	<b>I</b>
BANEZ (Dominicus), 398, 561, 579, 670	INNOCENTIUS III P., 1190
BERNARDUS (S.), 976, 1391	
BONAVENTURA (S.), 334	<b>J</b>
	JOANNES A S. THOMA, 1, 16, 21, 46, 48, 64, 65, 69, 74, 88, 93, 188, 292, 420, 577, 635, 687, 712, 814, 827, 852, 860, 863, 1279, 1280, 1315, 1692, 1806
<b>C</b>	<b>L</b>
CAJETANUS, 36, 163, 168, 215, 251, 261, 265, 339, 396, 561, 580, 618, 622, 1114, 1150, 1180, 1594, 1692, 1738	LACTANTIUS, 1607 LORCA (Petrus de), 36, 170, 262, 278, 339, 980, 1177, 1445, 1817
CANO (Melchior), 398	
CLEMENS V P., 1200	
CONIMBRICENSES (S. J.), 670	
CONRADUS (Koellin), 36, 339, 398, 561	
CORPUS JURIS CANONICI, 1180, 1189	
CURIEL (Joannes Alphonsus), 36, 169	

M	S
MACROBIUS, 1106	SALAS (Joannes), 1817
MARTINEZ (Gregorius), 550, 670, 1150, 1177, 1595	SCOTUS, 16, 28, 77, 101, 102, 278, 334, 1150, 1176, 1301, 1390, 1444, 1593, 1692
MEDINA (Barthol. de), 36, 169, 339, 398, 561, 1150, 1178	SOTO (Dominicus), 550 SUAREZ (Franciscus), 561
MONTESINOS (Ludovicus), 36, 279, 311 339, 561, 673, 1177, 1817	SYLVESTER (Ferrariensis), 561
O	T
OCHAM (Gulielmus), 278, 1445	THOMAS (S.), vide <b>Index Thomisticus</b> TRIDENTINUM CONC., 160, 1170, 1206, 1207, 1216, 1217, 1219, 1564, 1684
P	V
PLOTINUS, 1106	VALENTIA (Gregorius de), 169, 337, 550, 1817
PROSPER AQUITANUS (S.), 976, 1610	VASQUEZ (Gabriel), 21, 23, 36, 335, 378, 551, 561, 623, 660, 903, 1218, 1231, 1445, 1561
R	VIENNENSE CONC., 1180
RICHARDUS (de Mediavilla), 550	

## INDEX THOMISTICUS

<b>In I Perihermenias</b>		Liber VI, lect. 4 : 631
lect. 3 : 631		Liber X, lect. 10, n. 2122 : 1044
<b>In I Librum Posteriorum Analyticorum</b>		Liber XI, lect. 5, n. 2223 : 753
lect. 2 : 631		
lect. 5, n. 6-7 : 643, 665		
lect. 30, n. 6 : 626		
lect. 41, n. 10-13 : 690		
<b>In II Librum Posteriorum Analyticorum</b>		<b>In Dionysium de Divinis Nominibus</b>
lect. 20 n. 11-15 : 618, 631, 638		lect. 22, n. 592 : 1587
<b>In Libros Physicorum</b>		<b>In Libros Ethicorum</b>
Liber V, lect. 3, n. 7 : 34		Liber I, lect. 20, n. 243 : 355
Liber VII, lect. 5, n. 6 : 34		Liber II, lect. 6, n. 307 : 1348
lect. 6, n. 7 : 442		Liber III, lect. 3, n. 410 : 1456
		lect. 19, n. 595-7 : 381
<b>In III Librum de Anima</b>		Liber VI, lect. 3, n. 1148 : 638, 681
lect. 9 : 684		lect. 5 : 562
lect. 11 : 631		lect. 5, n. 1179 : 584, 631, 674, 677
lect. 15, n. 820-825 : 702		lect. 5, n. 1183 : 772
		lect. 6, n. 1190 : 772
<b>In Libros Metaphysicorum</b>		lect. 7, n. 1211 : 739
Liber I, lect. 1, n. 15 et 22 : 657		lect. 11, n. 1288 : 1446
Liber IV, lect. 6, n. 608 : 753		Liber VII, lect. 9, n. 1453 : 1079
lect. 9, n. 653 : 753		
		<b>In Libros Sententiarum</b>
		Liber II, dist. 27, q. 1, a. 2 ad 5 : 135, 174



PRIMA SECUNDÆ (sequitur)		q. 67, a. 1	: 1120, 1153, 1166, 1809, 1815, 1817, 1819, 1825
q. 64, a. 3	: 780		
q. 64, a. 3 ad 2	: 1387		
q. 64, a. 4	: 1389	q. 67, a. 1 ad 3	: 430, 1155, 1827
q. 65, a. 1	: 1437, 1440, 1451, 1453, 1527, 1541, 1552, 1578, 1738	q. 67, a. 2	: 1807
		q. 68, a. 4 ad 3	: 1475
		q. 68, a. 8	: 1681, 1704
		q. 71, a. 2	: 519
q. 65, a. 1 ad 1	: 1443, 1469, 1496, 1509, 1516, 1528, 1536, 1552, 1554	q. 71, a. 5 ad 1	: 1503
		q. 73, a. 1	: 1489, 1499
		q. 73, a. 5 ad 2	: 1163
q. 65, a. 1 ad 3	: 1408, 1414, 1502, 1667	q. 78, a. 1 ad 1	: 1456
		q. 79, a. 2	: 132
q. 65, a. 1 ad 4	: 1414	q. 94, a. 3 ad 2	: 1589
q. 65, a. 2	: 1411, 1565, 1592	q. 96, a. 6	: 958
		q. 100, a. 9	: 232, 1291, 1347
q. 65, a. 2 ad 1	: 1610	q. 109, a. 3	: 328
q. 65, a. 3	: 1411	q. 110, a. 2	: 1240
q. 65, a. 4	: 1409	q. 110, a. 3	: 238
q. 65, a. 4 ad 1	: 1565, 1576	q. 112, a. 5	: 1275
q. 65, a. 5	: 1409		
q. 66	: 1645	SECUNDA SECUNDÆ	
q. 66, a. 1	: 1653, 1786	q. 2, a. 3	: 1584
q. 66, a. 2	: 1665	q. 4, a. 2 ad 3	: 1571
q. 66, a. 3	: 77, 82, 871, 1680, 1689, 1698, 1700, 1719, 1727, 1728, 1729, 1731, 1746	q. 4, a. 3	: 1540
		q. 5, a. 2	: 230
q. 66, a. 3 ad 3	: 1736, 1747	q. 5, a. 4 ad 3	: 599, 612
q. 66, a. 4	: 1751, 1786, 1787	q. 17, a. 1 ad 1	: 175
		q. 17, a. 1 ad 2	: 1395
q. 66, a. 4 ad 1	: 1796	q. 17, a. 5 ad 2	: 1389
q. 66, a. 5	: 1751	q. 23, a. 6	: 1753
q. 66, a. 5 ad 4	: 1776	q. 23, a. 7	: 1592
q. 66, a. 6	: 1681, 1751, 1761	q. 23, a. 8	: 1540
		q. 25, a. 4	: 1429
q. 67	: 420, 1805	q. 25, a. 5	: 1429
		q. 30, a. 4	: 1794, 1795
		q. 44, a. 7	: 1429
		q. 45	: 718
		q. 45, a. 1	: 728

SECUNDA SECUNDÆ (sequitur)		q. 155, a. 3	: 316
q. 45, a. 6 ad 3	: 1079	q. 155, a. 4	: 1097
q. 47, a. 2 ad 3	: 867	q. 157, a. 3	: 1003
q. 47, a. 5	: 900	q. 161, a. 1 ad 5	: 316
q. 47, a. 6	: 1459, 1735, 1749	q. 161, a. 2	: 316
		q. 161, a. 5 ad 2	: 1079
q. 47, a. 7	: 1735	q. 162, a. 3	: 316
q. 47, a. 8	: 1462	q. 166, a. 2	: 298
q. 47, a. 13	: 208, 209	q. 167, a. 1 ad 1	: 313
q. 48	: 920		
q. 50	: 896, 996,	TERTIA PARS	
	1007	q. 7 a. 2 ad 3	: 280
q. 51	: 897, 920	q. 9, a. 3 ad 2	: 1305
q. 51, a. 1 ad 3	: 216	q. 15, a. 2	: 361
q. 53, a. 5 ad 3	: 280	q. 41, a. 1 ad 3	: 163
q. 55, a. 1 ad 3	: 1163	q. 50, a. 5	: 220, 1599
q. 58, a. 10 ad 2	: 1599	q. 85, a. 2 ad 1	: 1218
q. 58, a. 12	: 1755	q. 89, a. 5	: 1036, 1079
q. 80	: 933, 959		
q. 80, a. 1, obj. 1	: 964	SUPPLEMENTUM	
q. 80, a. 1, obj. 2 et 3	: 964	q. 71, a. 5 ad 4	: 1163
q. 80, a. 1, obj. 4	: 964		
q. 81-120	: 959, 964	DE VERITATE	
q. 81, a. 6	: 1755, 1798	q. 1, a. 3	: 631
q. 117, a. 5	: 398, 940	q. 10, a. 10 ad 7	: 1275
q. 117, a. 5 ad 1	: 397	q. 14, a. 2 ad 10	: 274
q. 120, a. 2	: 958	q. 15, a. 3 ad 2	: 1456
q. 123-138	: 965	q. 15, a. 3 ad 4	: 1589
q. 123, a. 8	: 379, 388	q. 15, a. 3 ad 6	: 1456
q. 129, a. 2	: 1081	q. 16, a. 1	: 562, 584, 606, 689,
q. 134	: 1113		699
q. 134, a. 4	: 403	q. 16, a. 1 ad 4	: 562
q. 134, a. 4 ad 1	: 393, 396, 413	q. 17, a. 1 ad 4 (2°)	: 1302, 1310
		q. 22, a. 13	: 827
q. 146-169	: 971	q. 22, a. 15 ad 1	: 1456
q. 146-154	: 968		
q. 151	: 1113	DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS	
q. 152, a. 3 ad 3	: 1036, 1079, 1512, 1556	a. 1	: 1025
q. 152, a. 3 ad 4	: 408	a. 1 ad 1	: 982
q. 154, a. 1 ad 2	: 407		
q. 155-169	: 969		
q. 155, a. 1	: 369, 437		

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS (sequitur)	q. 16, a. 6 ad 12	: 1602
	q. 16, a. 8 ad 3	: 1285
a. 1 ad 12		: 1000
a. 2		: 1453, 1592
DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI		
a. 4		: 331
a. 5		: 281
a. 5 ad 3		: 320
a. 10 ad 19		: 1303
a. 12 ad 24		: 1031, 1100
a. 13 ad 7		: 1330
DE MALO		
q. 2, a. 3 ad 9		: 1456
	QUÆSTIONES QUODLIBETALES	
	Quodl. 4, q. 12, a. 2 ad 12	: 739
	Quodl. 8, q. 6, a. 1	: 228
	OPUSCULA	
	Op. 70, q. 5, a. 1 ad 3	: 739
	Op. 70, q. 5, a. 1 ad 10	: 739
	Op. 70, q. 5, a. 4 ad 8	: 1765
	Op. 70, q. 6, a. 3	: 1285

## INDEX ANALYTICUS

## A

- ABSTINENTIA** : 1 — est una pars subjectiva temperantiæ ex parte ciborum, 968, 1008-1011.  
2 — ejus regula, 1010.
- ABSTRACTIO** : id quod est magis abstractum est nobilius et insimul minus efficax, 83.
- ACCIDENS** : secundum quid potest esse magis dignum substantia, 1789.
- ACTUS** : 1 — actus idem non potest esse simul bonus et malus moraliter, 188.  
2 — actus externi potentiæ externarum solum extrinsece sunt liberi et morales, 76.  
3 — de actu pendente a duplici potentia, 364, 366.
- ACTUS IMMANENS** : virtualiter et eminenter potest esse transiens, 825.
- ADULTERIUM** : 1 — quomodo sit species luxuriæ ab aliis condistincta, 407.  
2 — quomodo respicit alterum, 938.
- AFFABILITAS** : est una pars potentialis justitiæ, 493, 959, 1004.
- ACERE** : 1 — quid sit, 803.  
2 — sumitur pro actione immanente ; sumitur etiam pro actione transeunte, sed non producente aliquem terminum seu rem operatam permanentem, 839-840.
- AGIBILE** : 1 — quid sit, 775, 803.  
2 — potest tripliciter distingui, 838-841.  
3 — tota materia agibile unitur sub uno ordine ad finem moralem, 1456.
- AMICITIA** : 1 — fundatur super communicatione, 324  
2 — solvit ad æqualitatem, sed non servat debitum rigorosum, 493, 959, 1004.  
3 — cur non sit virtus cardinalis, 1004.  
4 — velle alteri bonum per amicitiam fundat caritatem, 1164.
- AMOR** : in ordine generationis, prius est concupiscere ut proprium quam amare ut amicum, 512.

- AMOR SUI** : 1 — ad se amandum ordinate non indiget habitu voluntas, 306.  
2 — quomodo esse et vivere possunt odio haberi, 307-308.
- ANALOGIA** : sumitur ex inæqualitate rationis communis, 880, 889, 1040, 1053.
- ANGELUS** : 1 — non indiget habitu ad cognoscendas veritates, sed sufficiunt ei species repræsentativæ, 320, 322, 567, 707, 709.  
2 — in eo non distinguitur cognitio qua cognoscit principia et conclusiones, 695.  
3 — non comprehendimus sicut angelus in unico intuitu principiorum omnes conclusiones, 1772.  
4 — est incapax virium sensitivarum, 1155, 1158.  
5 — an sit formaliter temperantia in angelis, fortitudo vel justitia, 1149-1159, 1492, 1506.
- ANIMA** : 1 — anima separata non habet virtutes moderativas passionum nisi radicaliter tantum, 420, 430, 431, 1155, 1810-1813.  
2 — reassumptis autem corporibus, poterunt acquiri virtutes istæ, 1829, 1837.
- APPETITUS RECTUS** : 1 — quomodo redditur rectus, 780.  
2 — quomodo veritas prudentiæ sumitur per conformitatem ad rectum appetitum, 795.  
3 — quomodo appetitus rectus sumitur a prudentia, 796.  
4 — datur appetitus rectus qui consequitur ad prudentiam, et appetitus rectus qui antecedit prudentiam, 793.
- APPETITUS SENSITIVUS** : 1 — appetitus sensitivus immediate dirigitur a phantasia, 1258.  
2 — appetitus sensitivus ut regulatus ratione elicit actus bonos laudabiles, 360.  
3 — tales actus sunt voluntarii et morales, 360.  
4 — in statu innocentiae subjectio appetitus sensitivi ad rationem non erat despótica, sed maxime política, 361-363.  
5 — appetitus sensitivus est subjectum habitus virtutis, 344-363.  
6 — appetitus sensitivus quatenus subjicitur rationi potest attingere bonum honestum, 383-385.  
7 — illud bonum non est extra sphæram sui quatenus subordinatur et ministrat rationi, 421, 426.  
8 — ea quæ pertinent ad irascibilem magis habent de ratione quam quæ pertinent ad concupiscibilem, 1658.  
9 — appetitus sensitivus potest ex participatione rationis eligere circa singularia, et modo collativo procedere, 427.  
10 — et elicere actus supernaturales ut dirigitur a prudentia supernaturali, 1222, 1281-1284.  
11 — quomodo in appetitu sensitivo potest participari moralitas seu regulatio supernaturalis, 1285.

- ARITHMETICA** : 1 — est ars liberalis et scientia, 846, 865.  
2 — est idem habitus arithmetica docens et utens, 863-865.
- ARS** : 1 — ejus materia, 803.  
2 — ejus forma, 805-807.  
3 — ejus modus operandi, 809-813.  
4 — ejus objectum formale, 1770.  
5 — quænam sunt ejus regulæ, 781, 843-844.  
6 — non dependet in suis regulis et principiis ex rectitudine bonitatis moralis, 829, 843.  
7 — procedit per certas et determinatas regulas, prudentia vero per arbitrarias, 809.  
8 — versatur circa veritatem infallibilem, non quidem speculative, sed practice, 778.  
9 — infallibiliter procedit ex parte modi operandi, defectibilitas vero solum est ex parte materiæ, 800-801.  
10 — ad artem non pertinet recte applicare appetitum ad bonum usum, sed dare facultatem faciendi bonum opus, 467, 468.  
11 — modus artis respicit bonum reddere ipsum opus, quidquid sit de ipso operante, 841.  
12 — respicit rectitudinem et debitam commensurationem ipsius effectus in se, 530, 843.  
13 — artes non versantur circa rectificationem interiorem, 916.  
14 — veritas ejus definitur, 781, 788, 790.  
15 — omnis ars practica est, nisi sit scientia simul : tunc enim est habitus speculativus, et solum habet quemdam modum practici, 862.  
16 — ad artem requiritur per se loquendo consilium, 810-811, 819.  
17 — requiritur vero præceptum et iudicium ad artem, 820-821.  
18 — cur in homine datur una tantum prudentia respectu actionum propriarum, et possint esse diversæ artes, 916-917.  
19 — ars inferior quomodo subordinatur superiori quoad specificationem et quoad exercitium operis, 832-836.  
20 — artes liberales et artes mechanicæ seu serviles, 468, 837-869.  
21 — in artibus datur *medium* et regulatio ex parte objecti, 1383-1384.  
22 — artes non sunt connexæ inter se, 1412-1413, 1416, 1490, 1502.
- ARS LIBERALIS** : 1 — quid sit, 842, 850.  
2 — quomodo ejus regulatio differt a regulatione in arte servili, 805-806.  
3 — a regulatione morali, 807.  
4 — quomodo differt ab arte servili, 837-869.  
5 — utrum possit usque ad ipsas speculationes intellectus extendi, 851-852.  
6 — utrum ars liberalis quæ versatur circa speculationes ordinandas sit practicus, an speculativus, 853-869.  
7 — quomodo pertinet ad intellectum practicum, 862.



8 — per se loquendo non producit effectus ad extra permanentes, 840, 845-846, 850.

**ARS PICTORIA** : quomodo sit ars liberalis, quomodo autem servilis, 847-848.

**ARS SERVILIS** : 1 — quomodo differt ab arte liberali, 837-869.

2 — est magis laboriosa quam ingenua, 845, 850.

**ARTIFEX** : 1 — quid pertinet ad laudem artificis, quid autem non, 531, 812-813, 829.

2 — si peccat ex ignorantia artis vituperatur, non autem si volens peccat, dummodo non ex ignorantia, 813.

**ARTIFICIALIA** : effectus artificiales sunt res ut mensuratæ regulis artis, 54.

**ASSENSUS** : 1 — Ipse assensus est actus distinctus a discursu quo acquiritur, 687.

2 — cæterum non indigent isti actus duplici habitu, 687.

**ASSUEFACTIO** : assuefactio tantum seu dispositio ad virtutem generatur ex frequentatione actuum bonorum ab existente in peccato mortali, non autem generabitur vera virtus quæ sit habitus difficile mobilis, 1642-1644.

**ASTUTIA** : opponitur prudentiæ per excessum, 1385.

**ATTRITIO** : 1 — non est virtus perfecta in genere supernaturali, sed quædam dispositio, 1207, 1578.

2 — est actus pœnitentiæ, 1207.

3 — non est actus caritatis, 1207, 1217-1218.

4 — est supernaturalis, 1207, 1215, 1217, 1564.

5 — potest dari *actus* attritionis supernaturalis in peccatore antequam justificetur, 1564.

**AUGMENTUM** : 1 — eodem modo philosophandum est de augmento sicut de generatione virtutum, 1296, 1560.

2 — circa augmentum virtutum infusarum, 1296, 1303, 1313.

## B

**BEATI** : habent virtutes morales, 430-431, 436, 1159, 1809-1837.

**BEATITUDO** : 1 — vivere secundum rationem maxime pertinet ad beatitudinem, 292.

2 — naturaliter et necessario amatur quoad specificationem, 310.

3 — sine virtutibus nullus est beatus, 1286.

**BONUM** : bonum simpliciter non dicitur ratione solius substantiæ, 199.

2 — bonum honestum — quid, 390.

3 — in bono honesto potest considerari et objectum *quod* et objectum *cui*, 301, 304.

4 — bonum proprium et proportionatum homini sine habitu superaddito diligitur, 249-250, 256-259, 277-330.

5 — bonum est ex integra causa, 199.

**BONUM COMMUNE** : conservatio boni communis dependet a cultu et reverentia Dei, 1802.

## C

**CARDO** : 1 — firmat et faciliat motum ostii, 1096.

2 — firmat et ordinat motum in ostio, 1033, 1105.

3 — motus ostii per quod fit ingressus ad ulteriora domus firmatur in cardine, 1099.

**CARITAS** : 1 — gratia habitualis distinguitur a caritate, 238.

2 — est amor efficax in ordinando ad Deum, 1425.

3 — se extendit ad omne bonum si posset propter Deum, 1165, 1391, 1573.

4 — quomodo intendit finem, 1573.

5 — versatur circa ultimum finem, 1213.

6 — diligit super omnia finem ultimum in se, qui est ipse Deus, 1391, 1423, 1573, 1762-1765.

7 — unit hominem fini supernaturali et quasi transformat in illum finem ut ei connaturaliter conjungatur, 511, 1573.

8 — dicitur radix, 1031.

9 — est inferior lumine gloriæ, 1717, 1764.

10 — non regulatur a fide absolute, sed ut est caritas viæ, 1764.

11 — per se petit sequi ad lumen gloriæ et visionem beatam, 1763-1764.

12 — non per se, sed ratione status sequitur ad fidem divinam, 1763-1764.

13 — regulatur in tota sua perfectione a lumine gloriæ, 1764-1765.

14 — non regulatur in tota sua perfectione a fide divina, 1764-1765.

15 — secundum se est altioris elevationis quam fides divina, 1765.

16 — non omnes virtutes intellectuales sunt caritate inferiores 1717, 1764.

17 — etiamsi pertineat ad genus volibile, nobilior est virtutibus generis intellectualis ; non tamen lumine gloriæ, 1716-1717.

18 — quomodo est in medio, 1391, 1396.

19 — non potest esse in hac vita sine fide divina et spe divina, 1409, 1419.

20 — exigit electiones mediorum proportionatas illi ordini, nempe supernaturali, in quo ultimum finem attingit, 1213, 1227-1245.

21 — non potest subsistere sine virtutibus moralibus infusis, 1227-1244, 1424-1425.

22 — est connexa cum virtutibus moralibus infusis, 1411, 1423-1431, 1561-1578.

- 23 — virtutes morales acquisitæ essentialiter possunt esse virtutes sine caritate, non perfective, 1579-1644.
- 24 — non est connexa cum virtutibus moralibus acquisitis quantum ad substantiam virtutis 1410, 1420-1421, 1579-1644.
- 25 — dat perfectissimum statum virtutibus, movendo et dirigendo eas in finem suum, 1688.
- 26 — meretur vitam æternam de condigno, 1760.
- 27 — contemplatio et amor Dei amorem temporalium exsiccat et destruit, 1121, 1139, 1278.
- 28 — quomodo peccatur contra caritatem, 1396.
- 29 — non tollitur nisi ex aversione a Deo, 1627.
- 30 — manet in patria, 1763, 1806.
- 31 — velle alteri bonum per amicitiam fundat caritatem, 1164.
- CASTITAS** : 1 — est una pars subjectiva temperantiæ, 968, 1008 sq.  
2 — quomodo differt a virginitate, 1129.  
3 — non sunt proprie casti qui solummodo habent horrorem ad spurcitiam, 1473, 1534, 1546-1547, 1614.  
4 — ad servandam castitatem non solum debet prudentia respicere rationem temperantiæ, 907, 914, 1222.  
5 — non reddit illicitum usum venerorum in matrimonio, 1009, 1113.  
6 — quomodo respicit alterum, 938.
- CHARACTER** : 1 — constituit ministrum ut mobilem ab alio, 186.  
2 — non est habitus inclinans ad bene vel male operandum in genere morali, 186.  
3 — est potestas ad valide conficiendum vel recipiendum sacramentum, 186.
- CHRISTUS** : 1 — habet virtutes morales, 432, 1119.  
2 — non habet virtutem pœnitentiæ, 1169, 1492, 1504, 1506.
- CIRCULUS** : 1 — non committitur, quando non est ab eodem ad idem, sed ad diversum, 797.  
2 — quomodo non committitur sumendo appetitum rectum a prudentia, et veritatem prudentiæ ab appetitu recto, 792-797.
- CIRCUMSTANTIÆ** : licet circumstantiæ accidentaliter se habeant ad specificam rationem virtutis, tamen debita earum dispositio non accidentaliter se habet ad virtutem, 198, 207.
- CLEMENTIA** : est una pars potentialis temperantiæ, 969.
- COGNITIO** : ratio formalis cognoscendi sumitur ex medio seu motivo, 694.
- COLOR** : colores non emittunt speciem nisi in quantum lucidi, seu ipsa luce affecti et modificati, 116.

- CONCUPISCENTIA** : 1 — motus indeliberatus et a voluntate nullo modo permixtus, sed statim repulsus, nullo modo nocet, 161.  
2 — non quilibet motus concupiscentiæ est tentatio carnis, 163.  
3 — quid sit concupiscentia animalis, 397, 412.  
4 — concupiscentia animalis distinguitur a concupiscentia naturali, 412.
- CONCUPISCIBILIS** : ejus defectus est magis turpis et probrosus quam vitium irascibilis, 1658.
- CONNEXIO VIRTUTUM** : 1 — quid intelligitur nomine connexionis, 1404.  
2 — dupliciter connexio considerari potest, 1401.  
3 — potest esse vel quantum ad substantiam virtutum, vel quantum ad aliquam perfectionem et statum accidentalem, 1405.  
4 — Scriptura non exprimit omnes virtutes esse connexas, 1481.  
5 — Scotus absolute negat connexionem virtutum, 1444, 1488-1523.  
6 — omnes virtutes morales sunt connexæ inter se, non ratione materiæ sed ratione formæ seu regulæ, 909.  
7 — prudentia connexa est cum virtutibus moralibus, 1242, 1436-1560.  
8 — utrum quolibet actû virtutis augeantur omnes virtutes morales connexæ, 1559-1560.  
9 — tota connexio in intelligibilibus est penes illationem et discursum, 1408, 1490, 1502.
- CONSEQUENTIA** : 1 — in inductione deducitur consequentia ex enumeratione singularium, 623  
2 — in scientia deducitur consequentia ex connexione extremorum cum medio, 623.
- CONSILIUM** : 1 — est unus actus rationis practicæ, 470, 818.  
2 — quomodo movet, 817, 822.  
3 — fides divina non sufficit dare consilium supernaturaliter, 1263-1264.  
4 — ad artem non requiritur per se loquendo, sicut ad prudentiam, 810-811, 819.
- CONTINENTIA** : 1 — est pars potentialis temperantiæ, 403, 969.  
2 — est in voluntate, 403, 316, 969.  
3 — est in diversa potentia quam sua virtus principalis, 403, 969.  
4 — quando vehementes passiones adhuc insurgunt, nondum est temperantia, sed continentia, 1079.  
5 — non est proprie virtus, 280, 369.  
6 — habitus continentiæ ponitur in voluntate ut resistat passionibus insurgentibus, ne deducatur ab illis, 369, 437.  
7 — cur non sit virtus cardinalis, 1097.  
8 — quomodo est a Deo, 1184.
- CONTRARIA** : 1 — sub eodem genere maxime distant, 1044.  
2 — contrariorum eadem est ratio, 1081.

**CONTRITIO** : Vasquez putat esse actum caritatis, 1218.

**CREDIBILITAS** : 1 — peccatur contra fidem per defectum quando quis stantibus debitis motivis renuit credere, 1394.

2 — peccatur vero per excessum quando ex levissimis motivis credit, 1394.

## D

**DÆMON** : ratione odii erga nos movetur ad suggerendum peccatum quod ipse non potest perpetrare, 1163.

**DEBITUM** : ratio debiti generaliter loquendo respicitur a iustitia, 930.

**DEFINITIONES** : 1 — serviunt pro principiis in qualibet scientia, 664, 696, 757.

2 — non demonstrantur, 681, 750.

**DELECTATIO** : non est actus intellectus, sed appetitus, 1219.

**DELECTATIONES TACTUS** : sunt priores aliis delectationibus, 1005, 1036, 1055.

**DEMONSTRATIO** : 1 — omnis demonstratio est resolutio quædam in principia rei demonstratæ, 858.

2 — facilius possumus invenire rationes probabiles in materia quam sæpius demonstramus, 1305.

3 — pertinet ad habitum scientiæ, tam quoad iudicium de conclusione demonstrata, quam quoad discursum per quem acquiritur, 687.

**DETERMINATIO** : non nascitur ex indifferentia, 683.

**DEUS** : 1 — nomine Dei intelligimus et supponimus quod sit actus purus et ens summe perfectum, 759.

2 — in Deo non ostenditur aliquid a priori per causam, quæ realiter et in rigore causa est, 722, 761.

3 — quomodo Deus respiciatur naturali propensione, 325, 328, 329-330.

4 — tripliciter ad Deum potest sese habere voluntas nostra, 328-330.

5 — est diligibilis a nobis necessario quoad specificationem, ut est quoddam bonum universalissimum, 328-329.

6 — est suprema regula rationis, 1391.

7 — quomodo Deus attingere potest id quod entitatis est in peccato, non attingendo nec influendo id quod defectus est, 132, 142.

8 — non docet solum proponendo objecta et explicando, sicut faciunt homines, sed infundendo intus lumen, 1225.

**DIFFERENTIA** : principium actuale perfectionis speciei est differentia, 1713.

**DIFFICULTAS** : non est idem ac resistentia et repugnantia, 684.

**DIGNITATES** : quomodo ista principia differunt a suppositionibus, 642-643, 664-666, 690-691, 757.

**DISPUTATIO** : 1 — contra negantes omnia principia non est disputandum, 753, 758, 768.

2 — quamdiu non negatur primum principium, disputatio est possibilis, 769-770.

**DIVISUM** : unum divisum potest dividi in membra quorum unum est species subalterna, aliud atoma, 1014.

**DOCTRINA** : apud Deum et homines, 1225.

**DOLOR** : non est actus intellectus, sed appetitus, 1219.

**DONA SPIRITUS SANCTI** : 1 — de fide est dari, 1298.

2 — non tangunt ipsum Deum in se, sed versantur circa aliquid creatum, 1686.

3 — est supra virtutes cardinales et morales, et proximum theologicis, 1098, 1279, 1681.

4 — sunt superiores virtutibus infusis moralibus, et regulationem habent altiolem, 1279.

5 — dona Sp. Sti non ponuntur ad operandum juxta regulas humanas, etiam supernaturales, sed juxta regulam et mensuram divinam, 1243.

**DONUM CONSILII** : 1 — dirigit prudentialiter actus nost os altiori modo ex instinctu speciali Sp. Sancti, 1264.

2 — versa'ur circa easdem materias morales circa quas versatur prudentia, 1268.

**DONUM FORTITUDINIS** : versatur circa easdem materias morales circa quas versatur virtus fortitudinis, 1268.

**DONUM PIETATIS** : versatur circa easdem materias morales circa quas versatur observantia et iustitia ad alterum, 1268.

**DONUM SAPIENTIÆ** : 1 — non causatur a lumine principiorum, 1784.

2 — infunditur a Deo, 1784.

3 — est altius donum, 1784.

**DONUM TIMORIS** : tangit Deum quasi in connotato et in obliquo, 1687.

**DULIA** : est pars potentialis iustitiæ et pars observantiæ, 959.

## E

**ELECTIO** : 1 — est propriissimus actus virtutis moralis, 347.

2 — est de mediis, 1232.

- 3 — illa autem media etiam possunt habere rationem finis proximi, 1232, 1476, 1739.
- 4 — principaliter pertinet ad voluntatem participative, tamen etiam in appetitu reperitur, 347, 371, 402, 427, 459.
- 5 — voluntas habet electiones duplicis generis, 372 sq.
- 6 — in electione involvitur essentialiter ordo et dependentia a fine, 1640.
- 7 — non est impossibile, etiam sub conditione, 1161.

**EPIKEIA** : pertinet ad justitiam legalem, ut regulativa ejus, 958.

**ESSENTIA** : est primum quod in qualibet re considerari potest, 681.

**EUBULIA** : 1 — est pars et comes prudentiæ, 470, 897.  
2 — datur pro consilio rectificando, 470.

**EUTRAPELIA** : 1 — est pars potentialis temperantiæ, estque species modestiæ, 970.  
2 — est circa delectationes quæ sunt in ludis, 970, 1055.

## F

**FACERE** : quid sit, 803.

**FACTIBILE** : 1 — quid sit, 775, 803.  
2 — potest tripliciter distingui, 838-841.

**FELICITAS** : 1 — pertinet formaliter ad contemplationem, 442.  
2 — alia felicitas naturalis, alia felicitas supernaturalis, 504.

**FERITAS** : est aliquid deterius vitio crudelitatis, 1111.

**FIDELITAS** : 1 — est pars potentialis justitiæ, 959.  
2 — vocatur etiam veritas, 959.

**FIDES** : 1 — assensus credendi consummatur in intellectu, 340.  
2 — non est discursiva, sed tantum credit ob testimonium dicentis, 1263, 1570.

**FIDES DIVINA** : 1 — objectum primarium fidei est Deus, 759.  
2 — capit ea quæ divinitus revelantur, 510.  
3 — est vicaria visionis gloriæ, 1765.  
4 — dirigit ordinationem ad finem ultimum, 1571.  
5 — fides divina dicitur fundamentum, 1031.  
6 — est cum quadam distantia a Deo, quatenus est de non viso, 1762.  
7 — fides divina est in intellectu, et tamen est virtus simpliciter, 248, 255, 274, 275.  
8 — potest esse sine caritate et spe divina, 1418, 1562, 1575-1577.

- 9 — secundum se præcise non pendet a recta intentione finis, quæ fit per caritatem, 1577.
- 10 — fides infusa non exigit caritatem ex propria ratione sui motivi, 1409, 1540, 1577.
- 11 — caritas non sequitur ex natura sua ad fidem, 1763.
- 12 — caritas non regulatur a fide absolute, sed ut est caritas viæ 1764-1765.
- 13 — potest crescere fides, non crescente aut non existente caritate in sub-jecto, 1668.
- 14 — ad regulandas virtutes morales infusas, fides divina non gerit vicem prudentiæ infusæ, 1263-1265, 1568, 1570-1571.
- 15 — non potest esse proxima regula applicativa mediorum, sicut prudentia, sed remota et excellentior, 1263-1264.
- 16 — est eminenter practica, 1568, 1571.
- 17 — secundum se præcise non pendet a prudentia, 1577.
- 18 — quomodo sit in *medio*, 1393-1394, 1398.
- 19 — quomodo peccatur contra fidem divinam, 1393-1394, 1398.
- 20 — qui credit revelata a Deo ex vana gloria, vel alio pravo fine, non credit ex fide divina, sed alia fide, 224-225.
- 21 — quid remanet in hæretico post ejus amissionem, quando unus articulus fidei discreditur, 1311.
- 22 — non manet in patria, 1806, 1835.
- 23 — fides et religio, 1804.
- 24 — quomodo discursus theologicus cum fide compatiatur, 749, 759-762.

**FIDES HUMANA** : non est virtus intellectualis, 520.

**FINIS** : 1 — non rectificat per hoc solum quod desideratur, sed quia diligitur appetitive super omnia in se, 1549, 1573, 1627.  
2 — solum movet ad existentiam et assecutionem rei, 1625.  
3 — sese habet in practicis ut principium in speculativis, 780.  
4 — aversio non potest esse ab ultimo fine supernaturali quin sit etiam a fine ultimo naturali, 1589, 1620.

**FORTITUDO** : 1 — materia fortitudinis sunt mala superanda et vincenda, 892.  
2 — respicit difficiliora pericula, quæ sunt pericula mortis, 499, 965, 984, 988, 1100.  
3 — est in appetitu irascibili, 344, 378-390, 965.  
4 — cur non dividitur in species seu partes subjectivas, 1006, 1013.  
5 — habet quatuor virtutes potentiales, scil. magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia, 965.  
6 — cur dicitur virtus cardinalis, 1100.  
7 — non est in Deo prout in nobis, 1154.  
8 — liberatio patriæ potest esse actus veræ virtutis, sed imperfectæ sine caritate, 1608.  
9 — in aliquo accidentali potest esse perfectior justitia, 1789, 1791.

## G

- GAUDIUM** : non est actus intellectus, sed appetitus, 1219.
- GENERATIO** : generans sua actione facit formam et consequentia ad formam, 586, 592.
- GENUS** : non repugnat quod sub genere ignobiliore ponatur aliqua species ita perfecta quod excedat multas species alterius generis magis perfecti, 1712-1715, 1768.
- GNOME** : est pars et comes prudentiæ, 470, 897.
- GRAMMATICA** : 1 — est ars liberalis et scientia, 846, 865.  
2 — est idem habitus grammatica docens et utens, 863-865.
- GRATIA** : 1 — non est formaliter virtus, sed radicaliter, 238.  
2 — gratia habitualis distinguitur a caritate, 238.  
3 — subjectatur in essentia animæ ut distincta a suis potentiis, 238.  
4 — naturam perficit, 1584.  
5 — non eodem modo omnibus datur, 1663.
- GRATITUDO** : 1 — est una pars potentialis iustitiæ, 959.  
2 — cur non est virtus cardinalis, 1004.

## H

- HABITUS** : 1 — non est subjectum virtutis, sed genus, 24-27, 88-90.  
2 — secundum Scotum, habitus operativus non est genus ad bonum vel malum, sed subjectum, 16-18.  
3 — considerari potest et quoad ejus prædicata entitativa et naturalia, et ut dirigibilis per regulas rationis, 88.  
4 — *primo modo*, sese habet ut fundamentum et subjectum moralitatis; *secundo autem modo* est genus ad diversos modos regulationis, 88.  
5 — non sunt ad aliquid extra genus qualitatis, 32.  
6 — non solum in linea naturæ, sed in genere moris etiam sunt operativi, et non mere relativi, ut putavit Scotus, 93, 100-128.  
7 — est determinatio potentiæ ad actum modo permanenti, 597, 816.  
8 — ubi sufficit ad inclinationem et determinationem potentiæ ipsa propria ratio et proportio potentiæ, superfluit habitus, 291, 317.  
9 — ad hoc datur habitus ut speciales difficultates vincantur, 367, 661, 694.  
10 — sine habitu bene potest absolute et quoad entitatem produci actus a potentia, 1293.  
11 — primum actum potentia sine habitu acquisito facit, alias non acquireret illum, 568, 576.

- 12 — habitus moralis in voluntate non redditur difficile mobilis eo modo quo habitus intellectualis, 1549.  
13 — ex actibus intensioribus generatur intensior habitus, 1661.  
14 — quomodo specificatur ab actu, 1722, 1724.
- HOMO** : 1 — quid sit homo simpliciter, 1730.  
2 — propria hominis perfectio est vivere secundum rationem, 106, 121, 124, 519, 901, 1454, 1471.  
3 — ducitur ratione in suis operibus humanis, 1587.  
4 — virtus hominis ordinatur ad bonum secundum regulam rationis, 125.  
5 — bonum proprium et proportionatum homini sine habitu superaddito diligitur, 249-250, 256-259, 277-330.  
6 — in ordine naturali non rectificatur homo sufficienter per syndæresim et voluntatem ultimi finis, 1230.  
7 — in ordine supernaturali non rectificatur sufficienter per virtutes theologicas, 1229, 1265.  
8 — omnes homines naturaliter scire desiderant, 298.
- HONESTUM** : 1 — bonum honestum est bonum regulatum per rationem, 390.  
2 — licet ratio honesti primordialiter ex ratione descendat, tamen participative etiam in bono sensibili potest reperiri, 390, 421 sq.
- HONOR** : multi honores non sunt nisi extrinsecæ denominationes, 55.
- HUMILITAS** : 1 — est pars potentialis temperantiæ, 403.  
2 — est in voluntate, n. 403.  
3 — est in diversa potentia quam sua virtus principalis, 403.  
4 — est species modestiæ, 970.  
5 — refrænât elationem et superbiam, 970, 1022, 1095.  
6 — ad quid datur humilitas, 299, 311, 312, 315, 316.  
7 — bona opera custodit contra insidias superbiæ, 1036, 1095.  
8 — est fundamentum virtutum, 1079.  
9 — cur non est virtus cardinalis, 1001 sq., 1018, 1036, 1095.  
10 — in aliquo accidentali potest esse perfectior iustitia, 1789-1790.  
11 — quomodo est in extremo et in medio, 1366-1367, 1371.
- I
- IMPERIUM** : 1 — actus imperii subsequitur electionem, et dependet ab ejus rectitudine ut rectum sit, 784.  
2 — est actus magis practicus, quia est magis operativus, 470.  
3 — est actus præcipuus virtutis prudentiæ, 470, 497, 1241.  
4 — quomodo movet, 817, 821, 823 sq.  
5 — semper exercitium imperii fit mediante actu voluntatis, 834.

- INDUCTIO** : 1 — species argumentationis est, 623.  
 2 — est consequentia non efficax, sed fallibilis, 635.  
 3 — parat viam ad cognoscendum universale ut universale est, 636, 640.
- INFANTES** : infantibus baptizatis infunduntur virtutes theologicæ 1190-1201, 1420.
- INTELLECTUS** (ut habitus) : 1 — est distinctus ab intellectu qui est potentia, 555-562.  
 2 — ejus objectum formale, 1770.  
 3 — habitus primorum principiorum est habitus naturalis secundum inchoationem, 574, 583, 584, 603, 604 sq., 611, 616, 618.  
 4 — est radicaliter proxime a natura, 619.  
 5 — alii autem habitus intellectivi discursivi sunt solum radicaliter remote in natura, 619.  
 6 — est virtus intellectualis, 593.  
 7 — est habitus perficiens intellectum ad veritatem per se notam percipiendam, 562, 584.  
 8 — probabilius unus habitus primorum principiorum sufficit pro veritatibus speculativis, 689-698.  
 9 — cur habitus primorum principiorum speculativorum vocatur intellectus, 525, 584.  
 10 — istomet habitu *et* formatur iudicium sine discursu, *et* formatur compositio propositionis super quam cadit iudicium, 687.  
 11 — est quasi species subalterna sub se continens habitum primorum principiorum speculativorum, et syndæresim, 711.  
 12 — sapientia iudicat de objectis habitus principiorum, 772.  
 13 — et sapientia ad invicem, 1771-1780.  
 14 — unico actu generatur, 644-645.
- INTELLECTUS** (ut potentia) : 1 — intellectus et universale, 1700-1703.  
 2 — objectum intellectus nobilius est quam objectum appetitus, 1699.  
 3 — accipit a voluntate vim operandi et imperandi quoad exercitium, 833.  
 4 — in falso consistit defectus intellectus, 518, 777.  
 5 — intellectus noster a principio est tanquam tabula rasa, 548, 569, 684.  
 6 — intellectus noster de se nullam habet determinatam inclinationem ad hanc veritatem potius quam ad illam, 320-322, 563-569.  
 7 — ad omnes veritates intellectus noster est in potentia non solum ut sibi represententur objecta, sed etiam lumine superaddito determinetur, 113, 321-322, 533 sq., 683.  
 8 — etiam veritates per se notas intellectus noster non potest attingere nisi compositionem et collationem aliquam faciat terminorum, 568, 683.  
 9 — comparantur voluntas et intellectus noster quoad objectum suum proportionatum, 257, 305, 320-325, 1706.  
 10 — non est ipsa inclinatio totius suppositi, ut voluntas, sed solum facultas respectu illius particularis operationis quæ est intelligere, 882.

- INTELLECTUS PRACTICUS** : 1 — quomodo perficitur, 529 sq., 699-704.  
 2 — est mensurativus operis faciendi et regulativus, 778.  
 3 — non procedit demonstrative et probative, 858-859.
- INTELLECTUS SPECULATIVUS** : 1 — quomodo virtutes perficientes istum intellectum vocantur lumen intellectus, 534.  
 2 — quomodo extensione fit practicus, 702.
- INTELLIGIBILITAS** : sumitur ex immaterialitate et diversa segregatione a materia, 668.
- INTENSIO** : est duplex intensio operationis virtutis, 1373-1375.
- INTENTIO** : 1 — recta intentio sine recta dilectione ultimi finis haberi non potest, 1573, 1576.  
 2 — non potest esse recta nisi circa omnes materias quibus potest deficere sit rectificata, 1222.
- J
- JUDICIUM PRACTICUM** : 1 — est unus actus rationis practicæ, 470.  
 2 — ad rectificandum hoc iudicium in rebus ordinariis datur synesis, in rebus difficilioribus, datur gnome, 470.  
 3 — quomodo movet, 817, 822.
- IUSTITIA** : 1 — est voluntas reddendi unicuique quod suum est, 932.  
 2 — non solum facit iusta, sed etiam iuste, 933, 1345.  
 3 — respicit rationem debiti per se et ut talem, 940.  
 4 — operationes ad alterum pertinent ad materiam iustitiæ, 929-930, 932-935, 942.  
 5 — non solum versatur circa actiones materiales, sed etiam circa spirituales, 1157.  
 6 — respicit difficilium debitum, quod est rigorosum ad æqualitatem solvendum, 500.  
 7 — duæ conditiones ad iustitiam rigorosam, 956.  
 8 — iustitia proprie dicta dividitur in tres species, 958.  
 9 — pars potentialis iustitiæ dividitur in septem species, 959.  
 10 — cur potest dividi in species et partes subjectivas, 1012-1013.  
 11 — inter ipsas partes iustitiæ quænam perfectior sit, 1797-1804.  
 12 — non ponitur in appetitu, sed in voluntate, 428-429, 934-935.  
 13 — directe et per se non pertinet ad iustitiam moderari passiones et componere interius hominem, sed facere æqualitatem ad alterum in quacunque materia, 429, 934, 944-945, 962, 1003.  
 14 — non est in Deo prout in nobis, 1154.  
 15 — non solum ponit *medium rei*, sed etiam *medium rationis*, 1332, 1336-1337.

- 16 — quomodo sumitur justitia dum consideratur ejus excellentia ad virtutes morales appetitivas, 1787-1793.  
 17 — ejus actus in patria 1824-1825, 1833.  
 18 — judex, qui corrumpit justitiam ex motivo avaritiæ non ex amore injustitiæ, vere injustus est, 1473.  
 19 — aliquando comprehendit omnes virtutes, 1650.

**JUSTITIA COMMUTATIVA** : 1 — definitur, 1799.

- 2 — justitia *commutativa* servat debitum rigorosum et solvit ad æqualitatem, 492.  
 3 — justitia commutativa ponit *medium rei* secundum quantitatem absolutam, 1336.

**JUSTITIA DISTRIBUTIVA** : 1 — definitur, 1799.

- 2 — ponit *medium rei* secundum quantitatem proportionalem, 1336.  
 3 — quomodo sit peccatum in justitia *distributiva*, 1342-1344, 1353.  
 4 — justitia vindicativa in superiori etiam pertinet ad *distributivam*, 1342.

**JUSTITIA LEGALIS** : 1 — definitur, 1799.

- 2 — architectonice est in principe, ministerialiter in subditis, 1799.  
 3 — quomodo ordinat cultum Dei ad bonum commune, 1801-1804.  
 4 — religio præfertur justitiæ legali, 1797-1804.

**JUVENES** : cur sunt apti ad mathematicas, non ad philosophiam naturalem, 625.

## L

**LAUS** : est principaliter in voluntate originative, non autem semper consummative, 461.

**LIBERALITAS** : 1 — est una pars potentialis justitiæ, 959.

- 2 — est sicut ornamentum justitiæ, 412, 1796.  
 3 — solvit ad æqualitatem, sed non servat debitum rigorosum, 493, 1351-1352.  
 4 — quomodo participat aliquam rationem justitiae et debiti, 412.  
 5 — est subjective in appetitu et originative a voluntate, 391-413, 973.  
 6 — moderatur nimium amorem pecuniæ in ordine ad alterum, ut scilicet alteri largiatur, 406, 412.  
 7 — expendit pecunias moderate ratione communicationis amicabilem et socialis, 1130.  
 8 — potest etiam magnam quantitatem ex hoc motivo expendere, neque ad hoc indiget virtute magnificentiæ, 1130.  
 9 — quomodo distinguitur a magnificentia, 406, 1130-1131.  
 10 — communiter adjungitur misericordiæ, 940.

11 — quomodo distinguitur a misericordia, 941.

12 — et prodigalitas, 1130, 1351-1352.

**LIBERTAS** : 1 — pertinet ad defectum voluntatis liberæ sese subtrahere a regula, 271.

2 — voluntas libera non necessitatur a virtute, 271.

**LOGICA** : 1 — tradit aliis scientiis instrumenta sciendi, 739.

2 — ejus munus describitur, 852, 854.

3 — ejus objectum formale est secunda intentio, 852.

4 — est idem habitus logica docens et utens, 863-865, 900.

5 — non datur nisi una ars logicæ ad omnes scientias dirigendas, 863-864, 900.

6 — utrum sit habitus practicus, an speculativus, 853-869.

7 — est habitus formaliter speculativus, 857-858, 862.

8 — habet modum practici, 857, 862.

**LUMEN GLORIÆ** : 1 — ad visionem beatam intellectus creatus indiget lumine gloriæ duplici ex capite, 541-543.

2 — altius et nobilius est caritate, 1717, 1764.

3 — caritas petit sequi ex natura sua ad lumen gloriæ, 1763.

## M

**MAGNANIMITAS** : 1 — est una pars potentialis fortitudinis, 965.

2 — cur non sit virtus cardinalis, 1036.

3 — magnanimus secundum quantitatem est extremus, et prout oportet medius, 1334, 1366, 1368.

4 — intendit magnitudinem aliarum virtutum, 1036.

5 — in aliquo accidentali potest esse perfectior justitia, 1789, 1792.

**MAGNIFICENTIA** : 1 — est pars potentialis fortitudinis, 403, 965.

2 — est in voluntate, 403.

3 — est in diversa potentia quam sua virtus principalis, 403.

4 — est subjective in appetitu et originative a voluntate, 391-413, 973.

5 — quomodo respicit magnitudinem sumptuum, 1131, 1367.

6 — moderatur spem et audaciam, non absolute, sed in ordine ad alterum, expendendo sumptus, 413.

7 — potest esse *actu* in paupere, 1511, 1555-1558.

8 — quomodo est in ultimo et in medio, 1367.

9 — quomodo distinguitur a liberalitate, 406, 413, 1130-1131.

10 — quomodo se habet ex additione ad liberalitatem, 413, 1131.

**MALITIA** : quomodo sit verum quod malitia moralis consistat in privatione, 156.

- MALUM** : malum est ex quocumque defectu, 207, 1456, 1472.
- MANSUETUDO** : 1 — est una pars potentialis temperantiæ, 969.  
 2 — non est virtus cardinalis, 1081.  
 3 — quomodo respicit alterum, 939.  
 4 — non sunt proprie mansueti qui solummodo nolunt inquietari, sed tantum accommodari, 1534. 1547-1548.
- MATERIA PRIMA** : 1 — de se est indifferens ad omnes formas, 608.  
 2 — facilius disponitur ad aliquas formas quam ad alias, 609.
- MATHEMATICÆ** : 1 — innituntur principiis certioribus aut evidentioribus quoad nos, 722.  
 2 — non facit horologia executive, sed directive, 849.
- MATRIMONIUM** : ex natura rei usus matrimonialis veneris licitus est, 1129.
- MEDIUM VIRTUTIS** : 1 — accipitur medium virtutis per hoc quod attingitur recta ratio, 175, 180, 194, 200.  
 2 — secundum prudentiam definitur et determinatur, 1324.  
 3 — qua ratione ponitur in virtutibus, 1321-1322.  
 4 — illa virtus habet medium per se et simpliciter quæ habet illud ex parte materiæ, 1391, 1327.  
 5 — illa materia per se recipit medium quæ est capax habendi extrema, 1391.  
 6 — dividitur in medium rationis et medium rei, 1327-1337.  
 7 — quid sit *medium rationis*, 1325-1326, 1329, 1337.  
 8 — quid sit *medium rei*, 1328.  
 9 — quomodo generaliter medium virtutis potest dici medium rationis, 1324-1327.  
 10 — *medium rationis* ex parte materiæ attenditur a virtutibus quæ versantur circa passiones, 1333.  
 11 — istæ virtutes non ponunt nisi *medium rationis*, 1335.  
 12 — *medium rationis* ponitur etiam a justitia, 1332, 1336-1337.  
 13 — in recessu a *medio rationis* semper est peccatum, 1338.  
 14 — *medium rei* pertinet attendere ad justitiam, 1332.  
 15 — in *medio rei* attenditur duplex mensuratio, 1330.  
 16 — *medium rei* potest considerari dupliciter, physice et moraliter, 1340-1346.  
 17 — quomodo sit peccatum recedere a *medio rei*, 1339-1353.  
 18 — si in virtute morali consideretur id quod est rationis, non est in medio, sed in ultimo, 1360.  
 19 — directe et per se virtutes morales consistunt in medio, ex parte suæ materiæ, 1327, 1355-1378.  
 20 — quodnam est in virtutibus intellectualibus speculativis, 1380-1381.  
 21 — in virtutibus intellectualibus practis, 1382-1387.
- MERITUM** : est principaliter in voluntate originative, non autem semper consummative, 461.

- METAPHYSICA** : 1 — sola inter scientias naturales est sapientia, 720.  
 2 — innititur principiis universalioribus et certioribus quoad se, 722.  
 3 — quia est sapientia, potest reflectere supra sua principia defendendo illa, 527.
- MISERICORDIA** : 1 — secundum id a quo nomen imponitur, 940.  
 2 — moderatur tristitiam de aliena miseria, 409, 940, 1795.  
 3 — ex amore erga proximum participat, 409.  
 4 — est duplex, 1795.  
 5 — quomodo respicit alterum, 940.  
 6 — quomodo sit præstantissima virtus, 1794-1796.  
 7 — comparatur cum justitia, 1794-1796.  
 8 — quomodo distinguitur a liberalitate, 941.
- MODESTIA** : 1 — est una pars potentialis temperantiæ, 969.  
 2 — dividitur in varias species, 969-970.
- MORALITAS** : 1 — non est mera et pura relatio, 103.  
 2 — est mensuratio rationis, 207.  
 3 — moralitas actus est ordinabilitas tendentiæ et respectus ejus ad objectum, non solum quatenus volitum et appetibile, sed quatenus rationale, seu regulis et ordinationi rationis subjectum, 48, 121.  
 4 — unde oritur omnis regulatio moralis, 922.  
 5 — modus moralitatis respicit bonum reddere ipsum operantem, 841.  
 6 — moralitas comparata ad entitatem actus in esse naturæ est accidens illius, 75, 145, 146, 156.
- MORALIA** : actus morales sunt res ut mensuratæ regulis moris et prudentiæ, 54.
- MOS** : consuetudinem quamdam et inclinationem dicit juxta regulam rationis, 476.
- MUSICA** : est ars liberalis, 840, 846.
- N
- NATURALITER** : dupliciter sumi potest, 604, 612, 613.
- NECESSITAS** : necessitas quoad specificationem fundatur in ipsa bonitate objecti, 294.
- O
- OBEDIENTIA** : 1 — est pars observantiæ, 959.  
 2 — est pars potentialis justitiæ, 959.



- OBJECTUM** : 1 — est principium diversæ specificationis in habitibus et actibus, 1109, 1625.  
 2 — diversum motivum formale constituit diversum objectum formale, 946.  
 3 — non sumitur specificatio a fine ultimo immediate et proxime, sed ab objecto seu fine proximo, 1273.  
 4 — objectum specificum virtutum et bonorum actuum non est materia vel passio nisi prout regulata regulis rationis 1273.  
 5 — non potest aliqua potentia exire extra limites objecti sui adæquati, 426.
- OBSERVANTIA** : 1 — est una pars potentialis justitiæ, 959.  
 2 — ejus partes sunt dulia, obedientia et gratitudo, 959.
- OPERATIO** : quomodo sumuntur operationes quando distinguuntur a passionibus, 930.
- OPINIO** : non est virtus intellectualis, 520.

## P

- PARS** : proprium partis est perficere totum, 1046.
- PASSIO** : 1 — dupliciter sumitur : *vel* pro affectu inordinato et excessivo, *vel* pro moderato et refrænato affectu, 481.  
 2 — omnes passionibus irascibilis ordinantur ad concupiscibilem, 389.  
 3 — quomodo passionibus elicentur post resurrectionem ab appetitu, 1834.
- PATIENTIA** : 1 — est una pars potentialis fortitudinis, 965.  
 2 — est in voluntate, 403, 966.
- PAUPERTAS** : 1 — relinquit omnia ut sequatur Christum, 1370.  
 2 — quomodo est in ultimo et in medio, 1366-1367, 1370.
- PECCATOR** : virtutes acquisitæ possunt esse in peccatore quoad substantiam actus, sed non quoad statum connexionis cum reliquis virtutibus, 216-218.
- PECCATUM** : 1 — homo in peccando habet unum finem ultimum, scil. se ipsum, 1489, 1500.  
 2 — dicitur tale per oppositionem ad virtutem, 1652.  
 3 — recedere a regula rationis semper est peccatum, 1338.  
 4 — omne peccatum est contra naturam rationalem, 1589, 1640.  
 5 — omnis peccans est ignorans, 1456.
- PECCATUM CAPITALE** : quare ista peccata non dicuntur cardinalia, sed capitalia, 1104.
- PERSEVERANTIA** : est una pars potentialis fortitudinis, 965.

- PHANTASIA** : ex conjunctione ad rationem potest ferri in singularia modo discursivo et collativo participative, 423, 427.
- PHANTASMATA** : 1 — ad sensus interiores pertinent, 1808.  
 2 — res supernaturales hac in terra cognoscuntur per dependentiam a phantasmatibus, 1285, 1807, 1808.  
 3 — quomodo conversio et dependentia a phantasmatibus sit quoddam materiale in habitibus intellectualibus, 1807-1808.
- PIA AFFECTIO** : 1 — non est virtus perfecta in genere supernaturali, 1578.  
 2 — ad credendum sufficit pia affectio ad res creditas, non autem requiritur dilectio divinorum in se per caritatem, 1577.  
 3 — pia affectio voluntatis movet intellectum credentem et inclinatur ut firmiter in objecta supernaturalia tendat, quatenus convenientia repræsentatur, 275.  
 4 — est in voluntate in ordine ad credendum, et tamen virtus fidei non est in voluntate, sed in intellectu, 340.  
 5 — remota affectione pia, removetur fides supernaturalis, 230, 1563.  
 6 — manet in peccatore, sicut ipsa fides divina, 1563.
- PIETAS** : 1 — est una pars potentialis justitiæ, 959.  
 2 — non est virtus cardinalis, 1018, 1035.  
 3 — pietas erga parentes servat debitum rigorosum, sed non potest solvere ad æqualitatem, 494, 957, 959.
- PŒNITENTIA** : 1 — non est virtus theologica, 1214, 1216-1218.  
 2 — non est virtus intellectualis, 1214, 1219.  
 3 — est virtus moralis, 1214, 1219.  
 4 — cur non est virtus cardinalis, 1001 sq., 1018, 1035, 1036.  
 5 — habet pro actu proprio contritionem, 410, 1799.  
 6 — est dolor de peccato commisso, 1168-1169, 1219.  
 7 — satisfactio Dei est materia pœnitentiæ, 1022, 1799.  
 8 — non videtur posse negari quod sit virtus infusa, 1204 sq., 1214-1215.  
 9 — ejus motivum principale est dilectio Dei super omnia et detestatio peccati, 1372.  
 10 — actus pœnitentiæ est supernaturalis per se et quoad speciem, 1205, 1214-1215.  
 11 — quomodo possit esse excessus in pœnitentia, 1372.  
 12 — quomodo est in ultimo et in medio 1366-1367, 1372.  
 13 — restituit virtutes, 1036, 1079.  
 14 — pœnitentia et religio, 1798-1799.  
 15 — cur formaliter non sit possibilis in Christo, 1169, 1492.
- POLITICA** : gubernatio aliorum non pertinet ad rectificationem operantis in se, sed ad bonum communitatis, 918.

**POTENTIALIS PARS** : aliquando pars potentialis unius virtutis est in diversa potentia quam sua virtus principalis, 403.

**PRACTICUM** : 1 — ratio practica procedit modo compositivo, 859.  
2 — non regulat suam veritatem penes id quod est vel non est in re, sicut speculativum, 701, 778.

**PRÆCEPTUM** : 1 — modus operandi non cadit sub præcepto, 1291, 1347.  
2 — intentio et bonitas animi est finis legis, non materia præcepti, 1347.  
3 — potest aliquis implere præceptum virtutis, etiamsi mala intentione id faciat, 1347.  
4 — differentia inter impletionem præcepti et exercitium virtutis, 1347-1348.

**PRIMUM COGNITUM** : est ens in confuso, 585.

**PRINCIPIUM** : 1 — primum principium est propositio vacans medio probativo, 637, 681, 694.  
2 — omnia principia vacant medio probativo intrinseco, 694, 750.  
3 — quomodo cognitio primorum principiorum sit naturalis, 574, 584, 606.  
4 — quomodo verificetur quod unico actu generatur habitus principiorum, cum multorum singularium inductio requiratur, 644-645.  
5 — principia prima, alia sunt dignitates, alia sunt suppositiones, 642-643, 664-666, 690-691, 757.  
6 — principia possunt esse firma *intrinsece* et *extrinsece*, 737.  
7 — firmitatem *extrinsecam* tantum præbet sapientia principii aliarum scientiarum, 737, 751, 764, 771.  
8 — nulla forma aut principium potest operari extra vel præter sphaeram suæ rationis formalis : id enim esset excedere rationem suæ specificationis, 139.

**PRIVATIO** : privatio, malitia moralis et peccatum, 156.

**PRODICALITAS** : 1 — est contra rectam et debitam dispensationem bonorum, 1339, 1349, 1352.  
2 — opponitur liberalitati, 1130, 1351-1352.

**PROPRIA PASSIO** : debetur ipsi naturæ ex vi suæ generationis nisi sit impedimentum aliquod, 586, 592.

**PROXIMUS** : quid requiritur ad dilectionem proximi, 1429.

**PRUDENTIA** : 1 — ejus materia, 803.  
2 — ejus forma, 804.  
3 — ejus modus operandi, 809-813.  
4 — ejus objectum formale, 1770.  
5 — ejus veritas definitur, 780, 788-789, 791.

- 6 — quomodo intelligitur in prudentia conformitas ad appetitum rectum, 793-797.  
7 — mensuratur penes id quod debet esse, 235.  
8 — versatur circa veritatem infallibilem, non quidem speculative, sed practice, 778.  
9 — cur non datur aliqua prudentia speculativa, sicut datur ars speculativa, 866-869.  
10 — infallibiliter procedit ex parte modi operandi, defectibilitas vero solum est ex parte materiæ, 800-801.  
11 — ejus iudicii rectitudo ex circumstantiis et occurrentiis desumitur, 809.  
12 — prudentia est in intellectu, et tamen est virtus simpliciter, 248, 255, 274, 276.  
13 — est in ratione ut regulante, 1050, 1656, 1786.  
14 — non est virtus moralis formaliter, sed directive et regulative, 954.  
15 — in genere morali est prima et optima scientia, 975.  
16 — est virtus cardinalis, sed cur non sola, 1037-1039.  
17 — est principalior omnium cardinalium, 1052, 1093.  
18 — virtus moralis non est una tantum, licet prudentia earum directiva una sit, 486-488, 891-922.  
19 — est una, quia est eadem ratio veri in omnibus moralibus, 905.  
20 — cur non sit una ars tantum, 916-917.  
21 — cur prudentia directiva propriarum actionum non dividitur in species seu partes subjectivas, 1007.  
22 — in ordine ad gubernationem aliorum in varias species dividitur, 918-919, 1007, 1456.  
23 — istæ species sunt regnativa, œconomica et militaris, 919, 1456.  
24 — ejus partes potentiales sunt synesis, eubulia et gnome, 470, 897.  
25 — regulat exercitium et usus scientiarum, non vero ipsas scientias, 723, 829.  
26 — dirigit et determinat exercitium operationis 1326, 1332.  
27 — solum regulat per imperium, et mensurat id quod liberum est in actibus et id quod pertinet ad exercitium prout libere fit, 835.  
28 — ad quid necessaria est prudentia, 469, 497, 1572, 1738.  
29 — dirigit ad procedendum bene et juste, non solum ad faciendum bonum aliquod opus, 1572.  
30 — in materia dirigendi, prudentia respicit difficiliorem actum, qui est præcipere, 470, 497, 818-823, 830.  
31 — tres sunt actus prudentiæ, 470, 920, 1462.  
32 — ad prudentiam requiritur per se loquendo consilium, non solum per accidens sicut ad artem, 810-811.  
33 — versatur circa agibilia, i.e. circa actus et mores humanos componendos, 468.  
34 — non solum versatur circa actiones materiales, sed etiam circa spirituales, 1157.  
35 — fertur in agibilia quatenus judicantur convenientia regulis rationis, 276.

- 36 — magis habet de ratione quam virtutes morales, 1050, 1656, 1786.  
 37 — præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus, 1786.  
 38 — se habet respectu virtutum moralium sicut causa æquivoca et mensura complectens omnes virtutes, 488.  
 39 — est proximum regulativum et directivum virtutum moralium, 1566, 1738, 1786.  
 40 — ratione prudentiæ virtutes morales sunt in statu virtutis, 84, 1405, 1436-1560.  
 41 — virtutes morales dependent a prudentia ut constituente illis medium determinatum et rectum hic et nunc, 1242, 1414, 1738.  
 42 — respicit rectitudinem et debitam commensurationem ipsius actionis, 530.  
 43 — supponit tanquam primum principium rectas intentiones omnium virtutum moralium, 908, 1222, 1408, 1414-1416, 1459, 1560, 1567, 1669, 1738.  
 44 — supponit rectificationem appetitus circa finem, 468, 794, 908, 1414-1416, 1459, 1567, 1618, 1738.  
 45 — non respicit solum materias omnium virtutum, sicut scientia conclusiones, sed sicut principia a quibus dependet prudentia, 794, 1414, 1460, 1466.  
 46 — non potest esse sine virtutibus moralibus, 480, 908, 1414-1416, 1567.  
 47 — sine virtutibus moralibus dari potest virtus speculativa, ut scientia in peccatore, 480.  
 48 — connexa est cum virtutibus moralibus, 1242, 1408, 1436-1560.  
 49 — præstituit finem aliis virtutibus non ut intendendum, sed ut exequendum, 1739, 1746-1749.  
 50 — quomodo medium quod præstituit prudentia, et finis proximus quem intendit virtus moralis, non differunt, 1738-1749.  
 51 — maxime consistit in *medio*, 1385.  
 52 — quomodo differt ejus regulatio a regulatione in arte liberali, 806-807.  
 53 — circa prudentiam contingit peccare, et per defectum, ut imprudentia, et per excessum, ut astutia, 1385.  
 54 — manet prudentia acquisita in peccatore, sed non prudentia simpliciter, 214-222, 1596-1599.  
 55 — prudentia infusa non dirigit immediate virtutes morales acquisitas, 215.

## Q

- QUANTITAS** : 1 — corporeum et sensibile et extensum sine quantitate non est, 119.  
 2 — potest considerari et sumi dupliciter, arithmetice et geometricè, 1330.

## R

- RATIO PRACTICA** : tres actus requirit, scil. consiliari, judicare, et præcipere, 470.

- REGULA** : illud quod est regulabile non est regula, saltem in eodem genere, 792-797, 1357.  
**RELATIO** : Scotus in relatione constituit bonitatem moralem et radicationem virtutis, 27.  
**RELIGIO** : 1 — tangit Deum quasi in connotato et in obliquo, 1687.  
 2 — cultus divinus est materia religionis, 1002, 1022, 1095, 1687.  
 3 — est perfectior inter partes justitiæ, 1797-1804.  
 4 — servat debitum rigorosum, sed non potest solvere ad æqualitatem, 494, 957, 959.  
 5 — est una ex septem speciebus justitiæ non rigorosæ, 959.  
 6 — cur non est virtus cardinalis, 1001 sq., 1018, 1035-1036, 1095.  
 7 — fides et religio, 1804.  
 8 — pœnitentia et religio, 1798-1799.  
**RHETORICA** : 1 — est ars liberalis et scientia, 846, 865.  
 2 — est idem habitus rhetorica docens et utens, 863-865.  
**RISIBILITAS** : essentialiter homini convenit risibilitas radicalis, formalis vero accidentaliter, 1725.

## S

- SAPIENTIA** : 1 — multipliciter accipi potest, 717-720.  
 2 — in sapientia considerantur duo, 727-730, 773.  
 3 — ejus objectum formale, 1770.  
 4 — versatur circa ens in communi et affectiones entis, et circa eos terminos ex quibus componuntur principia, 1774.  
 5 — est virtus intellectualis condistincta a scientia et aliis virtutibus intellectualibus, 717-739, 1770.  
 6 — quomodo differt a scientia, 724-731.  
 7 — est perfectissima inter scientias præcipue propter perfectionem objecti, 722.  
 8 — licet in aliquibus conditionibus possint aliquæ inferiores scientiæ excedere, sed non simpliciter, 722-723.  
 9 — utrum sapientia debeat addisci ante alias scientias, 732-739.  
 10 — quomodo differt ab intellectu principiorum, 1771-1780.  
 11 — quomodo sapientia est nobilior intellectu principiorum, licet lumen sapientiæ oriatur a lumine principiorum, 1781-1784.  
 12 — quomodo sit intellectus *et* scientia, 772, 1771-1780.  
 13 — ex primis principiis ad conclusiones dupliciter procedit, 1776-1779.  
 14 — quomodo sapientia attingit prima principia, tam sua propria, quam aliarum scientiarum, 748-762.  
 15 — quomodo procedit ad defendenda sua propria principia, 743-747, 767-773, 749, 755-762.

- 16 — non probat prima principia, sed tamen probat defensiones eorum, 1775.  
 17 — cur non pertinet ad sapientiam directe et per se probare veritates principiorum, 750-754.  
 18 — quomodo iudicat de principiis aliarum scientiarum, 735-737, 740-773.  
 19 — principia possunt esse firma *intrinsece* et *extrinsece*, 737.  
 20 — sapientia firmitatem *extrinsecam* præbet principiis aliarum scientiarum 737, 751, 764, 771, 1774-1775.  
 21 — contra negantes principia non est disputandum, 753, 758, 768.  
 22 — cur non sit virtus cardinalis, 1027.

**SCIENTIA** : 1 — definitur, 726, 729.

- 2 — ejus objectum formale, 1770.  
 3 — consequentia deducitur in scientia ex connexione extremorum cum medio, 623.  
 4 — non est objectum scibile nisi prout deducibile ex principiis evidentibus et certis, 39.  
 5 — de eisdem objectis materialiter repræsentatis possunt agere diversæ scientiæ, 536.  
 6 — dicitur una, licet tractet de diversis materiis, 1456.  
 7 — habitus scientiæ per diversa genera objectorum scibilium dividitur in varias scientias, 528.  
 8 — hoc non potest dici de habitu sapientiæ, 527-528  
 9 — neque de intellectu principiorum speculationis, 690 sq.  
 10 — manifestatio probativa est inferior et minor quam manifestatio ex terminis, 742, 765.  
 11 — quomodo differt a sapientia, 724-731, 1780.  
 12 — istomet habitu formatur iudicium de conclusione demonstrata et discursus formatur per quem acquiritur, 687.  
 13 — sufficit unica demonstratio ut generetur habitus scientiæ, 644.  
 14 — scientiæ non innascuntur nobiscum sicut potentiæ, 539.  
 15 — scientia subalternata remota subalternante remanet scientia specificative sicut antea, licet quoad exercitium impedita ne resolvat suas conclusiones ad principia, 85.  
 16 — scientia subalternata, licet non continuetur actu cum principiis subalternantis, continuatur tamen radicaliter, 218.  
 17 — scientiæ non sunt connexæ inter se, 1412-1413, 1416, 1490, 1502.  
 18 — est connexa cum habitu principiorum, non e contra, 1408, 1490, 1502.  
 19 — amisso assensu principiorum, non potest firmiter assentiri conclusionibus, 1611, 1618, 1640.  
 20 — quomodo dicitur destruenda scientia post hanc vitam, 1807-1808.  
 21 — exercitium et usus scientiarum a prudentia dirigitur, non ipsa scientia, 723, 829.  
 22 — cur non sit virtus cardinalis, 1027.

**SCITUM THEOLOGICE** : scitum theologice et simul creditum, 749, 759-762.

- SCOTUS** : 1 — putat habitus morales esse indifferentes ad bonum et malum, 39, 40.  
 2 — putat habitum moraliter acceptum solum esse quid relativi, non autem operativi, 102, 111, 121.  
 3 — negat virtutes morales infusas dari, 1176, 1301.  
 4 — existimat voluntatem esse perfectiorem intellectu, 1692.
- SENSUS** : 1 — non potest sensitiva potentia attingere universale sub intentione et abstractione universalitatis, 427.  
 2 — sensus interni et externi de eisdem objectis tractant, 536.
- SIMILE** : agit per se in simile, et non ut conditio, 591.
- SIMPLICITER** : duplex acceptio hujus termini, 1596-1599.
- SOBRIETAS** : est una pars subjectiva temperantiæ, 968.
- SPECIES** : perfectio speciei non radicatur in ipso genere quasi in principio actuali, sed quasi in potentiali, 1713.
- SPECIES INTELLIGIBILES** : 1 — species intelligibilis determinat potentiam operativam non in ratione vis productivæ actus, sed ex parte objecti, 113.  
 2 — species intelligibiles sunt repræsentativæ et vicariæ objectorum, quorum vice potentiam informant, 533.  
 3 — manent in anima post mortem, 1807.
- SPECIFICATIO** : 1 — non sumitur ex objectis materialiter consideratis, 693.  
 2 — sumitur penes attingentiam objecti, 1694, 1699.
- SPECULATIO** : 1 — proprium est speculationis procedere modo resolutivo, 858.  
 2 — speculatio mensuratur penes id quod est aut non est in re, 235.  
 3 — solum est manifestativa et probativa veritatis, non ex arbitrio procedens, 868.  
 4 — usus et exercitium speculationis regulabilis et imperabilis est a prudentia, 723, 829.
- SPECULATIVUM** : regulat suam veritatem penes id quod est vel non est in re, 701.
- SPES** : velle mihi bonum per concupiscentiam fundat spem, 1164.
- SPES DIVINA** : 1 — respicit bonum divinum ut assequibile, 1569.  
 2 — solum appetit *sibi* bonum divinum, et sic non diligit super omnia, 1573.  
 3 — est cum quadam distantia a Deo, quatenus est de non possessio, 1762.  
 4 — est inferior fide divina, 1766.  
 5 — multo magis caritate, 1766.  
 6 — potest esse sine caritate, non autem sine fide divina, 1418, 1562, 1575-1577, 1766.

- 7 — secundum se præcise non pendet a recta intentione finis, quæ fit per caritatem, 1577.
- 8 — spes infusa non exigit caritatem ex propria ratione sui motivi, 1540, 1577.
- 9 — intendit assequi beatitudinem supernaturalem per supernaturalia media, 511.
- 10 — spes divina dicitur anchora, 1031.
- 11 — quomodo peccatur contra spem divinam, 1395, 1399.
- 12 — non manet in patria, 1806, 1835.
- 13 — secundum se præcise non pendet a prudentia, 1577.
- 14 — quomodo est in *medio*, 1395.

**STUDIOSITAS** : 1 — est species modestiæ, 970.  
 2 — refrænât nimiam curiositatem, 970  
 3 — ad quid datur virtus studiositatis, 298, 311, 312, 313, 314.

**SUBALTERNATIO** : 1 — principia scientiæ subalternatæ sunt sicut conclusiones scientiæ subalternantis, 738.  
 2 — scientia subalternata non habet statum scientiæ nisi continuetur cum subalternante, 738.

**SUBSTANTIA** : 1 — principaliter dicitur ens quam accidens, 1040.  
 2 — divisio entis in substantiam et accidens est analogâ, 890, 1042.

**SUPERBIA** : insidiatur bonis operibus, 1095, 1790.

**SUPERNATURALE** : quod supernaturale est non potest esse acquisitum, 1205 sq.

**SUPPOSITIONES** : quomodo ista principia differunt a dignitatibus, 642-643, 664-666, 690-691, 757.

**SUSPICIO** : non est virtus intellectualis, 520.

**SYNDÆRESIS** : 1 — continet prima principia practica, 797.  
 2 — probabilius est habitus distinctus ab intellectu principiorum speculationis, 699-704, 711.  
 3 — quo sensu dicatur esse naturalis, 604-607.  
 4 — recta intentio finis regulatur a syndæresi, 797.  
 5 — est pars et comes prudentiæ, 470, 897.

## T

**TEMPERANTIA** : 1 — materia temperantiæ sunt bona allicientia et emollientia animum, 892.

- 2 — moderatur concupiscentias naturales, 412.
- 3 — refrænât passiones concupiscibilis, 1022.

- 4 — respicit difficiliorem materiam, quæ est circa delectationes tactus, 498, 984, 988, 1005, 1036, 1055, 1100.
- 5 — ponitur in appetitu ut recte subjiciatur et obediat voluntati et electioni ejus, 274.
- 6 — cur dividitur in species seu partes subjectivas, 1008 sq., 1013.
- 7 — species subjectivæ temperantiæ sunt quatuor, 968.
- 8 — partes potentiales temperantiæ sunt generaliter quatuor, 969-970.
- 9 — cur sit cardinalis, 1036, 1055, 1100.
- 10 — mulier intemperate vivens, non ex amore libidinis, sed ex motivo cupiditatis, vere intemperans est, 1473, 1534.
- 11 — non est in Deo prout in nobis, 1154.

**TENTATIO** : quid sit proprie et formaliter tentatio carnis, 162.

**THEOLOGIA** : 1 — concilia non omnia determinant, sed quædam relinquuntur theologicæ disputationi, 1200.  
 2 — quæ immediate tradit fides sunt principia pro theologia, 759.  
 3 — quomodo discursus theologicus cum fide compatiatur, 749, 759-762.  
 4 — est sapientia, 720.  
 5 — quia est sapientia, potest reflectere supra sua principia defendendo illa, 527, 749, 759.  
 6 — ad quid demonstratio metaphysica mutuatur a theologia, 762.

**TIMOR** : 1 — timor servilis non est virtus, 1098.  
 2 — timor filialis est donum Spiritus Sancti, 1098.  
 3 — est initium sapientiæ et viæ spiritualis, 1079.  
 4 — cur non sit virtus cardinalis, 1098.

## U

**UNIVERSALE** : 1 — est unum in multis, 649.  
 2 — in nostro intellectu accipitur ex singularibus prius cognitis per sensum, 637.

**UNIVOCATIO** : quando tollitur, 880, 889.

**UTI** : 1 — non est aliud quam applicatio quædam voluntatis, 261, 883.  
 2 — ad virtutes morales pertinet rectificare istud uti, 261, 265, 266.

## V

**VENEREA** : solum sunt regulabilia per matrimonium, 1009.

**VERACITAS** : est una pars potentialis justitiæ, 959.

- VERITAS** : 1 — veritas formalis non invenitur nisi in propositionibus, 565, 572, 631, 633.  
 2 — non est objectum intellectus et scientiæ, sed res ipsa, 904.  
 3 — est passio intellectionis, 904.  
 4 — omne verum, *vel* est notum per se et ex terminis, *vel* per aliud et per consequentias, 465.  
 5 — veritas practica et speculativa, 522, 523, 701, 778.
- VERITAS PRACTICA** : 1 — non est penes esse, sed penes id quod deberet esse juxta regulam et mensuram talis rei regulandæ, 778, 780, 787, 791.  
 2 — distinguitur difficultas vincenda in veritate practica a difficultate in veritate speculativa, 700-702.
- VERITAS SPECULATIVA** : 1 — consistit in indivisibili, 1499.  
 2 — a veritate speculativa contingit deficere per multiplicatam, 1499.  
 3 — distinguitur difficultas vincenda in veritate speculativa a difficultate in veritate practica, 700-702.
- VIA** : via unitiva et via illuminativa, 1245.
- VINDICATIO** : 1 — est una pars potentialis justitiæ, 959.  
 2 — justitia vindicativa in superiori pertinet ad justitiam distributivam, 1342.
- VIRGINITAS** : 1 — abstinere ab omni venere ut serviat Deo et cogitet quæ Dei sunt, 1369.  
 2 — reddit illicitum usum venereorum etiam in matrimonio, non autem castitas, 1009, 1113, 1129.  
 3 — quando est specialis virtus, est una pars subjectiva temperantiæ, 968.  
 4 — quomodo distinguitur a castitate communiter dicta, 408, 949, 968, 1009, 1129.  
 5 — quomodo virtus virginitatis possit esse *formaliter* in carente virginitate corporis, 1512, 1556.  
 6 — quomodo resurgit in pœnitente, 1512, 1556.  
 7 — quomodo est in extremo et in medio, 1366-1367, 1369.
- VIRTUS** : 1 — virtutis genus est habitus, 24-27, 37-60.  
 2 — dicitur a Philosopho esse ad aliquid, non secundum esse, sed secundum dici, 30-35.  
 3 — formalis ratio virtutis desumitur juxta regulam qua tendit in objectum, 1220, 1694.  
 4 — virtutes dantur ad vincendas difficultates, 1237.  
 5 — maxime ordinantur virtutes ad formandum animum, sive in intelligendo, sive in volendo, 241.  
 6 — ejus perfectio in intellectu, 518.  
 7 — ejus perfectio in voluntate, 519.  
 8 — est dispositio perfecti ad optimum, i.e. ad actum et operationem, 32.  
 9 — non potest virtus concurrere et inclinare ad actum malum, 129-163.

- 10 — virtute potest aliquis male uti tanquam objecto, sed non potest male uti illa tanquam principio illius mali usus, 135.  
 11 — ordo ad actum in virtutibus potest esse duplex, 1723-1727.  
 12 — virtus est ultimum potentiæ, 199, 376, 516, 1360.  
 13 — quomodo sit verum, 1360.  
 14 — quomodo sit in medio 1361.  
 15 — ad rationem virtutis pertinet non solum bona applicatio, sed etiam bona et perfecta facultas operandi, 464, 1696-1697.  
 16 — virtutes non sunt connaturales potentiæ per naturalem emanationem, 593.  
 17 — in natura sunt naturaliter insita quædam semina virtutum, 594, 613, 1155.  
 18 — quidam sunt magis apti et idonei ex naturali dispositione ad unam virtutem quam alii, 1534, 1660.  
 19 — unde sumatur major vel minor perfectio virtutis, 1683.  
 20 — virtus est habitus perfectus ubi consummatur operatio, 10.  
 21 — quid sit virtus in esse entis et in esse virtutis, 1676.  
 22 — virtus adjuncta dicitur pars potentialis virtutis cardinalis, in quantum modum suum participat, 1057.  
 23 — aliquando pars potentialis unius virtutis est in diversa potentia quam sua virtus principalis, 403, 966.  
 24 — virtutes possunt considerari dupliciter, 1047-1049.  
 25 — in virtute est duo considerare, 1693-1697.  
 26 — quid sit virtus secundum quid, 245, 251, 252, 253, 261.  
 27 — quid sit virtus simpliciter, 246, 251, 252, 253, 261.  
 28 — virtus simpliciter non est in intellectu, sed in voluntate, 244, 247, 261-273, 1718-1730.  
 29 — virtus simpliciter etiam est in intellectu, ut moto a voluntate, 248, 255, 274-276.  
 30 — virtus in ratione virtutis magis importat ordinem ad agendum et exercendum practice quam ad speculandum, 83, 1696-1697, 1707, 1726, 1733.  
 31 — est quasi robur et vis, qua subjectum agit et movet atque movetur, 83 1696-1697.  
 32 — tria sunt genera virtutum, 1674.  
 33 — virtus moralis debet distingui ab intellectuali, 477.  
 34 — non solum potest corrumpi a suo contrario directo, sed etiam a vitio alteri virtuti opposito, 1473-1474.
- VIRTUS CARDINALIS** : 1 — hoc requiritur ad virtutem cardinalem quod ratione suæ firmitatis facilius et firmius alias, sicut cardo firmat et facilius motum ostii, 1096.  
 2 — principalitas virtutis cardinalis non est principalitas nobilitatis, sed principalitas fundamenti et initii, 1023, 1028, 1030, 1033, 1034, 1035, 1088, 1091, 1099, 1105.

- 3 — virtutes cardinales sunt principales inter morales, 475, 496, 974, 999, 1015-1039, 1090, 1099.
- 4 — non sunt cardinales seu principales nisi inter humanas, non absolute, 1000, 1090.
- 5 — prudentia est virtus cardinalis, sed cur non sola, 1037-1039, 1093.
- 6 — est tamen principalior inter cardinales virtutes, 1052, 1093.
- 7 — virtutes cardinales conveniunt univoce in genere prædicabili cum aliis virtutibus, analogice in genere causativo, 1040-1060.
- 8 — principalitas virtutum non ex eodem capite sumitur ex quo principalitas vitii, 1101 sq.

**VIRTUS EXEMPLARIS** : 1 — virtutes cardinales exemplares sunt istæ virtutes prout inveniuntur in Deo, 1107.  
2 — utrum virtutes exemplares, quales sunt in Deo vel in angelis, sint formaliter virtutes cardinales, 1149-1169.

**VIRTUS HEROICA** : 1 — quid pro Aristotele, 1111, 1144.  
2 — quid pro D. Thoma, 1144.

**VIRTUS INFUSA** : 1 — esse aliquas virtutes nobis infusas negari nullo modo potest, 928, 1170, 1202, 1228, 1262, 1684.  
2 — non est necesse quod virtutes infusæ sint in alio subjecto quam acquisitæ, 444.  
3 — nullus habitus producitur per actus virtutum infusarum, 1303.  
4 — quomodo facilitetur generatio virtutum acquisitarum ex frequentatione virtutum infusarum, 1305-1312.  
5 — circa augmentum virtutum infusarum, 1296, 1303, 1313.  
6 — virtutes infusæ unico actu peccati mortalis destruuntur 1613.

**VIRTUS INTELLECTUALIS** : 1 — virtutes intellectuales sunt nobiliores habitus quam virtutes morales, specificative ratione intellectualitatis, non ratione ipsius habitus in communi sumpti, 82.  
2 — istæ virtutes non sunt cardinales, 1027.  
3 — a ratione virtutis intellectualis excluduntur omnes illi habitus quibus potest subesse error aut falsitas, 520.  
4 — ad virtutem intellectualem pertinere disponere intellectum ut recte procedat in attingenda et cognoscenda veritate, 268.  
5 — manet post hanc vitam, 1807-1808.  
6 — non omnes sunt inferiores caritate, 1717, 1764.  
7 — perspicacia et efficacia rationis et intellectus non est eadem in omnibus, 1664.  
8 — quomodo redditur difficile mobilis, 1549.  
9 — in virtutibus intellectualibus etiam datur medium et regulatio ex parte objecti, 1379-1387.  
10 — non omnes virtutes intellectuales sunt connexæ sive inter se, sive cum aliis virtutibus, 1407-1408, 1412-1417, 1667.

- 11 — ejus perfectio consistit in certitudine, 518, 777.
- 12 — virtutes intellectuales perficiunt in vita contemplativa, 1027.
- 13 — virtutes perficientes partem speculativam non sunt solum species intelligibiles, 533-544.
- 14 — sed sunt qualitates dantes intellectui habilitatem seu facultatem utendi illis speciebus ordinate ad cognoscendam veritatem, 533.
- 15 — attenta specificatione, genus virtutum intellectualium est perfectius genere virtutum moralium, 1699-1704.
- 16 — in genere istarum virtutum, principalior virtus est sapientia, 1769-1784.
- 17 — non est collectio specierum, neque aliqua species, sed qualitas distincta ordinans illas sub tali immaterialitate, 535-539.
- 18 — vocatur lumen, quo potentia determinatur ad cognoscendum objectum determinatum, 534.
- 19 — quomodo D. Thomas sibi non contradicit affirmans *aliquando* virtutes morales esse virtutes simpliciter, intellectuales autem secundum quid ; *aliquando* vero oppositum docens, 1728-1730.
- 20 — quid intelligendum virtutes intellectuales esse perfectiores habitus, morales vero perfectiores virtutes, 1690, 1731, 1734.
- 21 — quomodo virtutes perficientes intellectum speculativum vocantur lumen intellectus, 534.
- 22 — compatitur cum homine peccatore et injusto, 878.
- 23 — virtutes intellectuales non sunt virtutes applicantes ad bene utendum, sed dantes facultatem ad bonum actum, 464.
- 24 — in istis virtutibus, una potest existere vel crescere in subjecto alia non existente, nec aliquo modo crescente, 1667.

**VIRTUS MORALIS** : 1 — essentialiter est habitus electivus, 265, 1161, 1461-1465, 1587.  
2 — essentialiter est circa media, 999, 1405.  
3 — dupliciter dicitur virtutem esse habitum electivum, 459.  
4 — virtus etiam ut moralis formaliter est operativa, 100-128.  
5 — istæ virtutes sunt inclinationes et perfectiones potentiarum, 1820.  
6 — quod in intellectu facit lumen, seu virtus potentia ut distincta a specie et objecto, facit etiam virtus moralis in voluntate etiam ut moralis est, 114.  
7 — est perfectio quædam mensurata per rationem, 1654.  
8 — virtus moralis non potest inclinare ex intrinseca ratione objecti ad actum malum, 129-163.  
9 — virtus moralis non potest concurrere ad actum malum ex circumstantia extrinseca aut ignorantia inculpabili, 164-236.  
10 — non potest esse nisi in vi appetitiva, vel in ordine ad illam, 476.  
11 — ejus munus est rectificare hominem et disponere ad felicitatem, 503.  
12 — virtutes morales non præstant felicitatem essentialiter, sed dispositive et ministerialiter, 442.

- 13 — omnes virtutes morales tendunt ad unum finem, i.e. vivere secundum rationem, 901, 1454, 1470-1472.
- 14 — omnes virtutes morales diriguntur sub uno fine, 901, 908, 911.
- 15 — finis quem intendunt istæ virtutes non est finis ultimus, 1739, 1745-1746.
- 16 — quomodo virtutes morales magis habent rationem virtutis quam virtutes intellectuales, 83, 875-883.
- 17 — quomodo in ordine ad actum virtus moralis est nobilior intellectuali, 1719-1727.
- 18 — si attendamus efficaciam motionis, perfectiores sunt virtutes morales quam intellectuales, 1705-1707.
- 19 — quid intelligendum nomine virtutis moralis perfectæ, 1454, 1530, 1544, 1546-1548.
- 20 — quid nomine virtutis moralis imperfectæ, 1530, 1543, 1548.
- 21 — virtus moralis imperfecta non est habitus, sed dispositio, 1548.
- 22 — virtus perfecta operatur actum aliquem perfectum perfectione se tenente non tantum ex parte operis, sed etiam ex parte operantis, 1614.
- 23 — tanto perfectiores virtutes morales, quanto magis accedunt ad rationem, 1655-1658, 1704.
- 24 — motivum operandi bonum bene et firmiter sumitur ex amore finis, 1549, 1573, 1614, 1627.
- 25 — quomodo sit difficile mobilis, 1549-1551.
- 26 — non est passio, sed est habitus inclinans ad passionem moderatam, 483.
- 27 — virtutes morales moderantur affectus voluntatis et appetitus, 900.
- 28 — in sua materia, non solum inclinant istæ virtutes ad bonam electionem, sed afficiunt ad bonam intensionem, 265, 1222, 1230, 1232, 1461-1465, 1475-1476, 1572.
- 29 — non solum inclinatur in executionem materiæ, sed bonum facit habentem, 1348, 1572, 1614.
- 30 — materia virtutis moralis non est pure utilis, sed etiam bona in se et ratione sui appetibilis, 1476.
- 31 — velle honestatem virtutis stat dupliciter, 1518-1522.
- 32 — status virtutis non acquiritur unico actu regulariter loquendo, 1514.
- 33 — totalis abstractio passionum aut rerum temporalium, vel moderatus earum usus, non variat essentiam virtutum, sed statum, 1120.
- 34 — virtutes morales sunt in statu virtutis ratione prudentiæ et caritatis, 84, 1405.
- 35 — virtus moralis, remota prudentia, manet essentialiter et specificative virtus sicut ante, licet non quoad statum et exercitium, 86.
- 36 — quod virtus moralis sit formata regulis prudentiæ, tam essentialiter est virtuti morali quam esse moralis, 202, 1220, 1455-1469.
- 37 — esse autem formata alio fine superiori, ut caritate, iustitia legali, religione, ad statum ejus accidentalem pertinet, 202, 1405, 1561-1644.
- 38 — ad conservationem unius, omnes aliæ necessariae sunt, 1472-1474, 1551, 1614.

- 39 — in virtutibus habentibus connexionem, firmitas actualis et formalis in una virtualiter et proportionaliter petit firmitatem in aliis, 1669.
  - 40 — virtutes morales perfectæ exigunt connexionem ex sua formali ratione, 1540, 1549 sq.
  - 41 — non omnes istæ virtutes sunt connexæ quantum ad exercitium, sed ex parte affectus, 1443, 1469, 1487, 1508, 1554-1558.
  - 42 — ad connexionem non requiritur quod istæ virtutes sint in gradu heroico, aut coordinatæ caritati, 1532.
  - 43 — honestas virtutis est generalitas quæ omnem virtutem moralem connectit, 1515-1516, 1518-1522, 1530, 1535, 1546-1551, 1553.
  - 44 — virtutes non sunt connexæ ratione materiæ, sed ratione formæ seu regulæ, 909.
  - 45 — prudentia connexa est cum virtutibus moralibus, 1242.
  - 46 — potest esse sine virtute intellectuali speculativa, non tamen sine practica, quæ est prudentia, 479.
  - 47 — per prudentiam disponitur ad præstituendum medium hic et nunc ad eligendum, 1414, 1745-1749.
  - 48 — dependentia virtutum moralium a prudentia est quoad exercitium, non quoad participandam rationem communem virtutis, 890.
  - 49 — quomodo virtutes morales præbent principia prudentiæ, 1735, 1738-1749.
  - 50 — virtus moralis non est una tantum, licet prudentia earum directiva una sit, 486-488, 891-922.
  - 51 — inæqualis mensuratio rationis facit inæqualitatem inter virtutes, 1654-1658.
  - 52 — inæqualitas ex parte subjecti participantis perfectionem virtutis facit etiam inæqualitatem inter virtutes, 1659-1664.
  - 53 — post hanc vitam, non solum erunt virtutes morales infusæ, sed etiam acquisitæ, 1821.
  - 54 — differentia inter impletionem præcepti et exercitium virtutis, 1347-1348.
  - 55 — finis uniuscujusque virtutis moralis est attingere *medium* in propria materia, 1747-1748.
  - 56 — directe et per se virtutes morales consistunt in *medio* ex parte suæ materiæ, 1327, 1355-1378.
  - 57 — secundum diversas considerationes, est in ultimo *et* in medio, 1359-1361.
- VIRTUS MORALIS ACQUISITA :** 1 — virtutes acquisitæ non sunt in omnibus, nec facile acquiruntur, 1236.
- 2 — quomodo unico actu possunt tolli virtutes acquisitæ quantum ad formale, 1616-1621.
  - 3 — in peccatoribus possunt esse quoad substantiam, sed non quoad statum connexionis cum reliquis virtutibus, 214, 216, 1579-1644.
  - 4 — in triplici statu possumus considerare virtutes acquisitas, 1579-1582.
  - 5 — in statu naturæ puræ non est caritas, et tamen per se loquendo dari potest virtus moralis acquisita quæ sit virtus simpliciter, 1585-1588.



- 6 — virtutes morales acquisitæ et politicæ solum ad hujus vitæ dispositionem rectam de se ordinantur, 1111, 1237, 1269.  
7 — in beatis remanent virtutes morales, etiam ut acquisitæ, 1821.

- VIRTUS MORALIS APPETITIVA** : 1 — formale harum virtutum circa passiones est recta voluntas seu electio circa id quod materiale est in his passionibus, 1166.  
2 — præcipui actus virtutum temperantiæ et fortitudinis sunt elicere actus appetitus sensitivi moderatos et regulatos a ratione, 438, 931, 1116.  
3 — istæ virtutes non necessario supponunt in subjecto immoderatas passiones insurgere, aut insurgere posse, 438, 1079.  
4 — quomodo una virtus potest versari circa diversas passiones, 948.  
5 — quomodo diversa virtus potest versari circa eandem passionem, 949.  
6 — virtutes quæ moderantur passiones non sunt in voluntate, sed in appetitu, 344-363, 428.  
7 — istæ virtutes habent pro materia actus appetitus sensitivi, 931.  
8 — in ratione et voluntate sunt seminaria virtutum appetitus sensitivi, 1828, 1836.  
9 — virtutes morales appetitivæ in statu innocentiae et in Christo Domino fuerunt, 1823.  
10 — in genere virtutum moralium appetivarum, principalior est justitia, 1785-1804.  
11 — prudentia præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus, 1786.  
12 — virtutes in voluntate existentes magis participant de ratione quam virtutes in appetitu sensitivo, 1657.  
13 — inter virtutes existentes in appetitu sensitivo, illæ quæ pertinent ad irascibilem magis habent de ratione quam quæ ad concupiscibilem, 1658.  
14 — ante resurrectionem in anima separata non possunt manere *formaliter* virtutes appetitus sensitivi, 430, 1155, 1827, 1836.  
15 — manent tamen illæ virtutes *radicaliter*, 1828, 1836.  
16 — non possunt acquiri in anima separata virtutes pertinentes ad appetitum sensitivum, 1836.  
17 — reassumptis corporibus in resurrectione poterunt acquiri, 1837.

- VIRTUS MORALIS INFUSA** : 1 — virtutes morales infusæ omnibus justificatis infunduntur, 1280, 1420.  
2 — quomodo possumus experiri virtutes morales infusæ esse in nobis, 1276-1279.  
3 — virtus infusa moralis respicit finem supernaturalem, 1133.  
4 — virtus infusa moralis est supernaturalis quoad substantiam, 1266.  
5 — virtutes morales infusæ in illis potentiis sunt in quibus sunt virtutes morales acquisitæ, 1281.  
6 — virtutes morales infusæ sunt virtutes perfectæ, 1566.  
7 — virtutes morales infusæ sunt inter se connexæ, 1411, 1426-1431.

- 8 — virtutes morales infusæ sunt connexæ cum caritate, 1406, 1423-1431, 1561-1578.

- VIRTUS POLITICA** : 1 — sese habet ut virtus communis, 1111, 1113.  
2 — utrum essentialiter differat a virtutibus purgati animi, 1111-1148.  
3 — in istis virtutibus possumus attendere duo, 1115-1131.

- VIRTUS PURGATI ANIMI** : 1 — non videtur differre essentialiter a virtutibus purgatoriis, 1110.  
2 — utrum essentialiter differat a virtute politica, 1111-1148.  
3 — videtur idem esse quod virtus heroica, 1111.  
4 — in istis virtutibus possumus attendere duo, 1115-1131.  
5 — tam in ordine naturali quam supernaturali dantur, 1132-1142.

- VIRTUS PURGATORIA** : 1 — non videtur differre essentialiter a virtutibus purgati animi, 1110.  
2 — in istis virtutibus possumus attendere duo, 1115-1131.

- VIRTUS THEOLOGICA** : 1 — virtutes theologicæ habent pro materia circa quam versantur ipsum Deum in se, 507, 1075, 1391, 1685.  
2 — versantur circa Deum tanquam circa proprium objectum, ut finis est supernaturalis, 506.  
3 — tum intellectum, tum voluntatem uniunt immediate Deo ut fini ultimo, 1228, 1762.  
4 — a solo Deo infunduntur, 507.  
5 — sola divina revelatione cognoscuntur, 507.  
6 — quare sunt necessariae, 507.  
7 — in ordine supernaturali homo sufficienter non rectificatur per virtutes theologicas, 1229, 1265.  
8 — cur virtutes theologicæ non sunt virtutes cardinales, 1000, 1026, 1034, 1100.  
9 — quomodo distinguuntur specie a virtutibus intellectualibus et moralibus, 508.  
10 — quomodo sunt in *medio*, 1388-1399.  
11 — non omnes virtutes theologicæ inter se sunt connexæ, 1409, 1418-1419.  
12 — in homine tamen justo pro hac vita omnes theologicæ sunt connexæ, 1409.  
13 — virtutes theologicæ non sunt connexæ cum virtutibus moralibus acquisitis, quantum ad substantiam virtutis, 1410, 1420-1422, 1579-1644.  
14 — virtutes theologicæ non sunt connexæ cum virtutibus intellectualibus, 1410, 1420-1422.  
15 — sunt superiores donis Spiritus Sancti, 1681.  
16 — unde sumenda est perfectio in his virtutibus, 1761-1768.  
17 — in genere virtutum theologicarum, perfectior species est, caritas 1756-1768.

**VISIO BEATA** : immediate producitur a lumine gloriae, 1717.

**VITA ACTIVA** : ad vitam contemplativam ordinatur, 1027.

**VITA CHRISTIANA** : proponitur omnibus ut communis, etiam non multum exercitatis, 1236.

**VITIA** : 1 — dicuntur a Philosopho esse ad aliquid, non secundum esse, sed secundum dici, sicut etiam virtutes, 30-35.

2 — cur dicantur capitalia vitia, et non cardinalia, 1104-1105.

3 — principalitas vitii non ex eodem capite sumitur ex quo principalitas virtutum, 1101 sq.

4 — de se non sunt *in medio*, 1501.

5 — sunt defectus rationis a debita mensura, 1499.

6 — non dicunt connexionem et unitatem, sed dissolutionem et multiplicitem, 1499.

**VOLUNTAS** : 1 — per apprehensionem dirigitur, 1387.

2 — non potest voluntas ferri in incognitum, 194.

3 — voluntas et intellectus ad invicem, 1706.

4 — comparantur voluntas et intellectus noster quoad objectum suum proportionatum, 257, 305, 320-325, 563-569.

5 — respectu boni proprii non est indifferens quoad specificationem, sed quoad exercitium, 326-327, 367.

6 — in ordine ad bonum proprium non indiget virtute superaddita, 281-294, 319-330, 563-569.

7 — est elicitive actus per modum inclinationis et ponderis vitalis, 114, 323.

8 — se habet ut inclinatio et pondus movens et dans efficaciam in operando, 1705.

9 — inclinatur totum subjectum seu suppositum in operando, 881.

10 — proprium est voluntatis movere et efficaciter impellere, 1725.

11 — voluntas et universale, 1700-1703.

ACHEVÉ D'IMPRIMER

SUR LES PRESSES

DE CHARRIER ET DUGAL, INCORPORÉE

LE TRENTE SEPTEMBRE

MIL NEUF CENT CINQUANTE-DEUX